ſup. T[illegible]05.

16821
B. d. 3. 1 (illegible) 615

N. (illegible) a Calepha

SEPTEM 344285

ILLUSTRIUM

Collegii Lugdunensis Societatis Jesu Catalogo

VIRORUM

inscriptus 1648

POEMATA.

EDITIO ALTERA,

Priori auctior & emendatior.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON 1896



BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE LYON

AMSTELODAMI,

Apud DANIELEM ELSEVIRIUM:

CIↃ IↃC LXXII.

Reverendiſſimo Celſiſſimoque

PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

PADERBORNENSI,

COADJUTORI

MONASTERIENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO,

ET

LIB. BARONI DE FURSTENBERG.

PLurimum Tibi debet, Reverendiſſime

ac Celſiſſime Princeps, res univerſa literaria, inprimiſque Poëſis & Muſæ, quòd inter ſui cultores & ſtudioſos ſplendidum tuum nomen profeſſus, graviſſimum momentum addidiſti laboranti hoc tempore illarum cauſæ, de dignitate ac debitâ in animis clarorum Virorum gratiâ, & interiori Principum admiſſione certantium. Quis enim ad cal-

culum in hoc judicio ferendum non magnoperè commoveatur? qui faſtidito utcunque aliis Poëtæ nomine gaudere ultrò, & gloriari Te videat, Virum ſapientem & gravem tanto in faſtigio, ad quod tum evectus, tum deſignatus es, inter clariſſimas Majorum tuorum imagines eximiè præfulgentem: qui proſperos de Te ſummorum infimorumque ſermones

mones accipiat; aliis ſapientiam Tuam in temperandis populi moribus, aliis gravitatem in capiendis de Rep. conſiliis, aliis paſtoralem in procurandâ gregis Tui ſalute ſollicitudinem celebrantibus: qui intelligat minimè Tibi ad ſtudium hujus artis ſeceſſu in lucos & nemora opus eſſe, ut vulgo Poëtarum uſu venit, ſed quemadmodum de Alcæo memo-

riæ proditum eſt, non deeſſe Tibi rationem, quâ in mediis hominum & negotiorum turbis, laureâ Apollinari rectè inſignitus incedas, nullo rerum gerendarum ſtrepitu mentem tuam à ſuaviſſimæ conſuetudinis amœnitate abducente; ut qui hactenus Muſarum amicitiæ indulges, quantum graviores de Eccleſia & Rep. curæ patiuntur, earum-

que ſtudiis, pro remiſſione à laboribus, & neceſſario ad relaxandum animum otio, uti ſoles, quò vegetior & firmior ad capeſſenda, repoſita ad tempus, onera mentis, & ſeveriores cogitationes exſurgas. Hæc mihi ſatis idonea gravisque cauſa viſa eſt, quamobrem operæ pretium abundè me facturum putarem, cùm nuper Poëmata Tua meis typis luci publi-

cæ committenda curavi. Nec verò de re literariâ plus meruiſſe me credidi propter auctoris à me editi nobilitatem, quàm propter ipſius operis præſtantiam, quod ita à doctiſſimo quoque probari, atque in pretio eſſe audio, ut cum clariſſimis, poſt exortam literarum lucem, ingenii in hoc genere fœtibus comparandum exiſtiment. Sed magnorum virorum ac Tui

ſimilium non hoc præcipuum munus eſt proferendi ſui erga bonas artes ſtudii, ſi privatas ſui ingenii opes ad eas colendas adhibeant, (quanquam hoc ipſum propter exempli claritudinem ampliſſimum eſt) niſi literas & viros literatos in commune foveant, eorumque rationibus ſuam auctoritatem, gratiam, patrocinium accommodent. Non

abs re itaque futurum putavi, ſi cùm edita aliquot ab hinc annis Poëmata ſeptem Illuſtrium Virorum, *cujus operis potiſſima pars Ipſe es, incrementis non mediocribus aucta edere in animo habeam, Tuum illis nomen inſcribam, ut viros præſtantes, quos magna ex parte eruditi Tui laboris ſocios, & quæſitæ per id gloriæ conſortes, cùm non-*

dum

dum tantus eſſes, habuiſti, hoc tanto honore, poſt auctam quoque Tuam fortunam, dignari videaris, majore ſcilicet animo, quàm qui ſuperbo illi Macedoni fuit, cùm recuſavit deſcendere in ſtadium, in quo Reges ſecum certaturos habiturus non eſſet: neque enim vereris, ne æquo juxta ac ſuperiore ex loco magnus & excelſus, & debitâ Tuæ digni-

dignitati laude cenſendus appareas. Habui præterea, non inficior, commodi quoque mei rationem, ut honorem, qui ex Tua claritudine typis meis accedit, quàm ſæpiſſimè liceat uſurpem. Quod ut in optimam partem accipias, rogo Te, Princeps Reverendiſſime & Celſiſſime, & hunc qualiscunque obſequii erga Celſitudinem Tuam mei conatum,

tum, quâ ſoles humanitate complectaris.

Celſitudini Tuæ

Omni cultu & obſequio devotiſſimus

DANIEL ELSEVIRIUS

Typographus.

Amſtelædami Anno CIƆ IƆC LXXII.
Idibus Februarii.

TYPOGRAPHUS LECTORI SALUTEM.

PLurimùm ſanè detrimenti rei literariæ ab ineptiis abſurda & incaſtigata ſcribentium vulgantiumque & hactenùs illatum, & inferri magis in dies, Lector humaniſſime, vetus eſt, ut ſæpè audio, doctorum & ſapientium hominum querela; indeque potiſſimùm proficiſci, quòd noſtrâ tempeſtate nequaquam idem honor Muſarum ſtudiis eſt, qui antiquitus fuit, & qui propter excellentem eorum præſtantiam ac dignitatem eſſe omninò deberet. Id autem præcipuum fatum eſſe aiunt literarum circa ſermonem Latinum verſantium: quæ tamen poſt earum uſum non mediocriter intermiſſum, & uſitatæ vulgò orationi poſthabitum, majore præſidio opus habent ad

tuen-

tuendam in animis hominum eam gratiam, quam ſibi avorum noſtrorum memoriâ flagrantiſſimam paraverant. Rurſus alii ejus incommodi cauſam intempeſtivæ bonorum & elegantium ſcriptorum modeſtiæ tribuunt, & cuidam ſupra modum rigido & cenſorio propria in opera ſupercilio, dum mediocritatem in poëticis (de hac enim parte humanitatis loqui nunc libet) juſto vehementiùs reformidant. Quamobrem partus ingenii ſui plerumque pulcerrimos & abſolutiſſimos novercali prorſus animo premunt, lucique publicæ, & eruditorum fructui ſubducunt, atque invident. Inter hos autem non pauci ſunt, quibus ipſum Poëtæ nomen non àdmodùm gratioſum, aut plauſibile videtur: qui propterea, ne ab hominibus cenſeantur, exiguo paucorum amicorum theatro, ad obſequendum ſuis eâ in re ſtudiis contenti, latiorem nobiliſſimæ artis gloriam ſanè quàm delicatè aſpernantur, câque de causâ

ra-

rariùs ad ſcribendum, & non niſi naturæ quodam impetu cogente, animum intendunt. Cùmque idcircò non habeant quo juſtum volumen implere poſſint, cum exiguâ ſupellectile prodire in publicum, & ingenii ſui anguſtias fateri ineptum judicant: non Catulli, non Perſii, non multorum prætereà nobilium Poëtarum exemplis permoti, quos pauci admodùm verſiculi æternos, & ſplendidiſſimæ apud poſteros gloriæ compotes fecêre. Ita fit, ut duorum vitiorum maximè inter ſe diſſidentium operâ, theſaurus literarius ſcrutis ſeſe (ut ita dicam) & quiſquiliis refertum inveniat, artiumque præſtantiſſima, ac divinis olim inſignis honoribus, magnâ ex parte vetere ſuo ſplendore ac dignitate ſpoliatam queratur. Ac literariæ quidem vanitatis invidiâ natio univerſa Typographorum (utinam immeritò!) laboramus, unà cum præclaro noſtro & poſt homines natos nobiliſſimo invento, atque artifi-

cio, ut non deſint plerique qui dubitent, commodine plùs an detrimenti in genus humanum intulerimus, dum copiâ & multitudine omnis generis librorum, quâ noſtro beneficio utuntur homines, onerandi potiùs quàm erudiendi ſublevandique ingenia materiam præbemus. Eò itaque majore induſtriâ nitendum nobis eſt, ne in tanta ſplendeſcendi facultate excellentium ingeniorum monumenta, (quod alterum ex propoſitis ſuperiùs à nobis vitiis eſt) lucis publicæ præmia & ornamenta deſiderent, ſine quibus paulùm à ſepulta inertia omnem humanæ virtutis præſtantiam diſtare non immeritò Poëtarum præſtantiſſimo viſum eſt. Hæc agitanti mihi, variaſque hanc in ſententiam inter talium peritos diſputationes audienti, vir eruditus & gravis commodùm ab Italia redux occurrit, poſt multos annos in cognoſcendis ejus terræ moribus hominibuſque conſumtos; utque eſt literariæ elegantiæ ſtudio-

ſus

ſus in primis, & emunctæ admodùm naris, obtulit allatum inde Carminum faſciculum, quæ ſibi inter multas ejus generis ſcriptionum Iliadas probari contigerat, & in quibus nativum illum Romani ſermonis lepôrem, jam inde Ciceronis ævo ab infuſa Urbi peregrinitate (ut ipſe querebatur) corrumpi cœptum, non admodùm deſiderari viſum eſt. Cùmque idem multorum prætereà doctorum virorum judicium eſſet, operæ pretium duxi publici illa juris facere, eâque ratione uſui & delectationi literatorum haud mediocriter conſulere. Etſi enim veteribus ſcriptoribus immorari multò ad Latinæ eloquentiæ profectum utilius eſt: nequaquam tamen recentiorum in vetuſtate imitanda induſtriam ſpernendam puto, vel eam ipſam ob cauſam, ut pro exemplo ea & regula ad imitationem hujuſmodi rectè & cum ratione inſtituendam, Latinè ſcribentes uti poſſint. Simul illud etiam ſpectan-

dum in primis fuit, ut homines adoleſcentes perſpectâ ingeniorum noſtri temporis in edendis Latinis operibus felicitate, alacriùs in perſequendis literarum ſtudiis ſibi pergendum exiſtiment, dum eruditos ſuos labores nequaquam debito publicæ laudis & approbationis pretio expertes quandoque futuros proximo ab exemplo augurabuntur.

APPROBATIO

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini

F^R. AMBROSII CAPELLO,

EPISCOPI ANTVERPIENSIS.

AD ingenii judiciique commendationem nihil eſſe poteſt illuſtrius, quàm aut res præclarè gerere, aut ſapienter aliquid ornatèque ſcribere. Primum qui faciat, ei ſuus ex merito tribuendus eſt honor: qui utrumque, ne illum quidem poteſt umquam eruditionis & prudentiæ fama deſerere, quam propagabunt æterna & in omnium manibus futura monumenta. Celebrabuntur utroque nomine hi ſeptem Illuſtriſſimi Viri, quorum poëticæ lucubrationes communi plauſu lucem nunc vident. Cùm in occupatiſſimâ Urbe Summis Pontificibus, & Sacro Cardinalium Collegio ſuam in rebus graviſſimis operam navaverint, aliiſque in illâ terrarum luce honoribus uſi fuerint, mirum eſt ſcribi ab iis aliquid potuiſſe. Sed illud commemorabile Catonis dictum penitùs imbiberant: CLARORUM VIRORUM ATQUE MAGNORUM NON MINUS OTII, QUAM NEGOTII RATIONEM EXSTARE OPORTERE. *Nam & hora una*

totius vitæ portio eſt, quam prodigere detrimento ſit. Nunc igitur quoddam veluti theatrum, nunc ſeceſſum ſubiverunt; ſed ex hoc in majus theatrum prodituri: nunc à ſeriis ad luſus animum avocarunt; ſed ad luſus non minoris operæ & laudis, quàm ſeria. Et habebant exemplum, quo id facerent, Optimos Maximoſque non ſacrorum tantùm, ſed etiam literarum Principes, quorum Muſas, ut in divinis fieri ſolet, ſilentio veneror. His autem Illuſtriſſimis Viris, quorum ingeniis recentibuſque libellis nunc delector & paſcor, abſens aſſurgo, & quam ſibi agendo ſcribendoque gloriam pepererunt, gratulor. Hoc meum qualecumque acroama confirmare chirographo meo volui.

FR. AMBROSIUS
Epiſc. Antverp.

A P-

APPROBATIO CENSORIS.

CUM *olim Camilli, & Serrani, & Cincinnati, & Romanorum optimus quiſque optimè rem ruſticam tractarent, terra & fructu erat uberior, & aſpectu pulcrior. Cauſam inquirens Plinius:* Ipſorum, *inquit*, tunc manibus Imperatorum colebantur agri, ut fas eſt credere, gaudente terrâ vomere laureato, & triumphali aratore: ſive illi eâdem curâ ſemina tractabant, quâ bella; eâdemque diligentiâ arva diſponebant, quâ caſtra: ſive honeſtis manibus omnia lætiùs proveniunt, quoniam & curioſiùs fiunt. *Simile quiddam de his Illuſtriſſimis Viris pronuntio, qui mihi videntur libellos edere vel propterea cultiores, quòd generoſus ipſorum ſanguis generoſos afferat ad Poëſim impetus, gaudentibus Muſis artes ſuas quamvis per ſe nobiliſſimas, ab iis tamen geminâ causâ nobilitari magis. Carmen ſcribunt pari laude, quâ res adminiſtrant carmine celebrandas. Ingenioſi ſunt, & eloquentes, ſive arcanos Principum ſenſus, ſive inventiones ipſi ſuas liberas & amœnas exponunt eò majore cultu, quò ſtudioſiùs omnia ſua ad dignitatem referunt. Ita olim Cæſares, Auguſti, Germanici, Tiberii, qui Principes! quamvis illos ab inſtitutis ſtudiis deflecterent publicæ terrarum curæ, temperabant eas tamen privatâ ſcribendi diligentiâ; &*

quaſi

quaſi triumphorum ac literarum par eſſet gloria, quâ manu arma, eâdem ſtylum tractabant, pulcerrimâ utriuſque concordiâ. Nunc eò res rediit, ut nobilitatis pars magna putidum & à generis ſui claritate alienum exiſtimet, animum liberalibus diſciplinis excolere, quaſi id ſit malè feriati Palæmonis famam affectare. Vellem meminiſſet majorum ſuorum vitam ac memoriam literis præcipuè deberi, & hos libellos in manus ſumere ne gravaretur, quorum lectione Muſarum amore exardeſceret. Vivant, vigeantque, & lectitentur Illuſtriſſimi Poëtæ, æternâ digni famâ; digniores, quòd hanc non verſibus tantùm ſuis, ſed multò etiam magis virtutibus æternam faciant. Ita cenſebam, vovebamque

CHRISTIANUS VOOCHTS S.T.L.
Canonicus, & Archidiaconus Antverpienſis, Librorum Cenſor.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON * 1898 *

P O E-

POEMATA
ALEXANDRI
POLLINI
FLORENTINI.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
* 1896 *

ALEXANDRO VII.
PONTIFICE MAXIMO
RENUNCIATO,
AD FERDINANDUM
FURSTENBERGIUM
Sanctitatis ſuæ Cubicularium intimum.

AUreus illuxit noſtris, Fernande, vocatus
Ominibus votiſque dies. Jam lumine claro
Contigimus, cæcas cupidâ quod mente per umbras
Vidimus, arcanos auſi prævertere fines
Fatorum, dum quæ præclara & certa relinquit
Signa olim ætheria veniens ab origine virtus,
Inſequimur, legimuſque animæ veſtigia magnæ.
Nunc licet in ſummo regnantem culmine rerum
Suſpicere: & triplici nunc majeſtate verendum
Demiſſo colimus vultu, genibuſque minores
Oſcula adoratis properamus figere plantis.
Regnat ALEXANDER. Subito viden' imbribus actis
Purpureo ut ridet pacatum lumine cælum!
Ut nitidi redeunt poſt triſtia tempora ſoles,
Et mites Zephyrorum animæ! circùm aſpice; tellus
Ut properè varios ſummiſit læta colores!
Quam dulci aëriæ volucres clangore per auras
Venturo indicunt hilares nova gaudia ſæclo!

Aſpice, compoſitis immotum ut fluctibus æquor
Poſt fœdas nunc primùm hiemes, ventoſque reſedit!
Cerne Urbem effuſam, plauſuque inſueta frementem,
Lætitiæque ſimul jactas ad ſidera voces
Accipe, non falſos populi exultantis honores.
Nam memorant, cælo tandem ut miſeratus ab alto,
Antiquâ humanos Genitor pietate labores,
Regnandum huic dederit magnis virtutibus orbem;
Auxilium feſſis præſenti numine rebus
Qui ferat, & duro Europam ſub faſce gementem,
Bellorumque diu tot tempeſtatibus actam
Qui levet, ac profugæ revocet bonus otia Pacis.
Nec tamen ultrices generoſi pectoris iras
Non coquere, & juſtos animo verſare dolores,
Armaque ſacrilegos meditari & fulmina in hoſtes.
Hujus in adventu jam nunc pallere ſuperbum
Regnatorem Aſiæ, trepidum atque extrema timentem,
Seque peti terrâ & pelago, ferroque viriſque
Immenſas Orientis opes, Solymamque repoſci.
Parte alia, populos longè trans ardua clauſtra
Italiæ, gelidum ſpectantia regna Booten,
Et Rheni egregias fluviique binominis urbes
Lætitiæ miros imo ſub pectore ſenſus
Concipere, & veterem ſubito conſurgere flammam.
Hunc illum, auſpiciis nuper cæleſtibus oras
Quem videre ſuas venientem, auriſque ſecundis,
Omniaque æternis obeuntem laudibus: illum,
Quem Pietate & Juſtitia, quem ſanguine clarum,
Flexanimo linguæ eloquio, doctiſque beatum
Artibus, & caſtâ facilem dulcique Camœnâ,
Attonitis inhians oculis, ceu præſcia tanti
Suſpexit mirata boni Germania: triſte

Diſſi-

Diſſidium, triſteſque iras, animoſque rebelles
Exarſiſſe ſatis: gentem jam tendere amicam
(Chaoniæ ad nidùm veluti per inane columbæ)
Ad Tiberim, & magnæ properare ad mœnia Romæ:
Jam ſacros orare pedes, veniamque precari,
Et pacem; certamque adeò exorare ſalutem.
At fremitu majore ferunt, quæ munera terram
Heſperiam, Latiumque, altam Mavortis & urbem
Quæ maneant; propiùs quanta indulgentia cæli
Aſpiciat ſacros orienti ſidere colles.
Hac finxiſſe tenus vates Saturnia quondam
Regna per Auſoniam, & de fulvo ſæcla metallo:
Aurea nunc verè tali ſub numine condi
Tempora, jam reduci cùm Virgine læta venire
Omnia, detersâ priſci rubigine ferri.
Jam decus antiquum, & ſolitos conſtare triumphos
Principe ALEXANDRO Romanis arcibus: & jam
Relligione Patrum, ſanctæ & formidine dextræ
Victorem latè gentes ab utroque receptas
Litore, adoratæ imperio ſubjungere ſedis.
Hoc duce præclaras floreſcere protinus artes,
Et Latiâ tellure novas jam ſurgere Athenas:
Permeſſi mutare undas jam Tybride Muſas,
Deſertoque Helicone, jugum celebrare Quirini.
Hæc bona non dubio monitu mortalibus, addunt,
Ex illo ſperanda, Heros quo tempore primùm
Attigit exoriens venientis lumina vitæ:
Cùm ſummo ætherii reſidens in vertice Olympi
Regius ardenti fulgeret Juppiter auro,
Et vaga compoſito circum famulantia motu
Inter ſe aſpicerent radiis felicibus aſtra:
Lydia materno cæleſtia pignora tellus

Cùm gremio exciperet, quà ſeſe urbs erigit alto
Clara jugo, fœcunda virûm, decorumque creatrix,
Regales fulva pueros ſub matre, ſuperbum
Inſigne attollens, nec ſanguinis immemor alti
Cognatam oſtentans nota ſub imagine Romam:
Cum domus egregios intra generoſa penates,
(Nomen avis, ataviſque ingens) longo ordine vivos
Monſtraret puero vultus, & facta ſuorum
Mirari, inque ſacris veſtigia figere ſignis,
Et patrio in teneris laudum conſueſcere amori.
Nec majora ſilent regni argumenta futuri,
Haud obſcura, virum veniens ubi reddidit ætas,
Quæ dedit ille: Dei purâ ſuper omnia plenum
Relligione, metuque animum, niveoſque pudici
Pectoris, invictoſque, ullo ſine vulnere, mores;
Tum largè nitidis hauſtas de fontibus undas
Cæleſtis Sophiæ, Themidiſque, & Palladis artes,
Queis populos regere imperio, quibus aſpera doctus
Flectere corda hominum, poſitis olim effera bellis
Sæcula felici miteſcere pace juberet.
Quid referam, ut lætos auguſtæ frontis honores
Ingeminant, celſoſque animos, mentemque benignam,
Regificaſque manus, facilemque ad præmia dextram?
Quid ſtudium, totque exhauſtos terrâque marique
Pro re Romana, pro relligione labores?
Tot benefacta viri? quæ tu, Fernande, beatus
Spectaſti primis mirari aſſuetus ab annis;
Et patrias etiam Rheni meditatus ad undas
Tentaſti Arctoas plectro leviore per auras.
Nunc quæ mira vides, propiore beatior almæ
Frontis ab aſpectu, pronâ quæque accipis aure,
Quæque feret volvenda dies facta inclyta ſummi
Prin-

Principis, & nomen latè immortale, decuſque,
Majori celebrare ſono, grandique memento
Carmine, Mæoniiſque modis attollere ad aſtra.
Divino ingenio, & præſenti numine vates
Quæ dabis, æternùm referens mirabitur orbis,
Et ſeri aſſiduè diſcent memorare nepotes.

AD
ALEXANDRUM VII.
PONT. OPT. MAX.
EUCHARISTICON.

ME quoque ſublimi è ſolio, PATER, aſpicis, unde
Terrarum ſpatia, & terras obeuntia latè
Æquora deſpectas, cælumque ac ſidera tangis
Arduus, & vigili mundum ratione gubernas.
Nec tua majeſtas, quod me quoque provida curat,
Deteritur: Phœbi nec lux ſeſe inficit alma,
Senta quod ex alto luſtrat loca, & infima tendit
Telluris, maneſque adeò penetrare ſub imos.
Sed ſimul emicuit cælo, triſtem undique pellit
Squalorem, turpemque ſitum, nebulaſque reſolvit.
Atque ubi deſcendit magis, interiuſque repoſtas
Rimatur latebras, fœtus & munera fundit
Cara magis, pretioſa auri argentique metalla,
Gignit & ardenti rutilos fulgore lapillos.
Haud aliter tu, MAGNE PARENS, quocumque ſalubres
Advertis radios, mentes animoſque ſerenas,
Speque bonâ, & donis largè præſentibus auges.
Vel mihi quæ longè in tenebris ſemota jacebat,

Frontis ut aſpectu primo recreata beatæ,
Regalique erecta manu, & decorata benigno
Munere, vita redit! veterumque oblita malorum,
Læta tuos inter dum ſe circumſpicit, uſque
Fortunam ſecura novam, nova gaudia verſat!
Atque utinam illapſu divini luminis, auri
Vena fluat, noſtroque erumpant pectore gemmæ:
Pulcrior haud inter lauros ederaſque virentes
Cinxerit ambroſios tibi crines ulla corona.
Nam neque præpetibus ſuperantes aëra pennis
Me vincant aquilæ, nec dulci carmine olores,
Nomen ALEXANDRI, laudeſque, atque inclyta facta
Tollere Pierio certantem ad ſidera cantu.
Te verò interea tacitus venerabor, & altè
Divini ingenii quæ tu veſtigia ſignas,
Aſſiduè relegens, memori ſub mente recondam:
Diſcam aptis ſi fortè olim tibi ſolvere grates
Vocibus, & tua conari, PATER, aurea dicta,
Aurea, perpetuâ ſemper digniſſima vitâ:
Deque tuis tibi dona feram te digna, ſupremi
Ut facimus ſacras humiles ad Numinis aras.

AD
FLAVIUM CHISIUM
CARDINALEM.

TU quoque ſupremo Patrui de ſidere ſidus
(Cynthia fraternis clara velut radiis)
Me tenui grates dicentem carmine, lætis
Aſpectas, Princeps inclyte, luminibus:

Cu-

Cujus in exortu toto lux aurea cælo
Emicat, & campos lapſa per aërios
Diditur, & pulsâ caligine protinus imas
Undique jam terras conſerit, & maria.
Sed tua purpureo veſtitur lumine Roma
Largiùs, eximio & munere perfruitur:
Teque ſuum decus, & lenimen dulce laborum
Suſpicit, & duro in tempore præſidium;
Cùm ſcelerata lues miſeram, & mendacia meſſis,
Ah miſeram! crebris mortibus horrificant:
Nec ceſſare ſinit trepidam diſcordia Regum
Vicina, armorum terribili ſonitu.
Ut patrio exiliens armata è vertice Pallas
Infenſos cælo terrigenas domuit,
Pectore de ſacro magni haud ſecus ipſe Parentis
Divino exiſtis vividus ingenio.
Continuoque feras acies, atque horrida fundis
Faucibus eructata agmina Tænariis:
Perque Urbem, & Latium Diras ſine more furentes
Ad nigra præcipites Tartara victor agis.
Quaque triumphantem volucris fert gloria, vinctum
Auro, & multiplici tempora fronde ſimul,
Ignis ut in cælo cùm ſe novus exerit, in te
Mentes quiſque, avidos conjicit atque oculos.
Surgere Ledæum veſtris de montibus aſtrum
Jam videt in mediis fluctibus Italia;
Tranſque Alpes procul aërias, tranſque æquora, læto
Jactatæ, heu! gentes omine ſuſpiciunt.
Jam fœdas ſperant hiemes, cælique tumultus
Deſæviſſe, animas & poſuiſſe truces.
Tempora jam compleſſe canunt infeſta Sorores,
Staminaque auratis ducere velleribus:

Egregium everſo tandem ſuccurrere ſæclo
  Demiſſum niveis alitibus juvenem.
Hunc, patrios fulgere lares dum ſtemmate longo
  Præclaris atavûm cernit imaginibus,
Diſcere virtutem in teneris, verumque laborem
  Cœpiſſe, & magnos reddere Chiſiadas:
Et cùm vix molli primùm pubeſceret ævo,
  Intrepido fortes corde gerentem animos,
Unigenam caræ amplexus genitricis, & uda
  Fugiſſe immotum lumina lacrymulis,
Miſſo ut Hyperboreas magnis de rebus in oras
  Adderet ingenti ſe comitem Patruo:
Perque nives celerem, perque horrida ſaxa ſecutus
  Curreret, ad ſuperos quà via pandit iter.
Et nunc, quod virtus olim ſua feſſaque votis
  Poſcebant rebus tempora flebilibus,
Ille ſedet regnans ſolio ſublimis in aureo,
  Juraque ſervatis mitia dat populis:
Tuque hoc jam pridem ſapere, & regnare magiſtro
  Doctus, in imperii parte locatus ades:
Quicum partiri grave pondus, cui velit altum
  Pectus ALEXANDER credere, & ingenium.
Ille adeò te, ſacra feras qui juſſa per orbem,
  Pollentem eloquio mittet Atlantiaden,
Quo revocante, diu pax ſuſpirata reviſat
  Europam, indigno reddita ab exilio:
Cum placidi jungent, poſito certamine, Reges
  In melius verſis, fœdera, conſiliis.
At tibi jam video magni famulantia mundi
  Sidera felici lumine, quà properas:
Et tumidos molli clivo ſubſidere montes,
  Fluminaque obſequio currere prona tuo.

Jam

Jam video ventos impellere vela ferentes,
Et ſervire ſacris puppibus Hippotaden:
Neptunumque Patrem, & Nereidas exultantes
Accipere, & toto provehere uſque mari;
Litoreque exceptum primo deducere gentes,
Lætitiæ reſonis vocibus, innumeras.
Parte alia increpitat reditum deſerta morantem,
Teque diu externis invidet Auſonia:
Et reducem hinc ſummis ſuſpirat ab Alpibus, atque hinc
Expectat Tuſcis obvia litoribus.
En venit, & terris emenſis ſoſpes, & undis,
In Latium curſu præpete fertur ovans:
Jamque viam ad ſacras relegens ſecat impiger arces,
Mœnia jam victor FLAVIUS ecce ſubit.
Urbs effuſa repente ruit, populuſque Patreſque
Optato properant paſcere amore oculos.
Arduus ille ſedet, nitidoſque, aurum inter & oſtrum,
Palladiis crines frondibus implicitus
Alta triumphali invehitur Capitolia pompâ;
Mox humilis ſanctis oſcula dat pedibus.
Interea fremituque hilari, plauſuque reſultant,
Ignibus & feſtis,atque fora, atque viæ.
Nec nivei, flavo quos flumine paſcit olores
Agmine nunc Tybris profluus aurifero,
Nomen ALEXANDRI, & FLAVI, & facta inclyta ceſſant
In cælum æternis tollere carminibus:
Sæcla nec æternas volventia dicere laudes
Ceſſabunt, veſtris aurea muneribus.

AD AURELIUM MARROCHIUM, SCIPIONIS CARD. S. SUSANNÆ MEDICUM.

HOc tibi me, Aureli, veſtrum quoque numen Apollo
Sollicitum juſſit mittere epiſtolium :
Artis ut auxilio, quam tu meditaris, & unam
Eximiè, præſtanti excolis ingenio,
Naſcenti occurras morbo, longumque minanti,
Ni reprimas, toto corpore ſupplicium.
Ex quo etenim Domini vos mollia juſſa ſecuti
Urbe procul dulci vivitis exilio,
Et miſerâ ambitione procul, dulciſſima, forſan
Immemores noſtri, gaudia percipitis;
Hîc mihi neſcio quæ trepido ſubmittitur imis
Viſceribus triſtis fœdaque pernicies.
Nam vapor effuſus ferventibus undique venis
Incipit indignis urere membra modis.
Jamque vari paſſim exiſtunt, papulæque rubentes,
Inficit & medias puſtula rupta manus:
Prurituſque vagi, & ſcabræ rubiginis optat
Aſſiduo impatiens ſtringier ungue cutis.
Præſertim dulces ubi ſuadent carpere ſomnos
Aurea jam curſu ſidera præcipiti,
Sanguis inardeſcens ſtimulis pertentat acutis:
Nec requies molli mî datur ulla toro.
Vixque renaſcentis Phœbi ſub lumina prima
Excipit irriguo ſparſa ſopore quies.

Unde

Unde autem infelix vitium inceſſiſſe repente,
  Et miſeros artus corripuiſſe putem?
Non ego cùm flammas Procyon, radioſque malignos
  Spargeret, aut miti luce ſub Erigones,
Pocula ſiccavi generoſi ardentia Bacchi
  Largiùs, appoſitæ nec nocuere dapes.
Dira neque immodico bilis ſuccenſa labore,
  Nec cura aut ſtudio eſt mens agitata gravi.
Sed molles aluere epulæ, cyathiſque minutis
  Infuſa eſt gelido plurima lympha mero:
Et matutini captato frigore roris,
  Mox vacui longos ſedimus uſque dies.
Nec dubitavi etiam merſare ſalubribus undis
  Interdum, ac tepido ſpargere membra lacu.
Quid, liquidum, medioque agitatum Aquilonibus æſtu
  Quòd cælum in tectis ducimus aëriis!
Ipſe tamen quæ cauſa malum hoc induxerit, altè
  Veſtiga, & celerem, dum licet, affer opem.
Affer opem, & propera labem compeſcere, ſi te
  Ulla movent dulcis jura ſodalitii.
Seu ſit abundanti ſalientem ſanguine venam
  Tundere opus, ſuccoſque elicuiſſe putres;
Seu jecore ardenti ingeſto medicamine flammam
  Opprimere, atque alvum ducere conſilium eſt;
Huc ades, Autumni labentis dum ſinit hora
  Lenis adhuc, dum ſic ſera moratur hiems.
Quam cupimus debere tibi, molire ſalutem,
  Conceptumque ægro pectore pelle metum.
Eveniet: tibi perpetuò ſic vota ſecundent,
  Et faveant cœptis numina læta tuis:
Principis & magni viridi dent robore vitam
  Proferre ad Pilii tempora longa ſenis.

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

De reditu in Germaniam cogitantem anno CIↃ IↃC LIV.

CUi fauſta læto ſidera lumine
Riſere, molli quem placidæ ſinu
Fovere naſcentem Camœnæ, &
Ambroſiis aluere ſuccis:
Cui ductus altè ſanguis, & inclytæ
Longo ſequentes ordine imagines,
Chartæque ſignantes parentum
Facta, domûs monumenta magnæ,
Monſtrant avito nobile iter gradu
Virtutis, arces quà datur igneas
Inire, doctrinæque ſuadent
Aërium ſuperare culmen:
Laborioſâ nil opus aleâ
Mutare dulces exilio lares,
Et quærere incertum remotis
Regna procul peregrina terris.
Sed te beati vividus ingenI
Adegit ardor limina linquere
Paterna, præclaros ut exul
Egregius fugeres penates
Prima in juventâ. Nec ſine numine,
Fernande, Divûm, principe in urbium
Reſiſtis, ingentemque luſtras
Latè oculis animoque Romam.

Jacere moles nubibus aſpicis
Olim propinquas, & decora imperI
Miratus, immani ruina, &
Marte doles cecidiſſe veſtro.
Mox de ſuperbo pulvere nomina
Majora cernis, regnaque ſurgere
Æterna, quæ victrix per orbem
Relligio, pietaſque ſummis
Æquavit aſtris. Impiger ultimo
De fonte, rivos hîc ſapientiæ
Hauris, & ad plenum benignâ
Longa ſitis ſatiatur undâ.
Purum vetuſti temporis aureas
Hic pectus artes combibit, & ſacra
De fronde jam nectis coronam
Crinibus, Auſonioque vates
Incedis inter carmine nobilis,
Cui plaudit amnis regius aſſonans,
Colleſque ſepteni reſultant,
Quo Latiæ recreantur aures.
Natale fratres imperiis ſolum
Belliſque fœtum pectore Martio
Colant tuentes, & ſub Arcto
Auſpiciis volitent ſecundis.
Ad pulcra pacis munia te vocat,
Poſcitque cælum mitius: huc tua
Te ſiſtit, & celſos honores
Inſequitur generoſa virtus.
Ut orba dulci conjuge, & unico
Fœcunda nato, mœſta tenet parens
Amplexa cedentem, nec udo
Fixa ſinit properare vultu:

Sic Roma cari dum capitis fugam
Rumore triſti nunc timet anxia,
Supplex moratur, ſic amici
Te precibus retinent Quirites.

AD AUGUSTINUM FAVORITUM.

QUi pectus ardor verſat, & intimas
Urit medullas, purus, ab ignibus
Demiſſus æternis, & uſque
Ætheriâ recreatus aurâ:
Vernante qui te ſanguine vividum
Tellurem inertem linquere, & arduas,
Auguſte, ſublimem volucri
Ingenio ſuperare nubes
Cogit, relictas mox humilem ſuper-
Volare terras, litora duplicis
Diverſa latè quâ refusâ
Oceani feriuntur undâ:
Interminatas quò ſapientiæ
Quæras avaro divitias ſinu,
Opeſque doctrinæ beato
Egregias animo reportes,
Non ille fracto lenior impetu
Reſidet uſquam: non alio minùs
Sub ſole ferveſcet: nec iſtam
Lympha ſitim gelidumve flumen
Reſtinguet ullum, tu niſi jam vagus
Ales reſiſtas, Græcia nobiles

Ma-

Magnumque ſpirantes ruinas
Servat ubi, propriumque buſtum.
Fluentis auri pulvere ſub ſacro
Metalla, gazas impiger obrutas,
Gemmaſque defoſſas, Eois
Invenies pretioſiores.
Seu plana luſtres, ſeu juga montium
Ferare circum, ſeu loca legeris
Pulſata Neptuno, ſecundùm
Seu placidos ſpatieris amnes;
Arcana docti pectoris audies
Miro eloquentes digna ſilentio
Umbras, & immortale duces
Aure avidus ſitiente nectar.
Sub dulci Hymetti culmine, vitreas
Iliſſi ad undas ipſa canit ſedens
Regina, divinoſque flores
Cecropio Sophia ore fundit:
Quos tu ſequaci corripiens manu,
Noviſque pennis altiùs evolans,
Inſignem, & æternam, relictâ
Rurſus humo, referes coronam.

IN PHILOMATHIS MUSAS JUVENILES.

QUid iſte fert libellus? aut quid ſuſpicer
Veniſſe in auras luminis fetum ingenI
Sublimis, altam nec fateri originem?
Vultuque ficti ſub parentis, per manus,

Perque ora circùm jam volare nobilem?
Sirenas anne condidiſſe carmina
Divina, mundi temperantes aſtricos
Choros, & imis, munere inſueto Deûm,
Audita terris? anne Pindi in vertice
J u v e n t æ honore Phœbus æterno nitens,
Inter Camœnas ore meditatus ſacro
Hæc ipſa fudit? ſive in Elyſia pii
Convalle, gentis aureæ priſcum genus,
Dedêre vates dicta præclara, aurea; &
Deſueta primùm, jamque turpi inertia
Deleta, noſtro reddidere tempori?
Mirare, Lector, quicquid eſt, ac ſuſpice;
Mentiſque magnæ dum legis veſtigia,
Latens adora numen (haud vana auguro,
Humana ſi ſecundus aſpicit Deus)
Aperto adoraturus olim in lumine.

A D
HIERONYMUM ALEANDRUM.

De morte Aldinæ catellæ feſtiviſſimæ.

Ergo illa dulcis, illa multùm amabilis,
Illa albula, illa delicata, illa innocens
Catella vixit? & tulere numina,
Tua Aleander interire gaudia?
Nec ulla caſtis invocata verſibus
Lucina præſens (heu nefas!) laboribus
Periclitantis affuit puerperæ?
Nec ipſa, dudum cujus ignem acceperat

Sub-

Subblandientis acta vi Cupidinis,
Injurioſa fata Cypris reppulit ?
Sed nos querelis quid fatigamus Deos ?
Summum Deorum facta crimen conqueri.
Olim (& quis hoc non credat ?) alma cœlitum
Venus voluptas, alma pulcritudinis,
Dea, ut puellis uſquequaque blandula
Catella ſuevit aſſidere bellulis;
Habere & ipſa concupivit candidam,
Quicum jocoſa luſitet, caniculam.
Nulla at peractis procreata ſæculis
Amore digna cælitum canicula eſt.
Modo iſta amori deſtinata Cypridis
ALDINA venit bella in auras luminis.
Viſam ſibi hanc repente Diva ſurripit,
Qua nulla poſthac pulcrior videbitur.
Ergo, Aleander, jam dolere deſine.
Ne tu occidiſſe crede quam deſideras,
Fallacis umbram dum vides imaginis.
Sed gaude, & ultrò gratus offer muneri
Divæ, lepores quæ tibi dedit ſuos:
Quæ nunc magis magiſque amica permanet
Tibi, venuſtatemque, & omnem cælitum
Pro munere iſto comparavit gratiam.

AD EUMDEM,

De lacrymis Deorum ediſſerentem.

FLerent dolentes fata ſi quando aſpera,
Guttis per ora lucidis manantibus
Serena Divûm lacrymaſſe lumina
Priſci Poëtæ tradidere temporis.

Verùm nefanda ex quo peroſi crimina,
Imbuta queis iniqua ferri ſæcula,
Contaminato ſubtrahunt ſe aſpectui,
Videre nulli fas fuit mortalium
Mirabiles quæ cælitum ſint lacrymæ:
Nunc tu, Aleander, perſpicaci acumine
Obducta viſum tendis ultra nubila,
Cælumque luſtras penitus: en, quòd videris
Non uſitato more flere numina,
Non uſitatâ ediſſeris facundiâ.
Euge ô beate! Tu tenebras diſcutis,
Lumenque portas, quo nitentes lumine
Verè Deorum lucidæ ſunt lacrymæ.

IN BIBLIOTHECAM FRANCISCI BARBERINI CARD.

PRæceps furentis orbe dum ruit toto
Procella Martis, jamque terror inceſſit,
Calidaque cædes undique imbuit campos;
Ab imminente vaſtitate quo ſervet
Trepidas Camœnas, literaſque palantes,
Sacri Senatus columen, & decus magnum
FRANCISCUS, arcem providâ pius curâ
Munivit, ornavitque, vimque congeſſit
Studio, labore, dexteraque regali
Huc aureorum maximam libellorum.
Vos hinc procul faceſſite in malas oras

Blattæ

Blattæ nocentes, quò mali vocant libri.
Satis ſuperque munera inter & curas
Regni, diurnâ ſolus, atque nocturnâ
FRANCISCUS haſce conteret manu chartas.

AD
JOANNEM BARCLAIUM,
Flores ſtudioſè educantem.

QUæ tibi culta novos ſlatè parit area flores,
Quæque nitet vario picta colore ſeges,
Quàm cito, Barclai, defecerit! improbus Auſter
Dejicit, aut denſâ decutit imber aquâ:
Solibus aut æſtus veniens ardentibus urit,
Aut legit, & rapido demetit ungue manus.
Haud ita quos lepidis cultu meliore libellis
Divini flores inſeris ingenii.
Nam Charites Muſæque fovent, ſparſique beato
Nectare, perpetui veris honore vigent.
Nec deerunt unquam inſcripti tua nomina flores,
Longa licet ſtudio perpete ſæcla legant.

CÆSARIS COMMENTARIA CORROSA A MURIBUS.

QUòd mille libros inter, hunc immaniùs
Laniaſſe mures aſpicis,
Quo bella Cæſar inclyta, & victorias
Hac qua peregit fortiter
Dextra, exaravit doctè, id imprudentiâ,
Caſuve factum ne puta.

Nam dum coronâ cingit, ac ſedet diù
  Caſtella circùm, aut mœnia,
Edendi amore adegit, ac penuriâ,
  Dolo undecumque & machinis
Periclitantes aggredi, & conſumere
  Excepta murium agmina.
Ex illo inuſtum dedecus, & injuriam
  Tranſmiſſam aduſque poſteros,
Auctoris haud oblita, fortis natio
  Reponit, atque ulciſcitur.

AD
JUVENEM PICTOREM.

DUm vivo diſcis tabulas animare colore,
Et varios natura effert quos dædala flores,
Graminaque, & dulces anni per tempora fructus
Dum ſimulas, laudum juvenili captus amore,
Diſce ſimul pulcris animum virtutibus altè
Imprimere, atque Dei ſacram mediâ ipſe locatam
Effigiem quam mente geris, fuligine turpi
Ah cave commacules, & celſo è culmine jam jam
Præcipitem, tetro vitiorum in gurgite volvas.
Ah cave, dum violaſque, roſaſque, & candida pingit
Lilia docta manus, triſtes ſub pectore dumos,
Atque venenatis radicibus inſerat herbas
Actus amor furiis, nimiumque effræna cupido,
Pullulet unde tibi ſcelerum denſiſſima ſilva,
Pœnarumque gravis nullo non tempore meſſis.

DE CHRISTINÆ

Suecorum, Gothorum, Vandalorum Reginæ adventu in Urbem.

ACceſſu, REGINA, tuo nova frigora in Urbem
Cur tulit, & gelidos ventus ab axe dies?
Inſolitum frangi regali virgine non eſt,
Et rigidum Boreæ pectus amore capi.
Nunc Dominam ille ſuam ſequitur terraque marique,
Et fugit in patriis ſceptra aliena plagis.
Quòdque videt tenero doctas ſub pectore Athenas,
Extuderunt Graiûm quidquid & ingenia,
Hoc capitur magis, & veteres reminiſcitur ignes,
Te quoque Cecropium dum putat eſſe genus.

DE ALEXANDRI VII. PONTIFICIS OPT. MAX.

ſeceſſu in Albanum.

ECce ubi, ALEXANDER longam ſeceſſit in Albam,
Et Romam veteri reſtituit patriæ,
Juppiter ipſe gravi invectus per inania curru
Deſcendit prono plurimus obſequio:
Mox colere & Phœbus, radiis ornatus & auro,
Luce ſuâ lumen clarius approperat:
Nympharumque chori lacubus ſylviſque relictis,
In numerum adventu Principis exiliunt:

Et circumpoſitæ effundunt ſeſe undique gentes,
Ut ſacris humiles oſcula dent pedibus.
Urbs dolet interea ingeminans deſerta querelas,
Suſpiratque ſui mœſta Patris reditum.
Parce tamen, pia Roma, queri. ne gaudia Matri
Antiquæ exigui temporis invideas.

AD
P. SFORTIAM PALLAVICINUM S.J.
De hiſtoria Concilii Tridentini ab eo ſcripta.

CLara ducum ſoboles, bellatorumque propago,
Qui veteres forti nomine reddis avos;
Tu licet abnueris Martem, & meliora ſecutus
Palladiis jam cælum artibus attigeris;
Arma tamen fato generis te, duraque bella,
Atque triumphato laurus ab hoſte manent.
Indomiti vel nunc infracta ſuperbia monſtri,
Totque dabat populis qui modo damna furor,
Quem novus Alcides, & ferro aggreſſus & igni,
Divini extinxti viribus ingenii,
Quam peperit palmam! quæ venit adorea! quantus
Inde tulit plauſus nomen ad aſtra tuum!
Ille quidem edomuit poſtquam portenta, domari
Poſtremam victor comperit invidiam.
Tu major, ſimul indomitum certamine primo
Et ſuperas hoſtem, Sfortia, & invidiam.

IN ORATIONEM FUNEBREM JO. JACOBI BUCCARDI,

habitam Romæ in morte Nicolai Claudii Fabricii Pereſcii.

ÆTernæ in Urbis luce, conſeſſu Patrum
Favente, Romano ore cultuque exequi
Potuiſſe laudes plurimas & maximas
Extincti acerbo funere, heu, Pereſcii,
Buccarde, res eſt magna, factuque ardua:
Sed, qua executus ipſe, præclaram, auream
Orationem efferre qui poſſit ſatis,
Rem magnam & is præſtiterit, ac perarduam.

IN PANGLOSSIAM,

de laudibus ejuſdem ab eodem Buccardo collectam.

QUòd nomen laudeſque tui celebrare PereſcI
Inſtiterunt variæ linguis longo ordine gentes,
Nobilitas, virtuſque viri, & benefacta repoſcunt
Æterna, Oceanum ad geminum diſperſa per orbem.
At pariter bene quòd celebrant, laudantque diſertè,
Laus, Buccarde, tua eſt: tua enim facundia primùm
Emicuit; vitamque, & grandia facta ſecutus
Defleſti, egregii caſum miſeratus amici.

Quæ circùm accipiens longè exaudita, reſultans
Aſſonat, ingeniumque tuum ſibi vendicat Orbis.

AD
FELICEM ZACHIAM,
NATALIS RONDININI
defuncti matrem.

VIdit ut ereptum properato funere natum,
Flentibus immoto pectore mater ait;
Mortalis genui mortalem, animoque ſupremum,
Cum peperi, occurrit tempus & atra dies.
Vana tamen ratio, & rerum te fallit imago,
Pace tuâ liceat dicere, docta parens.
Perlege NATALEM celebrantûm carmina, in ævum
Carmina divinis edita ab ingeniis:
Teque immortalem nati de nomine, & illum
Laudibus æternùm vivere noſce ſuis.

SOLARIUM ABSQUE GNOMONE
BERNARDINI SPADÆ CARD.

HOrarum interpres quòd nullâ tangitur umbrâ,
Tempora ſed totò linea ſole notat;
Multa animò volvis, dum cauſam quæris, & eſſe,
Quidquid id eſt, miræ colligis artis opus.
Falleris: hîc puro ſplendent ubi cuncta nitore,
Et Domini fulget lumine clara domus,
Haud locus eſt umbræ: non hîc famulantibus horis
Dum properat, raptim tempora lapſa docet;

Uſque ſed eximiè dilecti Phœbus ab alto
  Nobile in obſequium Principis ipſe venit.

AD
FERDINANDUM FURSTENBERGIUM.

De Thynni capite dono miſſo.

MIſiſti mihi, Ferdinande, munus
Magnum, Juppiter! atque ſumtuoſum:
Sed magnum quod amiculo immerenti
Næ malum dedit, ac repentè vivum, &
Videntem, propè ad incitas redegit.
Nam dum relligio mihi, quod abs te
Tuiſque è manibus venit, minuta
Ferro in fruſta ſecare, nec puto fas
Tam cari capitis perire formam,
Et ſimul meditor frui beato
Lætus munere, & unctiore cœna;
Ære mì fuerunt paranda grandi
Arma, vaſaque grandiora, molem
Tantam quæ caperent, focoque & igni
Admotam coquerent, tripus, ahenum,
Lanceſque, & patinæ, paropſideſque.
Tum quæ ſilva lari advoluta! quantus
Incendit modicos rogus penates!
Quanta, heu, diluvies profuſi olivi
Ferclum immane ſuper! lucerna tantum
Noſtra vix biberit decem per annos.
Proin tu, cùm tibi monſtra belluoſus

Mittet Oceanus, vagique fluctus
Hæc ad litora verterint tremendum
Balenæ ſpatium, memento turpe
Deſtinare aliò caput, docendus
Fortunam, & loculos breves amici
Metiri pede veriore. non hæc
Decent munera pauperem culinam.

AD EUMDEM,

Die ejus natali.

OCtobres ſalvete Idus, lux ſacra: Maronem
Quæ fudiſti auras prima ſub ætherias.
Tuque adeo mihi lux ſalve, quæ proxima ſurgis:
Lux mihi natali ſanctior uſque meo.
Unde ſibi reduces apponit & ordinat annos,
Et ſignat niveis tempora læta notis,
Æmula divino condit qui carmina Vati
Fernandus, Muſâ proximus, ut geneſi.

VILLA OSTIENSIS SACCHETTÆ FAMILIÆ.

URbis in antiquæ, nitidi non indiga cultus,
Villa ſolo, ad primum continuata mare;
Hinc Romam, adverſæ cineres Carthaginis illinc
Proſpecto, & Tyrii diruta regna ducis.
Nec facies animos aufert mihi proxima tantum,
Litore ab oppoſito gloria quanta venit.
Faſtidit ſi Roma, procul miratur, & optat
Invida delicias Punica terra meas.

SOMNIUM,

Ruri ſub conopeo arundinibus ſuſpenſo.

ESſe quid hoc dicam, tanta inter gaudia detur
 Ducere cùm ſolidos hîc ſine nube dies,
Quòd, ſimul incipio molli requieſcere lecto,
 Terrificant animum ſomnia nigra meum?
Nam ſubito triſti percellor imagine, & ingens
 Inceſſit miſeris terror ab hiſtoriis.
Vel mihi præteritâ cùm nocte miſerrimus ultro
 CANNARUM occurrit caſus, ut obrigui!
Ergo perpetuo vigilantem vivere tanti eſt,
 Et fugere horribilis dira pericla tori.

VILLA FARNESIA IN JANICULO.

VIlla ſolo & cælo felix, & clara vetuſto
 Nomine, nil fumum, nil moror Urbis opes.
His Pater optavit regnum ſibi Janus in oris,
 Et poſuit noſtro mœnia prima jugo:
Quæque olim eduxit regalia tecta ſub auras,
 Credibile eſt ſpatio clauſa fuiſſe meo.
Nunc titulo melioris heri, cultuque recenti
 Nobilis, egregio munere læta fruor.

AD
JACOBUM WALLIUM
E SOCIETATE JESU,

Cum Michaëlem Angelum Bonarrotum, ſculptorem & pictorem ſummum, Aretinum appellaſſet, cum debuiſſet dicere Florentinum.

VAtum maxime, quot fuere, Walli,
Quot ſunt, quotque aliis erunt in annis;
Quid Florentia pulcra nobiliſque
Urbs de te meruit miſella tantum,
Ipſi ut Praxitelem ſuum, atque Apellem
Unus tu eriperes iniquè, & iſtud
Inter cetera lumen invideres?
Si neſcis, graviter tulere cives.
Quod ni præproperè parumque cautè
Dictum continuo palam recantas,
Edico tibi, non inultum abibit.
Nam multabere patriâ viciſſim:
Nec te illi Grudium ferent poëtam,
Brugæ nomine nec tuo ferentur:
Sed jactaberis uſque Mantuanus
Vates, & Venuſinus uſque, & Umber.
Res eſt non minimum timenda Walli.

FER-

FERDINANDO FURSTENBERGIO.

NObilibus longæ deprenſo in collibus Albæ
Crura ſacer mihi cum lentè percurreret ignis,
Et miſeros artus ſtimulis arthritis acutis
Ureret, ac toto tentarer corpore, demum
Decubui feſſus monitu imperioque medentûm.
Accipe nunc, Fernande, tori quæ commoda noſtri,
Deliciæque, quibus ceſſantem frangere morbum
Sperabam, victorque feros ſuperare dolores,
Moxque frui lætus jucundi gaudia ruris.
Principio apparet lecti modus haud ita magnus;
Tres in fronte pedes, paulò plus tentus in agrum,
Dimidiamque pavimento vix altior ulnam;
Unde ſolum digitis pulſare micantibus imum,
Perque leves auras jactatis ludere talis,
Mite laboranti ſolamen. Culcita duris
Durior impoſita aſſeribus, non illa minutis
Aut plumis infarta, aut vellere pinguis Ibero.
Cyniphiis tondent ſed quale in vallibus hirci,
Horrenteſve apri, Numidæve in montibus urſi,
Tomento oppletur Cilicum de ſtamine ſaccus.
Involvit ſuper hunc animoſis ſoſpes ab Euris,
Et decimo fluctu, fœdiſque agitata procellis
Carbaſus, aſſutis obtendens vulnera pannis.
Nauticus horreſcit ſupremo tegmine cento,
Blattarum ac tinearum epulis ſubductus, & unde
Diripuere dapes magno certamine mures.
Cætera (quod multo mireris non ſine riſu)

Re-

Regifico ſurgunt luxu, textuque renident
Attalico, & Babylonis acu, Phrygioque labore.
Quattuor ingentes Ephyræo ex ære columnæ,
Aurati fulgent quarum alto culmine coni,
Vela ferunt pretioſa, & nobile conopeum.
Sed neque ferventi citiùs de ſanguine febris,
Nec dolor abſcedit membris, nec pectore curæ,
Textilibus ſi in picturis aurum inter & oſtrum
Jacteris, quàm ſi plebeia in veſte cubaris.
Quod te per nomen jucundum, & fœdera dulcis
Teſtor amicitiæ, per ſanctæ pignora dextræ;
Per mores, geniumque tuum, miſereſce jacentis.
Dumque datur placidos in lucem carpere ſomnos,
Et tibi lauricomo veniunt inſomnia Pindo,
Inſpirantque quieſcenti nova carmina Muſæ;
Dulce aliquid mihi Caſtalio tranſmitte liquore
Perfuſum. Forſan vatum Deus, artis & idem
Inventor medicæ, ſic me ſervarit Apollo.

SOTERIA
PRO
ALEXANDRO VII. P. M.

VIrgo Parens (nam Te miſerantem incommoda gentis
Humanæ, gemituſque pios, nunc vota, preceſque
Sollicitas, manifeſta fides audiſſe, Tuoque
Auſpicio Genitorem unà, Natumque, benigno
Numine adoratam placidè indulſiſſe ſalutem.)
Dum Tibi lætitiâ inſolitâ, plauſuque frementes
Servati circùm populi gratantur, & Urbes,
Atque immortali ſolvunt pro munere vota
Omnibus in templis humiles, atque omnibus aris:
Me proprio, grandique obſtrictum nomine, Virgo,
Secretum, timidè, ac demiſſo lumine, pauca
Murmure quæ tacito poſſum, tenuique ſuſurro,
Haud præter ſolitum facilis, ſine reddere, & ultro
Gaudia noſtra ſimul, ſimul & tua dona fateri.
Nam modò tranquillæ medio de fonte quietis
Quæ ſubitò curæ exortæ, gelidique timores
Involvêre atro ſecuras turbine mentes!
Quum procul Heſperia cæli de parte nigrantem
Exiguo primùm tractu concreſcere nubem,
Mox latè medium ſeſe proferre ſub axem
Vidimus, & mundi vultum violare ſerenum.
Illius objectu, triſti pater obſitus umbrâ
Phœbus, & obtuſo radiorum expalluit auro:
Afflatuque gravi propiùs, tactuque nocenti
Subſtitit, indigno feſſus languore, diuque

Delituit, ſiluitque diu, trepidique micanti
Mortales meruere nigras ſine lumine luces.
Pallida quæ rerum interea, miſerandaque viſu,
Attonitæque Urbis facies, atque Orbis imago!
Quæ lacrimæ effuſæ dirum tremuere periclum!
Jam fugere unanimes tanto in terrore paratæ
Aëraque obſcurum, viduaſque relinquere terras
Juſtitia, & Pietas, & Pax, ſanctæque Camœnæ:
Præſidio ſi fortè (nefas) patrioque carerent
Numine ALEXANDRI, namque is certiſſimus unus
Solque, Paterque, fovet radiis felicibus orbem.
Extemplo ſedenim Eöum diſcedere cælum,
Protinus & clarâ tempeſtate omnia circùm
Effulſiſſe, novoque aperiri lumine ſidus
Cernimus, ac timido incerti veneramur honore.
Illius exortu primo rapidiſſima longè
Nubila diffugere, atque atram concedere noctem:
Continuoque caput nitidum ſol aureus altè
Attollens, cælumque levat, terraſque ſerenat.
Quippe fuit, Virgo, Tua lux, & Virginis aſtrum
Illud erat. Tua nunc pietas miſerata labores
Indignos, genteſque humiles, gemituſque precantum,
Optatam niveamque diem, lumenque reducit
Purpureum, & ſævo miſeris horrore ſolutis,
Soſpite ALEXANDRO reddit ſua gaudia terris.
Sed neque tu lacrimas, nec dedignata vocatus
Diva meos, & ducta imo ſuſpiria corde.
Victor ego, ante aram voti reus ad Tua ſupplex
Numina, quæ donas propria hæc ut munera ſaxis,
Perpetuâ pietate, novâ prece pronus adoro.

A D
ALEXANDRUM VII. P.M.

MUnere quòd magno cumulas nil tale merentem,
Quas habeo grates dicere, Muſa negat.
Nam neque Majeſtas recipit tua, maxime Princeps,
Exiguum parvi carminis officium;
Nec noſter tentare audet tua nomina, culpâ
Deterere ingenii, nec tua dona pudor.
Illa altè fundata animus ſub pectore adorat
Semper, & aſſiduè mens operata colit:
Quæque intus reſonant laudes, & vota, loquuntur
Lumina, & in mediâ fronte notata leges.

AD EUMDEM.

INſolitis urget nivibus dum Juppiter Urbem,
Et Scythico mordens horrida bruma gelu;
Exul ab aſpectu infelix, Pater alme, beato,
Atque ſacris adytis cogor abeſſe diu:
Pelliculam, gelidoſque annis fugientibus artus
Lectulus, aut tepido dum fovet igne focus.
Cæcus Anaxagoras ſit ne, ſtoliduſve videbo,
Anne furens, nigram quum putat eſſe nivem;
Certè nigra cadit mihi nix hoc tempore, & atros
Improba de niveis reddidit illa dies.

AD URBEM ROMAM, CLEMENTE IX. PONT. MAX.

Renuntiato.

QUæ conjuratas acies evertere ferro
Et facibus patriam, civeſque extrema minantes
Roma tibi Tyrrhena pio certamine tellus
Ulta nefas immane ſuis delevit in agris:
(Qualia Phlegræos ſtraverunt funera campos)
Hæc eadem auguſto augurio volventibus annis
Præclarum generoſa alto de ſanguine IULUM
Extulit, inſolitâ cui cælum & ſidera luce
Naſcenti fulſere, novo quum gaudia motu
Terræque, & maria, atque urbes, ac dædala rerum
Senſit, & arcano plauſit natura favore.
Et nunc ille datum egregiis virtutibus olim
Imperium, fato meritum comitante ſequaci
Accepit, ſupraque tuas ſedet arduus arces
Aurato in ſolio, videt unde ab litore utroque
Omnia ſub pedibus, vertique, regique beatis:
Ingenti unde animo immenſum dum amplectitur orbem,
& ſacris manibus rerum dum flectit habenas,
Inſuetum molitur iter, quà rara priorum
Fixa notat claris quondam veſtigia ſignis,
Quà verum invitat non falſo gloria vultu.
Grandibus ille potens factis, operumque labore
Magnorum, famam & decus immortale cubili
Solis ab Heſperio Eöas meditatur ad undas
Tendere, & Oceani extremos evadere fines.
Tum ſi qua eſt, quæ reſtat adhuc ſummota, latetque,

Et

Et penitus vaſti refugit pars ultima mundi
Accipiet, laudeſque ferens celebrabit in ævum.
Tuque adeò in partem æterno comes addita honori,
Dum veteres memor ad faſtos annoſque redibis,
Atque virûm monimenta, & nomina magna revolves,
Lumine nunc vero ſidus fulgere videbis
JULIUM, ut aſtra inter Phœbus micat ipſe minora:
Tale inſtar nullum invenies, nec talibus unquam
Auſpiciis latè imperium, nomenque tuliſti,
Qualibus antiquos longè ſuperare triumphos
Apparat, & ferre in cælum tua nomina, CLEMENS.

AD
JOANNEM RHO
SOC. JESU,

Eloquentiſſimum divini verbi pro concione interpretem.

ANtiqua longis obruta ſæculis
Jam nunc reſurgit fabula, nobile
Præſtantis inventum magiſtri,
Itala quem Samiis arenis
Tellus relictis vidit Achaico
Ore edocentem. Scilicet aureas
Dulceſque demirata Roma
Eloquii rapientis undas.
Quin ſpiret almo reddita lumini
Mens viva TullI pectore de tuo,
Et verba devolvat recenti
Rhoë ſono, dubitare neſcit.

 Sed

Sed illa blando protinus avia
Errore, cæcas ducitur in plagas,
Nec ſentit, imprudens, revinci,
Mille ſimul rediiſſe vitas.
Nam quid vetuſtæ tu ſapientiæ,
Quem nunc ab omni tempore non refers
Virtutis, & doctrinæ, & alti
Laudibus ingenii per ora
Latè volantem? dum relegis manu
Signata quondam Numinis, & pio
Perfundis interpres nitore,
Romulidis retegens Olympum.
Sublimis unde & mentis originem
Deducis ipſam, cordis & igneum,
Regnantis & linguæ vigorem,
Nec niveos aliunde mores.
Commiſſa læto planta velut ſolo
Novella, rivus quà trepidat (mora
Haud longa) per cælum beatos
Explicuit generoſa ramos:
Et iſta ſacro non ſecus in lare
Firmata, ſacræ Matris ab ubere
Educta, deſumit benignè
A teneris alimenta virtus:
Nec uſque, flammæ clarior in dies
Ritu, quieſcet vivida ſurgere,
Tellure dum victrix relictâ
Ad ſuperos revolarit ignes.

AD

FERDINANDUM

Epiſcopum, & Principem Paderbornenſem.

DE MORTE ALEXANDRI VII. P. M.

QUalem, ſi Phœbus nunquam rediturus Eöo
Lumine, in Oceani tinxerit amne facem,
Terrorem attonito, tenebraſque relinquit in orbe;
Et flere extinctum tempus in omne diem;
Conſimili terris facie, luctuque relicto,
Lumen ALEXANDER condidit ecce ſuum.
Ne mirare tamen quòd non ſanabile vulnus
Ipſe ego non miſeror voce, manuque meum:
Nam fugit, infelix, minui, miſeriſque levari
Vocibus, & lacrimis abnuit uſque dolor.
Nec ſummum potis eſt quiſquam proferre dolorem:
Promere qui potuit non ſatis, ille dolet.

AD AMICUM HERBICASIONIUM.

QUod ſatis eſt betæ RECIPE; atque huic adde puſillum
Serpylli, & mentæ, ſpicam bene olentis & allI,
Et ſemen marathri: accedat quem Parma coëgit

Caſeus ovorum croceis, butyrumque vitellis,
Et piper, & dulci veniens ab arundine pulvis.
Quæ parco ſale cuncta ſimul continge, ſimulque
Contunde, & varios agitans confunde ſapores.
Præterea RECIPE incretum ſine furfure pollem
Et laticem, ſubigenſque ſolum Cereale rotunda,
Et ſuper expande intritum; circùmque, ſupraque
Acta Ceres tegat, & ferclum regale coronet.
Mox lento prunæ coquat igne artopta. ſalubrem,
Prædulcemque cibum, quantum & quandoque libebit
Sume, dapem memor egregiam monſtrantis amici.

Errata typographica.

Cum accentu gravi lege adverbia ſubitò *pag.3.l.18. pag.4.l.24. & pag.29.l.7.* Quàm *p.3.l.23.* circùm *p.5.l.30.* repentè *p.11.l.15. p.13.l.1. & p.19.l.15.* modò *p.19.l.13.* penitùs *p.20.l.8. & p.33.l.1.* quò *p.20.l.20.* citò *p.21.l.20.* perpetuò *p.29.l.11.* continuò *p.30.l.16.* minimùm *p.30.l.23.* *Cum circumflexo leg.* Parte aliâ, *p.4.l.20. & p.11.l.7.* vidêre *p.4.l.26.* quâ *p.21.l.25. & p.25.l.11.* *Inſere comma poſt* olim ſua, *p.10.l.15. poſt* Roma tibi, *p.36.l.6. poſt* immane, *ibid. l.7. poſt* immortale, *ib. l.26. poſt* Heſperio, *ibid. l.27. poſt* faſtos, *p.37.l.4. poſt* undas, *ibid. l.24. poſt* revinci *dele comma p.38.l.3. poſt* ſignis: *pone colon pag.36. l.23. ibid. l.24. leg.* Quà vetus.

POE-

POEMATA
AUGUSTINI
FAVORITI,
SACRO COLLEGIO
CARDINALIUM
A SECRETIS.

ÆGON,

Sive de obitu

SIDRONII HOSSCHII E Soc. Jesu.

Menalcas Fabium Chiſium Cardinalem; Lycidas Poëtam refert.

Lycid. QUi te ſollicitat luctus, quæ cura, Menalca,
O & paſtorum decus, & ſolatia ruris?
Non animus tibi, non vultus, velut antè, ſerenus,
Quo blandos audire ſoles ac reddere verſus.
Atqui nunc lætos cum tempore ſumere vultus,
Perque vices aliquid, curas quod fallat agreſtes,
Ludere conveniat. Jam formoſiſſimus annus,
Jam grati ſoles, motiſque à frondibus aura
Lenior: herba torum, ſilvæ dant frigus & umbras.
Et peream, ſi non invitant omnia cantum.
Quin huic nos clivo pariter ſuccedimus, unde
Cernere prærupti fas eſt de vertice montis
Muſcoſum per iter rapidas deſcendere lymphas,
Dum ſubter ludunt ſaturæ per prata capellæ.
Men. Ah! Lycida, Lycida, ſcires modò, quàm mihi laxum
Pectore vulnus hiet, mœſtum ridentibus agris
Haud, reor, objiceres vultum mihi: mœſtus & ipſe
In gemitus planctuſque oculis rorantibus ires.

Hic cæli nitor ipſe, anni hæc vernantis imago,
Hæc antra, hi fontes, ipſa hæc juga frondea tantùm
Me capiunt, quantùm denſis nox atra tenebris,
Aut, cùm improviſâ cælum ruit omne procellâ,
Percuſſæ nimbis ſegetes, & grandine vites.
Uſque adeò premit, ac mentem dolor improbus haurit.
Lycid. Quidquid id eſt, ne conde ſinu: medicina dolori eſt
Illius indicium. Quæ non fluit unda, putreſcit,
Et ruit objecto violentior aggere torrens,
Et compreſſa parit majorem flamma ruinam,
Incluſique Euri tellurem atque oppida quaſſant.
Sic quoties celat cauſas, altâque repoſtus
Hæret mente dolor, damno eſt ſibi: pectore clauſæ
Marceſcunt lacrimæ, ſpirantque in viſcera tabem.
Occidit hoc nuper morbo Lycus, occidit Alcon.
At ſi quid fortuna tibi crudele minatur,
Antè luem pecori, aut ſtabulis incendia mittat,
Aut capiti noſtro quæ ſint mala cumque reſervet.
Te ſine magna Pales ſqualentia linqueret arva,
Lugerent armenta, armentorumque magiſtri,
Fiſtula nec cuiquam curæ foret. Hæc mea certè,
Ludibrium ventis piceâ penderet ab altâ.
Nec pulſæ valles, vociſque referret imago,
Quod mihi cantandi cupido dictare ſolebat
Carmen Apollineâ demiſſus origine paſtor.
Quin ego digreſſus ſilvis, lucemque peroſus,
Ætatem in duro traherem miſer Apennino.
Men. Si tibi tantus amor luctus cognoſcere noſtros,
Teque adeò tangit dolor hic meus, accipe. Venit
Verus ab Arcadiâ nuper mihi nuntius, eheu!
Ægonem occubuiſſe meum: meus occidit Ægon,
Ægon,

Ægon; quo paſtor totâ præſtantiòr alter
Non fuit Arcadiâ dulci perfundere cantu
Mœnala, ſeu patrii ſaltus mulcere Lycæi.
Cui me præclaris captum virtutibus olim,
Cùm daret hoſpitium nobis illa aurea tellus,
Fœdus amicitiæ nexu devinxerat arcto:
Quicum ſæpè morari, ac ludere ſæpè ſolebam,
Quamquam vicinis fremerent regionibus arma,
Noſtraque finitimæ turbarent otia gentes.
Quis caſus mihi te, vel quìs Deus abſtulit, Ægon?
O nimis in miſerum crudelia fata Menalcam!
Infelix pecus ite, nihil moror, ite capellæ.
LYCID. Anne erat ille Ægon, cujus tu carmina quondam
Infandam, nimiùm infandam referentia cædem
Ipſe mihi celsâ (memini) de rupe canebas,
Unde omnes latè turres ac Roma videri?
Sic inflectebas inter ſuſpiria vocem,
Ut mihi viſa iterùm fuerit diſcedere tellus,
Atque iterùm mœſtâ involvi caligine cælum.
MEN. Ille erat: illum atro merſerunt funere Parcæ,
Aurea divino modulantem carmina plectro.
Eſſe quid hoc dicam, quòd tam breve ducimus ævum
Mortales, vivunt cervi, corvique tot annos?
Vidi ego ſuccisas iterùm revireſcere quercus,
Exutoſque annis juveneſcere ſæpius angues.
Quin & avem fama eſt, ſæclis jam quinque peractis,
Oppetere, eque rogo, quem, quo nutritur, amomo,
Et nardi calamis, & odoro cortice myrrhæ
Extruit ipſa ſibi, vitam inſtaurare recentem.
Aſt hominem nec fata ſinunt producere vitam,
Nec ſemel extinctum remeare in luminis auras.

Nym-

Nymphæ, immortales Nymphæ, ſuccurrite nobis:
Dicite, ſi qua viret veſtris in montibus herba,
Quæ gelidos animam revocet vitalis in artus.
Dicite: tum memor hîc vobis altaria ponam,
Et tenerâ faciam meritis pro talibus agnâ.
Quid loquor? abripiunt venti mea vota protervi,
Et prece nequidquam Divos atque aſtra fatigo.
Ægon hinc abiit, nec quiſquam Ægona reducet.
Crudeles Divi, crudelia ſidera, Nymphæ
Crudeles! ſed tu cunctis crudelior Ægon,
Cedere qui vitâ potuiſti abſente Menalca,
Immemor heu noſtri! Licuiſſet lumina ſaltem
Claudere, & extremùm lacrimis perfundere noſtris,
Et dare, ſi quid id eſt, frigentibus oſcula labris.
Sed forſan, cùm tu loquerere noviſſima verba
Languidus, ac dulces raperet dolor ultimus auras,
Ipſe inter lætas ducebam pocula menſas
Neſcius, aut queruli dirimebam jurgia Codri.
Quamquam, ſi penitus mihi mens non cæca fuiſſet,
Certus ego hos olim potui prænoſcere caſus.
Sæpè etenim eſculeâ captanti frigus in umbrâ,
Dum tacitus ſedeo, dum ſpirat amicior Auſter,
Lævam neſcio quid pepulit mihi protinus aurem:
Cumque admoviſſem teretes ad labra cicutas,
Diſſona feralem reddebat fiſtula cantum:
Sæpè & ſpontè ſuâ manibus delapſa cadebat.
Quod ſupereſt, tumulum extincto ſtatuemus inanem,
Quà Tiberis ſacrum velatus arundine crinem
Pacato Latias interluit amne ruinas.
Dein viridi in trunco noſtri monumenta doloris
Inſcribam lacrimans: quæ fortè notabitur arbos,
Non illam venti eruerint, non frigore bruma
Læ-

Læſerit, aut ardens inimicis ſolibus æſtas.
Fixa ſolo ſtabit, facietque nepotibus umbram,
Æternùm teſtata meos hoc carmine luctus:
SALVETE ÆGONIS CINERES, QUÆCUMQUE TENET VOS
IN TERRIS REGIO. VOBIS HIC JUSTA QUOTANNIS,
QUI VICINA TENENT PASTORES PASCUA, SOLVENT.
VIVENTEM COLUIT, NUNC RAPTUM LUGET, ET ABSENS
ABSENTI TUMULUM POSUIT TITULUMQUE MENALCAS.
LYCID. Sed tu deſine plura: vetat ſe quippe querelis
Urgeri noſtris, qui nunc, ut credere fas eſt,
Exceptos cælo vates, exceptus & illo,
Cantantes audit, pariterque auditur ab illis.
Et tua dum mulcet nos fiſtula, pronus abit ſol,
Compellitque greges in ſepta reducere paſtos.
Cras facere exequias, maneſque vocare licebit.

AD
P. SFORTIAM PALLAVICINUM S.J.

Nicander.

NUper ad Albuneæ ſilvam, quà rupe ſub altâ
Spumanti præceps Anio devolvitur amne,
Tityrus & Lycidas læti florentibus annis,
Ambo paſtores, ambo cantare periti,
Carmine certavere. Locus certaminis antrum,
Antrum umbroſum, ingens, pumex cui plurimus arcum
Effi-

Efficit: at juxtà læto ſe gramine tellus
Veſtit, & æternùm violis vernantibus halat,
Alluduntque leves avium concentibus auræ.
Hîc pueris locus: hîc, cùm ſol altiſſimus umbras
Fecerat exiguas, ſteterunt cantantibus illis
Paſtores gregis immemores, grex immemor herbæ.
Quin & Hamadryadum chorus affuit, affuit ipſe
Pan Deus, ac fremitu Satyri plauſere ſecundo.
Horum ego certamen, mihi quod narravit Amyntas,
Carmine non vano referam, niſi vanus Amyntas.
Tu modò, ſi Muſam non dedignaris agreſtem,
Sfortia, ſtirpis honos magnæ, quò ſoſpite ſacrum
Tollit adhuc ſupra gentes caput Itala virtus,
Huc ades; hîc molli mecum conſidere in herbâ
Intereà, ac lentus poteris captare beatam,
Quam Zephyris quercus ludentibus explicat, umbram,
Dum rabidùm latrat Canis æſtifer, arvaque findit
Torrida, dum tibi ſudantur quæ Bætis & Iſter
Miretur, ſerique legant monumenta nepotes.
Ergò ubi propter aquam viridanti in gramine ripæ
Procubuere, prior Lycidas: En Tityre nobis
Illa dies tandem, benè quæ decernere poſſit,
Quis noſtrûm melior cantu ſit, & arte cicutæ.
Tit. Quo me cumque vocas adſum: ſic adſit Apollo.
Non ego detrecto certamina: non ego, forſan
Ut reris, canere indoctus. Scit victus Iolas,
Scit Dorylas, ſcit Acon, ſcit Tybridis accola Daphnis.
Lyc. Tu mentem huc adverte, Mycon: nec ſit grave noſtras
Audire, arbitrioque tuò componere lites.
Myc. Ludite quæ vultis, cantuque exolvite curas.
Paſtori licuit ſemper, ſemperque licebit,
Cùm

Cùm benè pavit oves, geniales dicere verſus.
At ſi umquam licuit calamis, ſi verſibus unquam
Ludere, nunc paſtor calamis, nunc carmine ludat,
Quando ſuas ſibi paſcit oves, oviumque ſuarum
Vellera ſecurus ſibi tondet, & ubera mulget.
TIT. Incipe tu primùm Lycida: nos deinde ſequemur.
LYC. Nulla mora eſt: tua juſſa ſequor. Sed nequa ſit iſti,
Vel mihi ſuſpicio meditati carminis, omnem
Materiem præſcribe, Mycon, legemque canendi.
MYC. Et dubitatis adhuc, cùm laudes, claraque facta
Nicandri montes reſonent, valleſque profundæ?
Plaudite Nicandro, Nicandrum tollite ad aſtra,
Cui Divûm imperiis magni cuſtodia templi,
Et gentes latè in Latias commiſſa poteſtas.
LYC. Non opis eſt noſtræ Nicandri dicere laudes;
Sed vatum, quibus eſt animus divinior, & vox.
Nos humiles humili res dicere carmine ſueti,
Ac miſcere leves per mutua jurgia lites.
MYC. Non ſemper leviora decet reſonare cicutâ
Paſtores Latios; ſed ut ipſa armenta gregeſque
Paſcuntur nunc valle cavâ, nunc montibus altis;
Sic decet interdum gracili nos promere cantu,
Quid faciat pingues pecudes, quid pabula læta,
Munera quæque leves vincant Amaryllidis iras;
Concipere interdum validos ſub pectore motus,
Et canere heroas, & numina magna Deorum.
TIT. Audebo: obſequium Nicander fronte ſerenâ
Accipiet, ſi non carmen laudabit & artem.
LYC. Nos quoque, nos quanquam tenui conabimur ore
Grandia: conanti veniam dabit ille, ſinetque
Me laudi, meritiſque ſuis, & grandibus auſis,
Dum majora paro, facili proludere verſu,

Illi noſtra quies, illi gratiſſima ruris
Otia debentur: quin ipſe hic ſpiritus illi
Debitus: ille meos calamos non paſſus inertes,
Hoſpitiumque dedit, collemque habitare Quirini.
Et quamquam minimè liceat mihi, ut antè licebat,
Sancta impreſſa notis cæleſtibus ora tueri,
Antè, Mycon, versâ in cælum radice videbis
Tendere Chaonias quercus, terramque ſubire
Frondibus, antè nigro manabunt lacte capellæ,
Quàm ſacer è noſtro labatur pectore vultus.
Myc. Ergò agite, & celebrate virum: ſed gentis honores
Mittite Nicandri propriis adjungere factis.
Longa retrò ſeries, quos illa recenſet, avorum.
Hi pacis clari ſtudiis; hi Marte feroces
Addiderunt patriis ingentia nomina faſtis.
Fundarunt alii regali ſplendida luxu
Atria; ſollemnes alii cæleſtibus aras,
Ipſi olim decorandi aris: ingentibus illi
Muneribus fovêre Deas Heliconis, & omnes
Egregias artes. Gens auri dives & agri,
Auſoniaſque domos claris complexa Hymenæis,
Et latè quondam Tuſco dominata profundo,
Quà ſacer Alcidæ portus. Sed neſcia virtus
Creſcere majorum titulis. Erit hic vir, hic unus
Argumentum ingens, meſſiſque uberrima laudum.
Vos canite, ut ſtudiis major puerilibus infans,
Cùm vix à caræ depulſus lacte parentis
Figeret incerto dubius veſtigia greſſu,
Templa celebrarit Superûm, imbueritque tenellum
Relligione animum: ut fugiens contagia vulgi
Hauſerit auguſtos intra documenta penates,
Queis ille inſiſtens ſumma ad faſtigia rerum

Sur-

Surgeret, ac feſſo tandem ſuccurreret orbi.
Inde, ubi virgineas primæ lanuginis umbræ
Conſperſere genas, ut famâ impleverit Urbem,
Et gravibus curis virides addixerit annos,
Munera per populos obiens: ut ſæpè potentum
Limina, & auguſtas juſſus penetraverit aulas,
Quarum veſtibulum ante ipſum manus excubat atra,
Invidia, inſidiæque truces, fraudeſque dolique,
Nec tamen attigerint illum fraudeſve, dolive,
Aut aliæ ſcelerum peſtes. Ut namque per altos
Ionii fluctus, & amaræ Doridos undam
Integer evadit Siculas Alpheus ad oras:
Sic magnam intactus mentem, fugiendaque certus,
Quamvis blanda forent, non immiſcere petendis,
Ad patriæ ſeſe vertit cæleſtis amores.
Teſtes, quos olim divino percitus igne
Corticibus teneris ætate tenerrimus ipſe
Inſcripſit verſus, & quos jam firmior ætas
Ore alio indictos è venâ divite fudit
Per numeros omnes, quidvis imitante Camœnâ.
Dicite, quot vigili verſaret pectore curas,
Cùm victum miſeris tellus irata negaret
Gentibus, & crebræ viduarent oppida mortes,
Bellaque vicino fremerent inſana tumultu,
Quà centum Eridanus fluviis, luctuque ſororum
Dives init Libycis regnatum flatibus æquor.
Quid non Ionio in magno, quà nota trophæis
Inſula Sicanium contra jacet alba Pachynum,
Quid non & Rheni ſinuoſum geſſit ad amnem,
Dum pacem indignam Superis inhoneſtaque damnat
Fœdera, fruſtrà hominum teſtatus jura Deûmque?
Hunc ſi ſancta priùs tribuiſſent numina terris,

Non toties luctu impleſſet Germania cælum,
Quòd trunca heu toties provolvens buſta, virûmque
Cæde calens Albis glaciale reſolveret æquor,
Triſtiaque alberent inhumatis cladibus arva.
Non dulci patriâ extorres inopeſque Britanni
Errarent terras omnes, maria omnia circùm;
Nec tam bella diu premerent, bella impia Cretam,
Quâ fatum Europæ pendet; nec inulta doleret
Civibus exhauſtas urbes, cultoribus agros
Italia infelix, priſcos oblita triumphos.
Quin & Sarmatiam ferro quæ vaſtat & igni
Barbara gens, rebuſque novis elata ſuperbit,
Cederet, ac verſis dudum in contraria fatis,
Ardentis patriæ buſtum, cinereſque ſuorum
Ipſa gemens, fuſo lueret commiſſa cruore.
Dicite, uti tandem poſt hæc diſcrimina rerum,
Poſtque tot exhauſtos pelago terrâque labores,
Romuleas iterùm meritorum plenus ad arces
Venerit. Haud mora: vix aderat, cùm vidimus ipſi
Murice fulgentem Tyrio ſuccedere curis
Jam ſenis Ægonis, rerumque aſſueſcere habenis,
Donec ad imperii culmen fatale trahentes
Nicandrum Superi ſacratâ in Sede locarunt.
Hæret adhuc animo haud obliviſcenda per ævum
Illa dies, quæ prima virum mortalibus ægris
Sublimem ſolio oſtendit, cùm pectore clauſum
Spiraret Numen, vultuque immobilis alto
Divideret ſacrâ cæleſtia munera dextrâ.
Hinc canite, ut redeant noſtris felicia ſilvis
Sæcula, & antiqui mores: ut Copia pellat
Læta famem Latio, cælumque Aſtræa relinquat:
Ut, cogente Deâ, tandem furor impius arma

Ponat, & agreſtem gladii curventur in uſum;
Quæque tulere diu patrio procul ab lare durum
Exilium triſtes inhonoratæque Camœnæ,
Excutiant mœrorem animo, Phœboque canente
Sollemnes ducant choreas per amœna vireta,
Rurſus & incipiant herôum dicere laudes.
Sic ubi tempeſtas nil tale timentibus arvis
Incubuit, ſtragemque dedit, ſi nubila cedant,
Si lenes redeant Zephyri, ſolemque reducant;
Ridet ager, curvumque nemus ſe rurſus in auras
Explicat, & ſulco ſeges inclinata reſurgit.
 Nec ſinite indictum, ut paſſim decora alta Latini
Nominis informes inter defoſſa ruinas
Erigat: ut priſcum templis inſtauret honorem;
Vellat ut è noſtris dumos, herbaſque nocentes
Providus, & lætas inducat montibus umbras;
Utque ſuas, Divûmque ſacras inſcripſerit ædes:
NULLI FAS CASTUM SCELERATO INSISTERE LIMEN.
 Tempus erit, quo facta dehinc majora canetis,
Cùm, ſuadente illo, poſitis civilibus armis,
Ceſſabit tandem quod Gens Feronia bellum
Upiliâ cum gente gerit. Tum tota repentè
Tempeſtas belli Ionium deſcendet in æquor:
Tum populum latè victorem, ac fata ferentem
Ultima, & Ægæi rumpentem clauſtra profundi,
Quò meritas repetat pœnas, gentemque ſuperbam
Ryphæas hyemes ultra, Tanaïmque releget,
Pallidus Odryſiâ ſpectabit ab arce Tyrannus.
Sic ubi longa fames aquilam, cædiſque cupido
Acrior ad terram ſpeculâ dimiſit ab altâ,
Tum qui ſe novus ad ſolem circumſpicit aureo
Fulgentem tergo, ſquamiſque recentibus anguis

Vicinâ condi properat ſub rupe; ſed illum
Improviſa ſuper volucris venit, & premit ungue,
Nidorumque dolos, aviumque ulciſcitur iras.
Tum demum exuerit vinclis ſeſe inclyta tellus
Divini ſervans monumentum ac pignus amoris.
Tum caput attollet Silois, Tybrimque parentem
Jordanes, jaculiſque colet crinitus Orontes.
Tum dulcem nobis longo pòſt tempore tandem
Fas erit Arcadiam, lucoſque reviſere ſacros,
Taygetique nemus nigrum, fonteſque Lycæi.
Nec minùs Arctoo properat quæ litore Pallas
Romanum ad Tiberim Patribus ſpectanda Latinis,
Graiorum decora, & caras inviſet Athenas,
Frigus & ad ſacri ripam captabit Iliſſi.
Tum mores hominum miteſcent, tum pecus omne
Unum Paſtorem, atque unum cognoſcet ovile.
At tu, SANCTE PARENS, hominum celebrabere votis,
Africa quà longè pluvium porrecta ſub Auſtrum
Ambuſtum Oceani mediis caput inſerit undis,
Quaque Caledoniis Thule pulſata procellis
Proſpicit ignotos curvo de litore fluctus.
Tale Mycon certare volentibus argumentum
Tradidit, hanc rerum ſeriem: quam deinde ſecuti
Tityrus & Lycidas, nemorum plaudente coronâ,
Plurima ſub ſacrâ fuderunt carmina quercu,
Quæ tacito ſecum meditari examine mentem
Convenit, ut meliùs referamus in ordine quicquid
Tityrus & Lycidas ſacrâ cecinere ſub umbrâ.

ALE-

ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX. RENUNTIATO.

UT ad vireta Pindi ab Urbe Romulâ
Bono profecta Fama venit alite,
Tenere ſceptra CHISIUM, novem Deas
Comam ferunt ligaſſe fronde Delphicâ,
Eburneoque collo eburna barbitos
Ut alligata, conſtitiſſe protinus,
Ubi perennis unda prata dividit
Odore læta graminum virentium.
Ibi decenter implicaſſe mutuas
Manus, pede impuliſſe & arva libero;
Ibi increpante pectine aureas fides
Diu negata condidiſſe carmina.
Dies beata ter quaterque, vatibus
Canenda ſemper, & colenda gentibus,
Vetuſta ſæcla quæ reducis aurea,
Fidemque cum ſorore ab axe devocas!
Vides, redux ut Africis ab areis
Latina jam reviſat arva Copia,
Famemque pellat Africas ad areas?
Ut alma Pax neces & arma ſubmovens
Gravi cruenta bella compede alliget?
Tuo, beata lux, favente numine
Loqui ecce rurſus antra, rurſus incipit
Tegi erudita lætiore frondium
Honore ſilva, largiorque Pegaſi
Sonante rivus exilire ab ungulâ.

Ubi hæc dedêre dicta, nona Virginum
Chorum jubet ſilere, & una concinens
Lyram maritat altiore carmine.

DE EODEM.

ERgò inexpleto miſeras flagello
Diræ agunt gentes? Piget heu ſiniſtram
Tam diu ſortem doluiſſe, & orbis
Fata ruentis.
Vidimus campo Libitinam aperto
Huc equis illuc volitare nigris,
Quæque Gradivi ſolüiſſet ardor
Oſſa legentem.
Decolor tabo Sicoris, Paduſque
Teſtis, & ripâ Thameſis cruentâ,
Magnaque adverſus Thameſim reſolvens
Oſtia Rhenus.
Turbine hinc noſtras Oriens citato
Acer in clades ruit, hinc avorum
Cimber ulciſci cupidus Latino
Sanguine manes.
Hinc levi frontem redimita culmo
It Fames circùm, ſequiturque Pallor
Triſtis, & ſciſſo pavidus capillo
Luctus euntem.
Sed per hæc ardens init aſtra Virtus,
O datum Europæ decus, & levamen
Dulce, ALEXANDER, miſerante feſſas
Numine terras!
Monſtra ſi tellus manibus negaſſet
Herculis, magnus latuiſſet heros,

Nec ſuo audiſſet reſonare Tuſcum
Nomine litus.
Tu bonæ fructus revehes benignus
Pacis, & plenis Cererem maniplis;
Te ſacrum doctæ Tiberim reviſunt
Vindice Muſæ.
Flectere inſuetum tibi cerno victos
Poplitem Parthos, Arabaſque fracto
Supplices arcu dare thura noſtris
Maſcula templis.
Nam comâ latè viridante QUERCUS
Montis inſedit juga Vaticani,
Totum ut humanum genus hoſpitali
Protegat umbrâ.
Vos ALEXANDRO gladium ſequeſtro
Ponite, & motus animi calentes:
Jam ſatis cædis, cinerumque: ferro
Parcite Reges.
Cur in inſontûm malè pertinaces
Urbium caſus acuuntur enſes,
Juſtiùs Thracum quibus imminentûm
Turba periret?
Qui ſuper campis glacialis oræ,
Italûmque arvis, pelagoque fuſus,
Barbaram ſanguis potuiſſet omnem ex-
Scindere gentem.
Jam pio tandem ſociate fortes
Fœdere in Creten, Solymamque dextras.
Ite victores pia vota magno
Solvere buſto.
Ite: Naupacti recubans in antro
Nuper auditus graviore Triton

Præſcius conchâ ceciniſſe fracti
Colla Tyranni.
Thraciæ vobis animæ faventes
Carbaſa in Syrtes inimica vertent.
CHISIUM ſidus reget omne certâ
Luce periclum.

DE EODEM.

CLades furentis quiſquis Europæ graves
Abominatus, atque Chriſtiadûm (nefas!)
Contaminatas ſcelere civili manus,
Multâ rogaſti Numen iratum prece,
Rediret ægris alma pax mortalibus,
Et qui profanis mutuam in ſtragem duces
Aguntur odiis, fœdere inter ſe pio
Juncti in ſuperbos arma Thracas verterent;
Quiſquis reverſam cernere optaſti diu
Cornu beantem divite arva Copiam,
Reduceſque cum ſorore Pietatem ac Fidem,
Et ad antra Cyrrhæ jam diu ſilentio
Triſti jacentes, & recuſantes lyram,
Rurſum canentes fontis ad caput ſacri
Audire Muſas; quiſquis Urbem redditam
Decori intueri, priſca quod virtus patrum
Paravit, artibuſque florentem bonis;
Aras corollis, eia, conſternas pius,
Summoque gratus vota perſolvas Deo:
MAXIMUS habenas rerum ALEXANDER tenet.

IN

IN EJUSDEM S. D. N. DIEM NATALEM.

VEnit ALEXANDRI natalis. Supplicet aris
Turba frequens: flammis ſumet acerra piis.
Nec citharæ ſileant, citharis nec carmina deſint:
Huc, age, qui citharâ, carminibuſque vales.
Vos quoque, felices animæ, pia nomina, Vates,
Quos Latium, quos & Græcia terra tulit;
Seu vos æternùm retinent Parnaſſia Tempe,
Seu choream in ſilvâ ducitis Elyſiâ;
Quandoquidem manes imâ tellure repoſtos
Arte ferunt, vivi quam coluere, capi;
Cingite fronde comam, & Troiâ Thebiſque relictis,
Natalem magni concelebrate Patris.
Et dum, VIVATIO, reſonamus, amabile carmen
Integret Elyſium, Pieriumque nemus.
At vos, Aönides, quarum ſub numine ſacro
Læta virent doctæ jugera Caſtaliæ,
Flectere queis animos, & inexorabile penſum
Parcarum citharâ carminibuſque datum eſt,
Si puerum arcana faciles foviſtis in umbra;
Si juvenem purâ ſæpè rigaſtis aquâ;
Illius ob carmen noſtri ſi gloria ſæcli
Tollit ſe veſtris ardua verticibus;
Si plauſum tripodes, vocaliaque antra dedêre,
Cùm Deus hunc magnum miſit in imperium:
Dum lucem hanc colimus, cantu fidibuſque favete,
Ac pede, res agitur veſtra, favete Deæ.
Fallor? an excitæ veniunt ad ſacra ſorores,
Fronde coronatas expediuntque lyras?

Et numeris certare parant? Certaminis hujus
  Signa dat è ſummo Calliopeia jugo.
Ergò diem fauſtis celebremus nos quoque votis:
  Annus enim nobis ſæpè canendus adeſt,
Quo Chriſtum accipiant ultrò regna invia nautis,
  Litoraque algenti ſiqua ſub axe jacent;
Quo tandem à miſeris rubigo turpis ariſtis
  Telorum duram tranſeat in ſegetem.
Tu modò dexter ades, tantiſque allabere cœptis,
  Qui flectis nutu regia corda tuo.
Quæ rabies armet populos, quæ prælia poſcant,
  Quæ ſcelerum, quæ ſit Martis imago, vides.
Hinc premit Helvetiam ſtrictis furor impius armis;
  Hinc luget patrio Sarmata pulſus agro.
Heu conjuratis etiam ſociata Britannis
  Arma metum populis exitiumque ferunt!
Heu iter infauſtum relegens feralis Enyo
  Itala pugnaces ducit in arva manus!
Ceu Padus Inſubres cùm turbidus invehit imbres,
  Quos miſeri luctus augeat agricolæ.
Hinc etiam ferrum Odryſii crudele Tyranni
  Per Venetûm clades imminet Italiæ.
Scilicet Italiam contra bella impia ſurgunt:
  Huc inhiant diræ crimina barbariæ.
Tu tamen ô populis tellus aſſueta regendis,
  Ingenio atque armis inclyta, parce metu.
Maxima ALEXANDRI virtus tibi militat, altis
  Alpibus & gemino firmior uſque mari.

AD EUMDEM,

de heſterno fulmine.

CEſſerat atra fames Latio, Te, Maxime Princeps,
Vindice, & horribilis, ſed ſine clade, lues;
Cùm miſeræ nondum placatus Jupiter Urbi,
Illam majori devovet exitio.
Pallentem immittit morbum, quo Flavius æger
Detinuit multos anxia corda dies.
At Juvenem egregium populis donare coactus,
Arripuit tandem tela triſulca manu.
Irrita ſed pariter ceciderunt fulmina, & iram
Numinis ante tuos depoſuere pedes.

AD FLAVIUM CHISIUM ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX. FRATRIS FILIUM.

PHœbus ubi primùm revehit cum luce labores,
Redux ab orbe ſuaveolentis Indiæ,
Ejus ab aſpectu pendet prænoſcere ſollers
Ligur magiſter atque arator Appulus,
Quid pelago campiſque niger denuntiet Eurus,
Orioniſque triſte ſidus apparet.
Nam ſi nubilus obducat caligine vultum,
Uterque cautus abſtinet periculo;

Sin autem extulerit nebulis roſea ora fugatis,
  Hic alligare vomeri boves, at hic
Solvere velivolam properat de litore puppim,
  Rates & æquor execrante conjuge.
Haud aliter te, qui priſcum genus indole pulcrâ;
  Et ore, ſuavibuſque moribus refers,
Ut nitidum os, FLAVI, divino lumine vidit
  Recentis extuliſſe more ſideris,
Suſpexit Roma, eſtque animo prudente futuri
  Dies ſibi augurata candidiſſimos.
Latè humiles terras animo nam deſpicis alto,
  Cupidinumque vulgus impotentium
Sub pedibus premis, infelix quibus acta juventus
  Tumet furente pejus Adriatico.
Unus amor recti, virtutis te decor unus
  Juvat, pudorque comitaſque Chiſia:
Degeneremque vocas, veterum qui jactat avorum
  Iners propago nomen atque imagines.
Quare hominum ſtudia, ac dulces ante omnia Muſæ,
  Novam micare quando ſpem vident ſibi,
Erexere animos. Tu Divas excipe blando
  Domeſticam ſecute gloriam ſinu.
Scilicet Auguſti referentem nomen & artes
  Virum memento ſanguinis decus tui.
Qui niſi regali juſſiſſet mente beatum
  Patêre limen hoſpitale vatibus,
Egregios ut avos, & avos numeraret avorum,
  Ut eſſet ampla res, opeſque Chiſiæ,
Frigidus, heu, mutuſque foret ſine nomine pulvis,
  Per ora nec volaret inclytus virûm.
Quamquam operæ precium priſcorum ingentia non eſt
  Referre facta Patrum, ubi præit ſuis

Maxi-

Maximus auctor Alexander, qui cum pietate
  Suâque ſorte robur æquat ingenI.
Ille vides ut ſæpè jubet ſecedere curas,
  Onuſque ponit, & reclinat in ſinum
Muſarum. Hæ ſolio nimirum cum Themide ipſa
  Sororibuſque pulcer aſſident chorus.
Credo equidem: neque enim ingeniis fuit hoſpita ſacris
  Pudor vireta linquere & jugum biceps
Pro Vaticano, pro dulci colle Quirini,
  Ubi perennis aura veris intepet.
Nec minùs intereà populis aſſueſce regendis,
  Id approbante, qui benignus imperI
Te vocat in partem rerumque arcana, ſecutus
  Quod omnium ſupremus arbiter Deus
Suadet, Alexandri qui res, & facta reliquit
  Sibi, ſuoque temperanda numine:
At regere imperio volucres elementa miniſtros,
  Polumque juſſit, & rotare ſidera.
Jamque decus, patrio tibi quod promittitur aſtro,
  Et expetita fervidis Quiritium
Votis alma dies aderit, cùm Romula pubes
  Metu ſoluta, triſtibuſque næniis,
Te proceres inter Latios, ſpem Tybridis altam,
  Honore cernet eminere debito.
Mox linquentem urbem comitabitur omine læto
  Iter precata molle; ſeu jubeberis
Ire Alpes ultra, ſeu te committere ponto,
  Etruſca præter & volare litora.
Olim namque tibi Regum componere dextras
  Deus reſervat, & ligare mutuo
Fœdere in excidium Thracum, tua juſſa ſequente
  Per æquora alta me, per Alpium juga.

Tum

Tum mihi, tum magnis pia vatibus arma viciſſim
Canentur arma, fortiumque dexteræ,
Queis feret auſpicibus Solymæo dona ſepulcro
Ab occidente vectus hoſpes ultimo.
Medus ALEXANDRO tunc demum ac Thracia ſupplex
Sacros fidelis oſculabitur pedes.

CLEOPATRA IN HORTIS VATICANIS AD CHRISTINAM,

Suecorum, Gothorum, Vandalorum Reginam.

SI te ſpectaclum infelix, ſi triſtia tangunt
Fata meæ duro benè ſculptæ in marmore ſortis,
O noſtros dignata lares inviſere mundi
Cardine ab extremo, patriâ regnoque relictis,
REGINA, herôum nulli virtute ſecunda,
Aurea quos olim tulit ætas, maxima Olympi
Numina cùm humanos non dedignantia cœtus
Tecta frequentabant mortalia, caſtaque gentis
Pectora non falſæ complebant laudis amore;
Huc ades. Illa ego ſum Latiis celeberrima faſtis
Femina. Noſti angues, animumque in morte ferocem.
Quò properas? Saltem alloquio ſolare dolentem
Reginam Regina; nec eſt indigna videri
Forma loci, & ſacris regio gratiſſima Muſis,
Quæ nemus hoc, fonteſque colunt, jugaque alta, viretis
Cyrrhæ poſthabitis, & verticibus Parnaſſi.

Hîc

Hîc ubi Graiorum artificum miranda videbis
Signa antiqua, tuæ gentis quibus ira pepercit,
Abſtinuitque manus artem mirata vetuſtas.
Ut de me ſileam, viden' hos, qui robore multo
Luctantem, ingratoſque Deos, araſque vocantem
Arrecti miſerum ſpiris ingentibus hydri
Laocoonta ligant? Ut anhelat! ut ore ſupremùm
Ingemit! ut ſocios implòrat, opemque propinqui
Herculis! Ipſe quidem caſum dolet, & cupit angues
Eliſiſſe manu, ac primos iterare labores
Phidiacus làbor Alcides; ſed enim aſpera Juno
Heroa immeritum dum grandine pulſat & imbri,
Non tantùm orbàvit clavâ, exuviiſque leonis,
Verùm & poplitibus nervos, humeriſque toroſa
Brachia divellit, fecitque ex Hercule monſtrum
Informe, ignaræque (nefas!) ludibria turbæ.
Aſt illum informem licet, & ſine nomine truncum
Miratum huc Ararim veniunt, Rhenumque bibentes,
Et vivos illinc diſcunt effingere vultus.
Cetera quid memorem? Nilum, Tybrimque parentem
Spirantes docto in ſilice, Eridanumque Tagumque
Nativo fulgentem auro, Gangemque ſuperbum
Eois opibus, quos omnes dædala, & ipſi
Æmula Naturæ finxit manus? Hîc habitant Dii.
Aurato hîc Phœbus percurrit pectine chordas:
Hîc gelidam fundit proles Semeleïa lympham,
Pocula, deliciaſque tuas: hîc otia degunt
Mercuriuſque, minaxque rubenti caſſide Mavòrs,
Et magni Æneæ genitrix, & candida Phœbe,
Omnes aut Divi, aut Divûm genus: unaque deerat,
Quam ſtudiis, vultuque refers, factiſque, Minerva.
Huc & Alexander (Fabium tunc nomine dici

Audieram) indocti fugeret cùm murmura vulgi,
Nobiliumque manus juvenum comitata ſolebant
Ferre pedem, hîc triſtes animo deponere curas,
Dulcia ſecuræ ducentes gaudia mentis.
Vidi ego, & in cubitum ſurrexi oblita doloris,
Inceſſumque viri obſervans & lumina, dixi:
Aut Babylon ignara ſuturi; aut hic erit, hic vir,
Olim qui Latiam regnando reſtituat rem,
Qui veteres artes, & ſæcula priſca reducat,
Irataſque pio componat fœdere gentes,
Quamquam animi flecti indociles, & vulnera tactu
Crudeſcant, medicamque manum impacata recuſent.
Quò properas? ne, Diva, oculis te ſubtrahe noſtris:
Namque ego te rerum ſeriem, eventuſque docebo,
Qui ſuper heroum ſedes, ſuper æthera tollent
Nomen ALEXANDRI, ſub mortem plurima quando,
Et longè faciem venientis cernimus ævi.
An te proxima ſilva trahit, ſtudiumque ferarum?
Non ibi torvus aper, non duris unguibus urſi,
Quos jaculo cecidiſſe tuo ſæpè horruit Arctos
Utraque; ſed cervi imbelles, capreæque fugaces,
Pictarumque cohors non invadenda volucrum.
Quin etiam caſus, & mors ingloria ab altis
Imminet arboribus: nam quæ nux pinea curvo
Strata jacet campo, Satyros quam ludere circùm,
Metirique vides thyrſo, ſuâ ab arbore nuper
Decidit, & magno tellurem perculit ictu.
Adde, quòd incluſus Boreas, Euruſque, Notuſque,
Et quotquot ſævis agitant plangoribus æquor,
Illâ turre fremunt everſuri omnia latè:
Quamvis ſub tanto cohiberi Principe venti
Non indignentur, veniantque ad juſſa volentes,
Jam-

Jamque parent iterum Scythicas illidere puppes
Leucatæ. Ah diram Leucatam & conſcia luctus
Saxa mei! heu dolor, heu cladis monumenta nefandæ!

IMMINENTE JAM AUTUMNO INVITAT AD RUSTICANDUM.

Recitatum in Academia Humoriſtarum.

PAter Quirine, tuque Mater urbium,
Strepente ſemper æſtuans negotio,
Diu valete; tuque lympha nobilis,
Ubi erudita Pallas ora proluit,
Paterque Phœbus aureum lavit caput.
Vocant enim beata ruris otia,
Choruſque mollis innubarum Oreadum,
Ioque Bacche, Mœnadum frementium,
Quibus reclamat ore Bacchus ebrio
Caput corymbo amictus, atque pampino
Decora vinctus implicante cornua;
Bibamus, eia, tempus, eia Mœnades.
Eamus ergò. ſeu vetuſta Tiburis
Juvat videre tecta, ſive Tuſculum.
Sed omnis antè cura acerba pectoris
Recedat uſque ad ultimam Britanniam,
Laborque durus inquietus exulet.
Amor ſit unus, una cogitatio,
Carere amore, cogitationibus.

Eminentiſſimo Principi

BERNARDINO CARDINALI SPADÆ,

Ineunte anno M DC LI. *bene precatur.*

O Pars altior inclyti Senatûs,
Cujus Romula gens ab ore pendet
In lætis ſimul, arduiſque rebus,
Noſtri præſidium decuſque ſæcli,
Qui patrocinio tuo fideli
Omnes ingenuas tueris artes,
Artes ingenuas adeptus omnes;
Vultu illo excipe blando, amabilique,
Quo tamquam in ſolio ſuo renidet
Majeſtas Latii, decorque priſcus,
Propenſum obſequium meæ Camœnæ,
Dum Jani redeuntibus Kalendis
Vota concipit, aureoſque ſoles
Tibi, ac Neſtoreos precatur annos.
Dexter atque utinam Deus ſecundet,
Quæ cum ſolibus aureis Camœna
Et cum Neſtoreis precatur annis.

Aulæa à fulmine illæſa, aureo tantùm limbo correpto.

AUrum corripuit fulmen; nil cetera læſit.
Non aliàs cecidit juſtiùs ira Jovis.

Faber ferrarius diurnum quæſtum ſcenicis ludis impendens.

POſtquam laſſavit miſeros incude lacertos
Forcipibus verſans æra recocta faber,
Scenica ridendi ſtudio ſpectacula quærit,
Quoſque locat populo mimica turba jocos.
Hinc cœna infelix torquentes lumina cepæ:
Sic illi riſus vertitur in lacrimas.

Cùm inhabitaret cubicula, quæ ſunt in fornice Vaticano.

QUas imminentes fornici vides curvo
Ædes inæquali ambitu, ſed arcano
Sacras receſſu, hortis virentibus lætas,
Miroque hyeme mediâ tepore vernantes,
Me ſumma Principis benignitas juſſit
Incolere; me, qui nuper improbæ nutu
Sortis reductum in angulum relegatus,
Quà bubo, quà diræ ſtriges catervatim
Ferale ab altis carmen integrant nidis,
Longè à ſodalium atque ſolis aſpectu
Vitam in tenebris ac timore ducebam.
Succede tectis hoſpes, & loci felix
Genio fruare, dum recolligis vires,
Quas longa paſſus mille porticus fregit.
Hîc Phidiæ non ſigna, non Apellæas
Tabulas require: non teguntur aulæis,
Tyrio nec oſtro ſplendidi lares fulgent;
Sed omnium inſtar vultus eſt ALEXANDRI.

AD ALEXANDRUM VII. PONT. OPT. MAX.

Ineunte Pontificatus anno quarto.

NOn indigna Tui canerem nunc, Maxime Princeps,
Sed cohibet juſtus me, retinetque pudor.
Nam recolens lucem, Tibi quæ dedit Orbis habenas,
Natalem celebrat noſtra Thalia ſuum.

AD VILLAM PERETTAM IN AGRO TUSCULANO,

Cùm Flavius Chiſius S. R. E. Cardinalis lentâ inibi febri detineretur.

VIlla decus Latiæ telluris, candida Villa,
Credita cui domini vita ſaluſque mei;
Salve ô depoſito felix, & pignore tanto
Factura egregiis urbibus invidiam.
Quòd ſi quàm felix, ſi quàm formoſa vocaris,
Vis quoque tam nobis dicier eſſe pia;
Redde illum precibus tandem mitiſſima noſtris,
Et Romæ aſſiduis vocibus incolumem.
Spes fuit, his Juvenem recreatum dulcibus auris
Non multos intra poſſe valere dies.

Urbis

Urbis propterea grave murmur, & aëra lentum
  Deſerüit, cœlo poſthabuitque tuo.
Irrita ne facias quæ tu ſperare jubebas;
  Sed fac quod medicæ non valuêre manus.
Omnia præſidia, atque artem conſumſimus omnem:
  Morbi evellendi nulla relicta via eſt.
Secta bis ardentem venis fudêre cruorem
  Brachia, nec pedibus ſæva pepercit acus:
Non tamen idcircò penitùs deferbuit ardor
  Indomitus: per enim viſcera ſerpit adhuc.
Omnes experti ſuccos, quos Appula tellus,
  Pinguibus & venis India dives alit;
Non tamen Appuliæ, nec quos alit India ſuccos
  Attulerunt, ægrum quæ relevaret, opem.
Nil non tentatum nobis: nil profuit ægro:
  Quæque juvat cunctos, huic fuit herba nocens.
Hæret adhuc ſiccis vis morbi infixa medullis,
  Neſcius & ſtomacho cedere languor iners.
Jamque dies illum decies, heu! quinque jacentem
  Lectulus ingrato detinet hoſpitio.
Scilicet eſt illi ſedes inviſa quietis,
  Pluma gravis miſero eſt, ipſaque dura quies.
Nos verò intereà, Flavi cùm poſceret ægri
  Lapſa valetudo publica damna queri,
Colle ſuper viridi, nigraque ſub ilice lenti
  Ludimus imparibus carmina juncta modis.
Et nunc inſidias avibus, nunc tendere damis,
  Nunc juvat Albanos currere lintre lacus.
Ire nec aërii piget ad faſtigia montis,
  Unde humiles terras cernimus, & maria.
Sæpè ſuburbanas amor eſt luſtrare ruinas,
  Quæque jacent veterum tot monumenta virûm.

Atque hîc obliti curarum, Urbiſque laborum,
Dicimus: O hominum gloria, ſpeſque breves!
Vivamus dùm fata ſinunt, dum ſanguis & ætas
Firma: venit celeri cana ſenecta pede.
Inde ſuper mensâ diſcumbitur ordine longo,
Et loquimur multo libera verba mero.
Me tamen hæc inter domini languentis imago
Admonet in magnâ vivere triſtitiâ;
Nec tantùm precibus Divos onerare, ſed ipſis
Ferre jubet ſaxis vota preceſque dolor.
Tu noſtro, tu, Villa, precor, ſuccurre dolori:
Iſtic jam luces bis jacet ille novem.
Pallor eat, macieſque omnis procul, & mala febris
Deſinat alterno corripere oſſa gelu.
Fac redeat pedibuſque vigor, ſenſuſque palato,
Occupet & totâ lumina nocte ſopor.
Fac revocent vires excuſſo membra veterno,
Floreat & læto priſtinus ore color.
Sic tibi ne pinguem lædant mala gramina meſſem,
Nec timeat ſiccos vinea culta dies.
Sic quæ perpetuò velat nebula improba Romam,
Exulet æternùm finibus illa tuis.
Sic triſtes hiemes, & fœtos grandine nimbos
Jupiter intactis arceat arboribus.
Sed, cùm opus eſt, placidum demittat ab æthere, ſenſim
Qui ſole arentem temperet imber humum.
Ipſa tuos colles vivaci Pallas olivâ
Veſtiat, & Baccho certet amica Ceres,
Quique coloratos reditum meditatur ad Indos
Pomorum nullo vinctus honore caput,
Hinc legat Autumnus ſemper ſibi poma, ſuaſque
Conferat huc omnes fertilis annus opes.

Præ-

Præstereà ſi fama tibi, ſi gloria cordi eſt,
Villarum fies tu quoque nobilium.
Nam tibi munera læta, tibi annua ſacra feremus
Inſtructi citharâ, carminibuſque ſacris.
Huc ego cum Muſis Parnaſſia templa potenti
Carmine traducam, Pieriosque lacus.
Hîc ederæ ſurgent, hîc laurus digna Poëtis,
Hâc ſe victores cingere fronde volent.
Tunc tibi Telegoni cedet locus omnis, & udo
Quotquot ſpectantur Tibure deliciæ.
Cedet & ipſa Paphos, ſemperque virentia Tempe,
Et fies hortis notior Alcinoï.

AD
FELICEM ZACHIAM,
In funere
NATALIS RONDININI FILII.
Ex Albano ſeceſſu.

SEcretæ nemorum valles, mutique receſſus,
Et deſerta loca, & taciturna querentibus antra,
Quæ priſcos habitaſſe ferunt (& credere dignum eſt)
Mortales, ſine lege pios, ſine meſſe beatos,
Accipite hos ægro proruptos pectore queſtus,
Quos pietas, quos æger amor, luctuſque requirunt.
Et vos frondoſo ſurgentes vertice fagi
Me ſinite, erepti lugentem funus amici,
Illius æternum veſtris incidere nomen
Corticibus: meus hîc ſaltem, dum ſtabitis, unà

Vivet amor, luctuſque mei monumenta manebunt.
Me ſinite hîc viridi carmen, lacrymabile carmen,
Triſtibus ad citharam numeris diſperdere in umbrâ,
Quod recinant, qui ſe querulis ſolantur avenis.
Dulce queri miſeris: dedit hoc natura levamen.
Hoc animi, quæ vix umquam coitura putares,
Vulnera dictamno curat, mulcetque dolorem.
Plorat Ityn Progne; conſortem turtur ademtum;
Cæyca Alcyone; caſum Phaëthontis olores.
Scilicet & mœſtis implet nemus omne querelis.
Flebiliter quærens abſentem bucula matrem:
Et nunc hæret inops animi, nunc arrigit aures,
Si quà fortè procul crebris mugitibus inſtet,
Errantem admonitura ſui: nunc acta furore
Dat gemitus incompoſitos, & in avia fertur,
Terror Hamadryadum, ſtrageſque miſerrima ſilvæ.
Illa peregrinum, natorum oblita, juvencum
Per ſaltus ſequitur, vel feſta altaria circùm
Flore revincta caput magnis cadit hoſtia Divis.
  Juſta quidem caræ jampridem ſolvimus umbræ:
Nec cineri amplexus, largus nec defuit imber
Funeri, ubi caſu perculſi, ac vulnere primo.
Sed præſtans animi Natalis, & indole pulcrâ,
Conſtantique fide primis mihi junctus ab annis,
Triſte ſui deſiderium luctumque reliquit.
Ut me nulla dies ſolari, nulla queat res,
Cogar & in longos abſumere lumina fletus.
Ergò ſive aperit rebus lux alma colorem,
Sive aufert, umbrâ involvens nox humida terras;
Dilecti manes, dilecta occurrit imago,
Pallida, languenti violæ, vel grandine tacto
Narciſſo ſimilis, frigentique ore videtur

Oſcula

Oſcula ferre genis, & brachia tendere collo
Cara meo, qualem ſupremo in funere vidi;
Cùm jam frigida mors oculis induceret umbras,
Me quærentem oculis, & pectore ſingultantem.
Cùm Fernandus, amicitiæ pars tertia noſtræ,
Aſtaret lacrymans; ſancto mox cedere juſſis
Officio lacrymis, Superos in vota vocaret,
Difficileſque obitus, animamque exire parantem
Cælcſti firmaret ope, ac prece fervidus omni.
Hæc rerum ſpecies animum nocteſque dieſque
Infelix ſubit; hæc ſenſus mî ſurripit omnes,
Nec ſinit à triſti curâ requieſcere mentem.
Nam neque Caſtalides, mihi dulcia nomina quondam,
Quæ me illi ad laudem comitem, quamquam impare greſſu,
Addiderant, & amore pio, paribuſque ligarant
Auſpiciis, poſſunt miſerum lenire: nec ipſe,
Quæ relevent ægrum, Phœbus pater invenit herbas.
Cetera, quæ pariter quondam oblectare ſolebant,
Omnia ſunt ingrata: nihil juvat. Hæc loca certè,
Ipſe hic formoſi nemoris gratiſſimus horror,
Et fortunati gelidus fons graminis altor;
Ipſe lacus ridens, avium ſecura voluptas,
Sylvarum decus, & Latiæ telluris ocellus,
In lacrimas queſtumque trahunt. Hæc ille ſolebat
Mecum animis, ſtudioque pari loca adire quotannis;
Hîc pariter mecum fugientes condere ſoles
Alloquio dulci, curarum oblitus, & Urbis.
Hæc illi regio dilecta: hîc ſæpiùs illum
Naïades pulcræ, pulcræ ſtupuere Napeæ,
Caſta Philetæis ſociantem carmina chordis.
Non tamen aſtrorum curſus, non abdita terris

Pro-

Prodigia, aut ortus ventorum, vel maris æſtum,
Omnia adhuc hominum ſtudiis ignota, canebat;
Sed Chriſti Heroas, immoto barbara vultu
Supplicia expertos, ignominiaſque Tyranni;
Sed laudes Superûm, & diæ virtutis honores,
Quæque docet verax, & fallere neſcius Auctor,
Humanâ majora fide penetralia rerum.
Inde ad ALEXANDRI deflectens inclyta facta,
Commemorabat, uti Saturnia ſæcla redirent,
Et probitas, & ſancta fides, jam Præſide terris,
Qui ſciret regni hanc molem non ære, nec auro
Stare, nec arte hominum, ſed relligionis amore,
Sed virtute animi, & veterum pietate parentum.
Illius auſpicio Latiis è finibus actam
Eſuriemque gravemque luem; decora addita templis;
Reddita virtuti ſua præmia; reddita Muſis
Otia, & erectas artes: illoque ſequeſtro
Venturam populis poſt triſtia bella quietem.
Omnia, quæ ſummi quondam præſaga Dei mens
Cùm fore proſpiceret, noſtræ miſerata labores
Gentis, ALEXANDRO mandaſſet fulmina, & orbis
Imperium, quamquam magnis virtutibus impar.
Talia non ficto referebat carmine vates,
Si quando à gravibus curis, ſtudiiſque ſeveræ
Palladis, & doctis animum revocaret Athenis,
Rudera vel Latii, & priſci monumenta Senatûs
Luſtrabat, veterum gaudens inciſa metallis
Ora virûm, & ſculptas à tergo noſcere pugnas,
Gnarus & armorum. Nemo nam certiùs illo
Norat, quæ belli ratio circumdaret urbi
Mœnia, quæ victrix aperiret machina muros.
Illum ego ſæpè equitum ſtantes peditumque maniplos,

Et

Et pugnæ inſtructas acies, & Martia caſtra,
Præliaque in docto ſcribentem pulvere vidi.
Tune igitur dulces auras, & dulcia noſtræ
Pignora amicitiæ, tantarum in limine rerum,
Deſeris, inque tuo ſurgentes nomine cunctas
Spes Latii perdis? nihil ergò ars docta medentûm,
Nil herbæ valuere? nihil flos vividus ævi?
Nec fratrum te cura vigil, nec ſedula mater,
Nec dilecta Deo ſoror eripuere periclo?
Utque tuas parco delibem carmine laudes,
Non tua te pietas, non culta altaria, non te
Candida mens animi, aut doctæ facundia linguæ,
Non vis ingenii præſtans, & ducta per omnes
Ingenuas artes, leto ſubduxit acerbo;
Cùm gentem innumeram, telluris inutile pondus,
Non niſi poſt ſeram mactet Libitina ſenectam?
O ſemper damnata pati fata aſpera virtus!
Vidi ego perjuras, prædæque nocentis onuſtas,
Poſt longos pelagi errores, caſuſque per omnes,
Incolumes tamen ad patriam remeaſſe carinas:
Naufraga cùm gemeret puppis, quæ litore ab Indo
Tunc primùm niveis pacata per æquora velis
Ibat ovans, Divûmque aris pia thura ferebat.
Intereà caſum ingemuit Romana juventus,
Faſſa ſuum decus extinctum: ingemuere relictæ,
Et tibi ferali crinem cinxere cupreſſu
Pierides, fluvioque dolens Tiberinus ab alto
In mare viſus aquis Tuſcum dilabier atris.
Ipſum etiam dolor invictum tot caſibus, ipſum
Flexit ALEXANDRUM, lacrimiſque in funere crudo
Pænè profanari cæleſtia vidimus ora.
Quippe acre ingenium Pater æquus norat, & altæ

Semina virtutis, patrioque fovebat amore.
Nimirum ille, ſacro ſolium ſtipante Senatu,
Principibus, te vate, dabat reſponſa benignus,
Voce tuâ ſolitus populos armare fideles,
Sive laboraret Venetus, ſeu triſtis Enyo
Verteret Helvetiam, ſeu bello aſſueta nefando
Suecia Sarmaticos vaſtaret milite campos.
Sed jam ceſſet inops dolor infelicia verba
Fundere. Tu felix, Divorumque unus, Olympi
Securâ de parte, nigris Aquilonibus actam
Serpere ſacrilegam, populoſque exurere flammam,
Perque omnes volitare vides bella impia terras,
Pauperiem circùm, miſeraſque ferentia clades.
Indè hominum genus, & caſuras deſpicis urbes
Altior invidiâ, & Regum capita ardua calcas.
Quod tibi, ſi celſam mortalis gloria mentem
Tangit adhuc, non tu tabulis, nec marmore Lunæ,
Æreve, quod Siculis miſcent Cyclopes in antris;
Sed merito ipſe tuo, & vatum ſacrabere chartis.
Illa ruunt ævo tandem conſumta, vel igni:
His Lacheſis, rerumque vices, & fulmina parent.
Nempè tuum poſthac nulli violabile fato
Illorum fidibus vivet decus: hi tibi famam
Longiùs extendent vitali carmine, quàm ſi
Marmore de Libyco, aut Ephyreio duceret ære
Graia tuam manus effigiem, vel barbara moles
Ægypti ad cælum ſaxis audacibus iret,
Inſanus labor & ſolamen inane ſepulcri.
Quin etiam (qui rarus honos) tibi Belgica plorans
Sollemnes ſtruit exequias, & funera Clio:
Carminibuſque ſacris inſcriptas litore in illo
Pyramidas ſtatuit, laudum monumenta tuarum,

Æternùm manſura; licet ſæpè illius oram
Litoris implacidum latè voret æquor & urbes.
Sed neque me immemoris, ſi vera recepit Apollo,
Arguerint animi venientia ſæcula: nomen
Quippe tuum, noſterque dolor, lacrymæque manebunt.
Nec tibi quæ mœſta inferias, ac debita mittit
Munera ALEXANDRI multùm ſublata favore,
Iverit ad ſeros ingloria Muſa nepotes.
Tu verò Latias inter clariſſima matres,
Atque olim numero doctarum addenda ſororum;
Urbis honos, Felix, lacrimis abſiſte profanis:
Neu nati turbare velis ingrata quietem.
Cùm Vaticanam facerem pullatus ad aram,
Servari quâ certa fides oſſa inclyta Petri,
Et requiem dulci, veniamque precarer amico,
Reddita, vel mihi viſa ſacro vox reddier antro:
Dic bona verba: procul feralia vota, ſacerdos.
Jam pridem cœtu Superûm, ſolioque receptus
Egregius juvenis: ſcelerum vix flamma piatrix
Diſtulit æternæ pereunti gaudia vitæ.
Nunc ille ætherio graditur ſpectandus in oſtro;
Effigiemque Dei, cujus fulgore beantur
Cæleſtes animæ, multùm ſub imagine pulcri
Quæſitam in terris, manifeſtâ in luce tuetur.
Jam cælo apparet medio, ſiduſque benignum
Collibus affulget Latiis, & lumine certo
Signat iter, quo niſa polum ſubit ignea virtus.

Cùm

Cùm ad Aram Apoſtolorum in Vaticano novus Sacerdos primam hoſtiam Deo offerret.

SI te faſſa graves mortalia corda labores,
Tactaque non fictâ relligione movent,
Magne Deus, lacrimâque dolor tibi ſupplice victor
Iratam exarmat fulmine ſæpè manum;
Reſpice, meque tuæ trepidantem accumbere menſæ
Ipſe tuâ in ſanctum duc penetrale manu.
Immunem poſthac animum ſervabit ab omni
Labe Calix, ſuccis qui ſcatet æthereis.
Sic mihi fas illinc potare oblivia rerum,
Quas avido appetiit gutture noſtra ſitis.
Si fallo, feriat læſas me fulmen ad aras,
Nec dantem pœnas pallia ſacra tegant.
Si fallo, ſubito mihi terra dehiſcat hiatu,
Tuque preces ſurdâ ſupplicis aure bibas.
An violare nefas legem cum quolibet icti
Fœderis, atque hominum ſit mihi ſancta fides,
Pro quâ nil verear Siculis occurrere flammis,
Et media impavidum pectus in arma ruat;
Quæ tibi præſenti tactis juravimus aris,
Ferre leves patiar irrita verba Notos?
Mox aderis niveum cruſti concluſus in orbem,
Me pavido arcanas ore canente notas:
At tibi ne grave ſit noſtris ſuccedere tectis,
Sint licet innumeris hoſpita criminibus.
Quæ genio, & menſis vaſa aſſuevere profanis,
Sæpè vides aram ponier ante tuam.
Multa, quibus coleris, cæcis mortalibus olim
Templa Paretonios exhibuere Deos.

For-

Forſan & hic cineres ſervans locus, oſſaque magna
  Heroum, arcano quos habet urna ſinu,
Vel ſcelerum addictus pœnis, rudibuſve Latinis
  Infandâ fuerat relligione ſacer.
Hîc veteres ſiſto exuvias novus hoſpes, ut Inda
  Surgit odoratis ales ab inferiis.
Triſtes exuviæ, vitæ miſeranda peractæ
  Effigies, animo luridaque umbra meo!
Sic horret maculas, nuper quas exuit, anguis,
  Atque ipſum infelix terret imago ſui.
Hei mihi! primævæ faciem, caſuſque juventæ
  Dum tuor, & dubiæ cæca pericla viæ,
Quo ſurgunt horrore comæ! quàm frigidus artus
  Sudor, & occultum permeat oſſa gelu!
Talis, naufragium paſſus grave, reſpicit altum
  Æquor, & in ſicco navita pallet adhuc.
Quòd ſi ille, impatiens inopem traducere vitam,
  Subducit quaſſam, reſtituitque ratem,
Tempeſtate iterùm, & caſu doliturus acerbo,
  Denique Carpathiis præda futurus aquis:
Vos ô adeſte mihi, Superi, vel tu mihi nigras
  Injice caſuro Mors, precor, æqua manus.
Me tantas evectum ad res, tot honoribus auctum
  Æquo animo juvenem tollere fata feram.
Jam mihi, florentes ex quo malè perdimus annos,
  Ter decimam ſupra tertia fluxit hyems.
Pars igitur vitæ melior, luciſque peracta eſt;
  Quamprimùm incipient membra caduca mori.
Et jam (me miſerum!) procul apparere ſenecta
  Incipit, antiquum ſtipite fulta latus:
Hanc Morbi, triſtiſque Metus, Curæque ſequuntur,
  Quorum agmen claudens Mors quatit atra facem.

Et nunc quòd vivo, quòd ſpiritus hos regit artus,
Munus id, ô Cuſtos Aliger, omne tuum eſt.
Pars ea noctis erat, quâ ſolvere pectora curis
Incipit, & pigro ſpargere rore ſopor;
Ecce Quirinalis nec opino murmure tractus
Intremit, hortorum ſeptaque lapſa ruunt.
Dumque ruunt, ſimili ad terram traxere ruinâ
Secum unà ſtantes è regione domos.
Quòd niſi viſum eſſet Superis ſervare nocentem,
Hos ego debueram tunc habitare lares.
Sæpiùs infelix tectum, multùmque popoſci,
Nemo & poſcenti dixerat: Æqua pete.
Non tamen exiguos exoravere penates,
Apta vel æratas verba movere fores.
Quique omni facilis fuerat mihi tempore, durum
Hac in re ſenſi, difficilemque virum.
Ergò ut viſa loci facies, disjectaque ſaxa,
Dirigui: cecidit vox, ſteteruntque comæ.
Nam mihi ſum viſus pars illius eſſe ruinæ,
Et dici à populo prætereunte miſer.
Tum mihi viſa parens cadere exanimata dolore;
Mox hæc ſingultus inter anhela loqui:
Hæc igitur de te miſeram ſperare jubebat
De rebus toties fama ſecunda tuis?
Tune jaces ſubitâ diſcerptus, nate, ruinâ,
Quem ſuevi columen ſæpè vocare meum?
Sancta, quid in veſtras tantùm commiſimus aras,
O mihi perpetuâ Numina culta prece?
Nate jaces? nec te genitrix deſerta videbit
Ampliùs? ah diro funere rapte mihi!
Scilicet hoc magnis eſt inclareſcere factis:
Huc te mortalis gloriæ adegit amor.

Nonne

Nonne fuit ſatius vota inter cara tuorum
  Ignotum patrio conſenuiſſe lare?
Quod ſi tollere te juvenem, mediumque ſecare
  Debuerat vitæ ſtamen acerba dies;
Ipſa tibi ſaltem clauſiſſem lumina: ſaltem
  Veniſſes oculis lætior umbra meis.
Infelix! & adhuc vivo tibi, nate, ſuperſtes?
  Et meus, ut moriar, non habet arma dolor?
Hæc ſuper extincto fudiſſet perdita nato,
  Quæque ſolent matres dicere verba piæ.
Intereà Superis tanto pro munere grates,
  Debitaque æterno ſolvere vota Deo
Attonitus caſu meditabar. Cetera noſti
  O Loiolææ gentis, Oliva, decus.
Tu, quem acri ingenio, & laudis nullius egentem
  Ipſa ſuo Pietas imbuit eloquio,
Juſſit & auguſti moderantem frena theatri,
  Ad templi Proceres ignea verba loqui.
Tu mihi cæleſtes monitus, & dicta reportas:
  Hæc ego jam miles, te duce, caſtra ſequor.
Te duce monſtra Erebi vici, nexuſque reſolvi;
  Fas eſt victorem ferre trophæa Jovi.
Irarum fibræ, fractique Cupidinis arcus,
  Pendebunt ſancto Teiaque plectra tholo.
Jam mihi, quò tenues umbras, & cæca viarum
  Diſpiciam, præfert lampada Dius Amor.
Ille ſuas etiam nobis accommodat alas,
  Unde humili poſſim me quoque tollere humo;
Ireque trans cæli metas æterna tuentem
  Gaudia, mortali non referenda ſono.
Quòd me ſiqua trahent terræ contagia, ſiqua
  Subjiciet cordi dira cupido faces;

Te, CHRISTE, amplectar, lacrimiſque tepentia ſupplex
  Figam ſacratis oſcula vulneribus.
Illa dies ſubeat; quâ te Judæa per omnes
  Traductum pœnas extulit exanimum:
Cùm medio Phœbûs defecit in æthere, & ipſum
  Fœdavit tenebris nox adoperta caput:
Seu totum involvit nigrâ formidine mundum;
  Seu tantùm vultus, impia terra, tuos.
Impia, quandoquidem robur fatale tuliſti,
  Unde Sator rerum triſte pependit onus.
Tune refers ſpinas, tibi qui dat poma benignus,
  Et gravidas vites, & ſata læta facit?
Tune tuis ferrum foviſti immane latebris,
  Divinum potuit quod penetrare latus?
Et meritò, ſcelerum tantorum conſcia tellus,
  Indigno vivis ſubdita ſervitio:
Jordaneſque (nefas) ſacer ille argenteus amnis,
  Et Silois collo turpia vincla gerunt.
Quodque nefas auget, tumulo, qui vicit Avernum,
  Obſcœni inſultant, Thracia turba, canes.
Heu pudor Heſperiæ, ſæclique infamia noſtri!
  Degener à proavis tuque juventa tuis!
Scilicet æternis Europam involvere bellis,
  Urereque immeritos gloria major agros.
Intereà miſeris Pax ſuſpirata côlonis
  Exulat, & Latium vix tenet ægra ſuum.
Ter ſedare faces belli conata; ter illi
  Abſumſit pennas bellica flamma ſacras.
Hinc meritò luget, nec adhuc ſe candida Virgo
  Audet ALEXANDRI proripere è gremio;
Quò Chriſti pariter ſignatas nomine gentes
  Mittat in æternæ fœdus amicitiæ:

Armaque bellantûm civilia vertat & iras
Threïciæ tandem gentis in excidium.
Nunc quando alternas in clades armat Erynnis
Chriſtiadûm, oblitâ relligione, manus;
Nec Venetis longo fractis certamine quiſquam
Audet ALEXANDRUM ferre ſecutus opem:
Tu, Melite, Odryſio nomen fatale Tyranno,
I celer, & Latiis puppibus adde tuas.
Helleſpontiacas audax invade procellas,
Infer & Euxino candida ſigna mari.
Barbaricos latè ferro luſtrate receſſus,
Et Scythicâ puppes clade referte graves.
I, decus Europæ, pubes aſſueta triumphis:
Gloria vos illuc non moritura vocat.
Placati nobis invertent Thracibus Euri
Æquor, & in Syrtes impia vela ferent.
Auſpice ALEXANDRO ſolvat pia litore claſſis:
Fuderit hæc hoſtem, fundet ut ILLE preces.

IN
PHILOMATHIS
MUSAS JUVENILES.

TAndem pudori pone modum tuo
Faſſuſque vultus exere. Tu licet
Et nomen occultes & ortus,
Dicere quem prohibebis; *Hic eſt?*
Laus una vatum nomina fortium
Flectente Ditem tollere barbito
Ab jure Parcarum; ſed ipſos
Muſa mori vetat æqua vates.

Te ſama Thule novit ab ultimâ :
Te ſpreta prodit gloria : te colit
Germana pubes : te canentem
Itala jam celebrat juventus.
Seu ludis arguto pede ; ſeu tubâ
Majora pandis ; ſeu lacrymabili
Sublimis incedis cothurno ,
Dum Pharium ſcelus in ſeveros
Producis actus ; ſive pericula
Dircæa tentas , Phœbus in ardua;
Terriſque limoſoque vulgo
Abripit impavidum relictis.
Latêre Virtus neſcia præpete
Sublime pennâ fertur , ut ignibus
Jungatur æternis. In auras
Nonne vides ut avita ſurgat
Quercùs vetuſto ſtipite nobilis ?
Nam ſub profundam quò latet altiùs
Demiſſa tellurem , ſupernas
Fronte ferit propiore ſedes.
Non illa cladem ſibila Thraciæ
Latura campis , damnave Pontici
Furoris , aut Cauri procellas
In ſegetem pavet irruentis :
Immota ſed ſe mole regit ſuâ ,
Annoſa centum brachia proferens ,
Thracumque ſuſtentat cruentas
Exuviis onerata clades.

VILLA FARNESIA IN JANICULO, AD PORTAM AURELIAM.

HOſpes optime, qui ſacros penates
Et læta ingrederis vireta, ſalve.
Illa hæc eſt regio beata, nomen
Cui Janus dedit, aureumque ſæclum,
Quò Curæ nequeunt graves ſubire,
Non Morbi, aut pede debilis Podagra:
Sed Pax candida, ſed Quies fidelis,
Et locum colit innocens Voluptas.
Hîc molles, Boreâ furente, mulcent
Afflatu Zephyri roſeta blando.
Hîc, cùm Sirius arva findit, ilex
Cubanti gelidam miniſtrat umbram.
Non hos inficiunt luto receſſus
Fontes turbiduli, graveſque ventri,
Quales finitimis ſcatent in agris,
Fœdarum ſoboles iners paludum:
Sed fruges alit uberes aquæ fons
Telluris ſcatebris petitus imis,
Vitro purior, & ſalubris hauſtu.
Hinc altâ nive candidum tueri
Soractem juvat, & rudes Sabinos:
Hinc Tibur vetus, Algidoque juncta
Albani juga, Tuſculoſque colles:
Hinc latè maria, Antiumque priſcum,
Et Circes vada carminum potentis.
Ac tandem ut redeamus, Hoſpes, ad nos,

Hinc totas licet æſtimare villas,
Queis totam licet æſtimare Romam.

AD
FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,
de Burda medico.

QUod, Fernande, ſuo vulgarit nomine verſus
Sarbievi, Burdam mitte redarguere.
Nam ſoleat cùm paſſim homines impunè necare,
Furari nullum credidit eſſe nefas.

Ineunte anno quinto Pontificatus
ALEXANDRI VII. PONT. MAX.

LUx rediit, lecto terrarum Præſide, felix:
Lux itidem Chriſti funere triſtis adeſt.
Altera Pierios plauſus amat, altera luctum:
Unde hæret tacitâ Calliopeia lyrâ.
At nos ſuppliciter lucem veneremur utramque,
Attulit afflictis utraque rebus opem.

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

Neapolim iturum.

ERgò agè felici diſcedas alite, quando
Ire apparas Neapolim,
Dulcis ubi æternùm ſpirat clementia veris,
Lætumque criſpantes mare
Floribus illudunt variis Zephyritides auræ,
Coluntque citrium nemus.
Multa quidem tibi Parthenope miranda ſub ipſo
Monſtrabit urbis limine,
Eductas cælo moles, atque aurea tecta,
Et ſigna Phidiacæ manus.
Sed tibi, quo tegitur tumulo, ſit cura videndi,
Maronis inclytus cinis,
Quem memorant (credi ſi digna eſt fama) furorem
Afflare ſacrum vatibus:
Quare ibi poſthabito caſtas Helicone Sorores
Fixiſſe manſuram domum.
Illæ te excipient venientem, ac fronte benignâ
Sic alloquentes audies:
O noſtris addicte ſacris, generoſa propago,
Tuæque flos Germaniæ,
Lætus ades, noſtroſque velis luſtrare receſſus,
Vatum feraces grandium:
Seu Surrentinos amor eſt inviſere colles,
Dulci virentes pampino;

Seu magis arridet pulcherrima Mergilline,
Dilecta Syncero domus;
Seu juga Pauſilypi pelago prætenta ſereno,
Quà cœrulæ Nereides
Sæpè leves ducunt choreas Tritona ſequentes
Curvâ ſonantem buccinâ;
Seu juvat irati tonitrus audire Veſevi
Latèque nigrantes globos,
Sparſaque per campos ambuſti viſcera montis
Candente merſos ſulphure.
Sed tibi ſcrutandi veniat ne dira cupido,
Quæ cauſa venis abdita,
Pabula inexhauſtis tot jam per ſæcula flammis
Tellure ab imâ ſuggerat.
Te miſeri ſubeat fatum crudele Secundi
Undante fumo hîc obruti;
Namque Deus, rerumque vices, venturaque fata
Latêre mortales jubet.

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM.

De nocturno bubonis cantu in Albano ſeceſſu.

QUòd carmen ferale canit ſub nocte ſilenti,
Triſtibus & bubo perſtrepit auguriis:
Ne nos ſollicitos teneat, Fernande, futuri.
Hic timor infantes, & leve vulgus agat.
Num quæ nec notis Babylon deprendit in aſtris,
Nec potis aſpicere eſt provida mens animi;

Sed

Sed ſibi ſepoſuit mortalibus invia curis,
  Celat & obſcurâ nocte premitque Deus,
Semiruto reſidens volucrum fœdiſſima tecto
  Efferet, attonitis fata canens populis?
Quæ ſit an hæc noſti, quibus orta parentibus ales?
  Accipe, & in riſum verte jocumque metus.
Nympha fuit Stygiis Orphne notiſſima pratis
  (Namque ſuas Nymphas, prataque Avernus habet)
Furva quidem, torvoque inamabilis ore: ſed atrox
  Forma decet Stygias, & color ille Deas.
Ergò illi tædâ jungi cupiere jugali
  Numina, quæ magni regia Ditis habet:
Elyſii cupiere Proci. Sed Numina Ditis
  Sprevit, & Elyſios Nympha ſuperba procos.
Sæpè Linus vatumque pater Muſæus, & Orpheus
  Aggreſſi duram flectere voce Deam.
Aggreſſi fruſtrà Linus, & Muſæus, & Orpheus
  Molliri blandâ neſcia corda prece.
Quippe ferox Hecatæ virgo ſacraverat annos,
  Infernas jaculo figere docta feras.
Fortè Acheron, incauta ſuæ dum margine ripæ
  It gravidam multâ cæde gerens pharetram,
Dirarumque ſtriges dirum genus Harpyiarum
  Sternit, agens forti ſpicula certa manu,
Nempe Acheron ſecuram animi, & nil tale timentem
  Obſervans, cupidis nexibus implicuit.
Amplexu ex illo concepit Nympha, novemque
  Menſibus exactis edidit Aſcalaphum.
Jamque annis puer addiderat duo luſtra duobus,
  Cùm petiit manes acta dolore Ceres:
Et: Mihi reddite, ait, raptam mihi, Tartara, natam,
  Unica quæ matris ſpes, ſoboleſque ſuæ eſt.

Red-

Reddite maternis, Erebi pia numina, votis
  Quæſitum toto pignus in orbe diu.
Munere terra meo fruges parit. Hæc mihi merces
  Redditur, ut ſterilis dicar, & orba parens?
Reddite: tuque redi. Quis te, Proſerpina, caſus,
  Vel qui te nobis eripuere doli?
Motus erat Stygius miſerandâ voce tyrannus,
  Et Cereris juſtis annuerat precibus.
Fata ſed ad cælum reditus immota negabant,
  Guſtaſſet Stygios ſi Jove nata cibos.
Punica nuper eam carpentem ex arbore poma
  Vidiſſe Aſcalaphum, nec tacuiſſe ferunt.
Interdicta via eſt: ſed teſtem Diva profanum
  Supplicio culpæ dicitur ulta pari.
Ter caput inviſum devovit carmine diro:
  Corpus Avernali ter madefecit aquâ.
Ilicet Aſcalaphus, contractis carmine membris,
  Vertitur in plumas, ſurripiturque ſibi.
In roſtrum nares, digiti ſinuantur in ungues,
  Brachiaque in pennas verſa abiere leves.
Turpe caput multùm, multùm cava lumina creſcunt,
  Vixque poteſt pigrum tollere corpus humo.
Ille hic eſt bubo, quem rerum ignara pavet gens;
  Tu ride mecum, qui ſapis, omen avis,
Weſtphaliæ flos, deliciæ; Fernande, Quiritum,
  Tempora cui lauro non pereunte virent;
Et mecum cape plectra manu, junctiſque canamus
  Carminibus ſilvas, ſilvicolaſque Deos.
Neu Romæ deſiderio moveare relictæ:
  Quidquid habet magni Roma, dat Alba tibi.
Hîc Pollinus, honos Graiæ Latiæque Minervæ;
  Holſteniuſque, Indis notus & Heſperiis;

Hîc Bandinellus; Tyrrhenæ gloria Muſæ;
 Et Phœbi geminâ Naldius arte valens;
Et carus Themidi ac Muſis Raſponus; & unà
 Vizzanus, Sophiâ clarus & ingenio:
Hîc decus Italiæ, & Romani Sfortia vindex
 Nominis; ac ſidus Nerlius, Arne, tuum;
Roſpilioſus & auguſti pars magna Senatus,
 Virtute egregius conſilioque Pater:
Hîc & ALEXANDER præſes, tutelaque rerum,
 Cui Deus ingenium par dedit imperio:
Et Patrui divina legens veſtigia magni
 Spes, & ſervatæ Flavius Urbis amor;
Pro quo debet ALEXANDRO res publica, quantum
 Propter ALEXANDRUM debuit illa Deo.
Ergò ſub hac mecum platano, Fernande, ſolutus
 Carmina jam Latiæ dic ſocianda lyræ.
Felix qui curis, & iniquo fœnore liber,
 Exercet bobus rura paterna ſuis,
Ordine nunc æquo gaudens diſponere vites,
 Nunc oleis ſobolem ſubſtituiſſe novam.
Interdum juvat arboribus decerpere poma;
 Interdum nemoris fingere falce comam:
Irriguoſque jugo rivos inducere campis,
 Cùm pluviam tellus poſcit hiulca Jovem.
Non illum vigiles curæ, non ſomnia turbant,
 Peſtis & humani pectoris ambitio:
Nec metuit fraudes, niſi quas caper improbus uvis,
 Aut parat è nimbo grando inimica ſatis:
Limina nec Regum trepidanti poplite calcat,
 Irati metuens damna ſupercilii.
O mihi ſi rupes has inter vivere detur!
 Sorderet rubri gaza colorque maris.

O ego

O ego dum poſſim tam leni veſcier aurâ,
Et liquidos fontes, & nemora alta ſequi;
Si qua mihi à Latiis ſperatur gloria Muſis,
Occidat, & venti nomen inane ferant.
Hæc ubi luſerimus, nos curis reddat & Urbi
(Jam ſatis arvorum eſt) præpete currus equo.

AD
FERDINANDUM FURSTENBERGIUM
in Albano ruſticantem.

EX humeris pendebat ebur, lætuſque parabam
Dicere Sarmaticâ confoſſum cuſpide Gotthum,
Oſſaque per campos immania, ſignaque templis
Barbara quæ patriis affigit victor, & ipſum
Ducentem proavos Caſimirum in prælia Divos:
Sed digiti torpent, & inertia reddere tantum
Fila negant, nulliſque calent præcordia flammis.
Scilicet Aönides mihi quæ dictare ſolebant
Carmen, Alexandrum, teque, ô Fernande, ſecutæ
Certatim, ſtrepitu inſano fumoque relicto
Urbis, Aricinos gaudent habitare receſſus.
Lucus ubi ſacer Hippolyto, quem rurſus in auras
Fabula Pæoniis revocatum credidit herbis.
His tu Telegoni claras monſtrantibus arces,
Albanumque lacum luſtras, qui ſæpe ſine ullis
Imbribus exuperans ripas, aut ſanguine multo
Decolor inſtantes clades, & fata monebat.
Seu fortis bellator, avoque ſuperbus Achille

Ar-

Arma recudiſſet recidiva in Pergama Pyrrhus;
Seu Latio fatale malum perrumperet Alpes
Hannibal, aut magno ruerent examine Galli.
Roma quidem hos olim domuit; verùm ipſa pavet nunc
Anxia, ne magni ſibi conſcia Principis Alba
Excitet antiquam litem, gentique togatæ
Auferat imperium in populos rediviva Latinos.
Nec minùs Ægeriæ fontem, qui lege feroces
Compoſuit veterum mores, & corda Quiritum.
Quà ſteterit ſus alba; ubi Troicus arſerit ignis,
Et Scythicæ quæris monumentum immite Dianæ.
Hæc fuerant noſcenda tibi, poſtquam ordine cunctas
Luſtraras miſerâ pendentes urbe ruinas,
Quas Hunni fecere, Hunniſque immanior ætas.
Nunc illæ revocant animos, & ponere turpem
Poſt tot luſtra ſitum incipiunt, triſtemque ſenectam
Exuere, ut quondam ſerpens, quem frigidus annus
Ventique pluviæque diu tenuere latebris,
Sole novo redeunte ferox, in gramine vivo
Emicat, & poſitis tollit ſeſe arduus annis.
Nec tantùm hæc oculis, verûm quoque pignora noſti,
Quæ Latià tellure latent incluſa cavernis
Relliquiæ, & veneranda virûm monumenta piorum.
Effluet illa animo nunquam lux aurea noſtro,
Quâ fido hærentem lateri, dextrâque prehenſum
Cui dignatus amicitiæ eſt me fœdere ſancto
Jungere, qui nutu ſuperis mortalia jungit,
Duxiſti magnæ ſubter penetralia matris.
Quos ibi Chriſticolæ luctus, quæ funera gentis
Vidimus! heu quot buſta virûm! qui ſanguine leges,
Et Chriſti ſanxere fidem cùm Numinis acti
Afflatu ſubiere rogum, vel fortia læti

Colla

Colla ſub immiti paſſim poſuere ſecuri,
Illa pati audaces quæ nec Mezentius author
Extuderat, nec qui furiis agitatus iniquis
Juſſerat in Siculò mortem mugire juvenco.
Quæ ne monſtra oculis hauriret Tybris, opacâ
Velaviſſe ferunt nebulâ caput. Ibat in ignes
Certa mori Heroum manus; indignante Tyranno;
Quòd paribus flammis unà morientis obiret
Læta viri in gremio conjux, & funus acerbum
Natorum ſicco ſpectarent lumine matres.
Multi etiam, poſcente fero ſpectacula vulgo,
Pavere Armenias tigres, aut dente leonum
Conſumpti vitam in mediis fudere theatris:
Ferales ubi nunc gemitus ſub nocte ſilenti
Sæpe exaudiri fama eſt, ac dira nocentûm
Supplicia, & portenta modis ululantia miris.
Hîc merita infandos exercet pœna Tyrannos,
Hîc Antonini lugent, ſævique Neronis
Maternâ exululant agitati lampade manes.
Nec tamen ætherei ſpectant quòd luminis auras,
Miteſcunt ideò pœnæ. Nam Tartara ſecum
Lugenteſque trahunt campos. It Cerberus ultor
Latratum ingeminans circùm, Diræque relictis
Titanum fibris, venientûm terga ſequuntur.
Aſt illi, magnis permixti Heroïbus, inter
Cæleſtes ignes aurata ſedilia complent,
Reſpiciuntque ſuam felici ſidere Romam.

LUSUS ALBANUS,

SIVE

PORTICUS VATICANA.

Ad Stephanum Gradium Raguſinum, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodem.

COllibus en iterum longæ conſedimus Albæ,
Mens ubi feſſa, velut Nilo huc advecta per altum
Nuper avis, gravibus reſpirat libera curis.
Salve Nympha lacûs vitrei: ſalvete receſſus
Fortunatorum nemorum, quò noſter Iolas
Ducere oves paſtum, paſtas mulcere ſolebat
Carmine, quod curvis habitans in vallibus Echo,
Cumque Echo nivei referebant carmen olores.
Noſtra quoque hîc olim juvenilis luſit avena:
Stridula avena quidem; tamen illam Principis aures
Dignatæ, atque ovium ſoliti laudare magiſtri,
Et, niſi fallit amor, Latio regnare ferebant.
Hunc tibi Pieridum luſum, Vatum optime, Gradi;
Soſpite quo, nunquam ſubito telluris hiatu
Mœnia verſa, & opes Epidauri ſtare putabo;
Offerimus magni quanquam leve pignus amoris.
Huc ades, & rudibus noſtris tua culta viciſſim
Carmina junge, graves animi minuentia curas.
Mox Graiûm ſtudia, & Sophiæ monumenta reſumes;
Utque voles, tetricæ ſtudiis Te redde Minervæ.
Urbs in proſpectu eſt. Pulcram dabit illa canenti
Materiem Vati, cum ſit pulcherrima rerum.

Multa quidem occurrunt oculis decora inclyta noſtris
Digna cani; hunc ſed præcipuum ſibi poſcit honorem
Quæ Vaticano dat ſe de colle videndam
Tercentum niveis moles operoſa columnis.
Hanc ego carminibus molem, ſi dexter Apollo
Magnanimos audit niſus, ſuper ardua Cyrrhæ
Inter odoratum lauri nemus, æmulus Orphei
Traducam, Auſoniis ſpectaclum dulce Camœnis.
Illæ ubi miratæ ſumptus, operiſque laborem
Immenſum, merito laudarint carmine ſaxa,
Artificeſque manus, incîdent marmore in omni
Nomen ALEXANDRI, quod nulla injuria, nulla
Vis abolere queat: Nam tempus & invida Clotho,
Et ſitus & caries, pomiſque nocentibus orta
Pallida mors, longè felicibus exulat arvis.
In medio ſimulacrum ipſi de marmore Lunæ
Conſtituent, quod Tarpeia ter in Arce quaterque
Ponere ſervati Cives voluêre merenti.
Sed renuit mortale decus, periturаque dona,
Atque unum hoc votis non annuit Ille Quiritum.
Res inopina trahet veteres ex ordine Vates,
Cognita qui famâ præſentes ora tueri
Gaudebunt, cupidi vultu cognoſcere in uno
Quiſque ſuum, floreſque novos, manſuraque magno
Serta ferent capiti, laudeſque & carmina dicent.
Poſtquam Arces Solymæ victor Romanus ab imo
Diruit, ac dudum ſceleratis debita terris
Supplicia explevit læſi ætheris ultor, & illud
Tot florens opibus quondam, luxuque ſuperbum
Regifico templum extremos conſedit in ignes;
Sanctius hoc aliud Latiis ſibi deſtinat oris
Æthereus Pater, & ritu meliore colendum,

Quo

Quo collectæ omnes utroque ab litore gentes,
Miteſcant animis, & verum Numen adorent.
Nimirum hoc animo reputans ab origine rerum;
Non ſolùm mare per vaſtum, per inhoſpita regna
Juſſerat huc Petrum ſolium transferre verendum,
Et Vaticano fidei primordia noſtræ
Firma locare jugo, cùm triſtia fata ſubiret
Prodigus innocui pro relligione cruoris;
Verùm etiam invictos animis, belloque feroces
Fecerat Æneadas, tuleratque in luminis auras
Scipiadas, Marios, acres & ad arma Metellos,
Sub juga qui Cimbros traherent, Garamantas & Indos;
Ut cum olim veterum lapsâ virtute Quiritum,
Sequana, & Albis, & infidi ſeptem oſtia Nili
Jura recuſaſſent ruptis Tarpeia catenis,
Ferre ſacrum Imperium, vellent pia vincula, dulci
Vi Superûm gentes, & relligione ſubactæ.
Ergo ubi poſt cædes atque effera facta Neronum
Ad ſecura gregem collegit ovilia Paſtor
Maximus, & Chriſti ſe Conſtantinus ad aras
Prodigiis actus cæleſtibus, amne piavit;
Condere manſurum, cæloque educere templum
Cura fuit, labor huc omnis conſumptus, & omne
Ingenium, quantumque artis rude protulit ævum:
Huc Arabum gazæ Numidumque exhauſta metalla:
Donec temporibus miſeris felicior ætas
Succeſſit, centumque hyemes perpeſſa malignas
Tybridis in gremio puppis Galilæa quievit.
Tum verò, veteris disjecto culmine tecti,
Julius antiquos animo prægreſſus Iulos,
Majus adortus opus, quod poſt tot luſtra, tot auri
Flumina ſudoriſque virûm diffuſa, peractum

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1898

Cernimus, immanemque tholum miramur & artem
Ignotam Proavis. Stat vaſto machina dorſo
Horribilis viſu: Nec ſolùm deſpicit omnes
Quot Latio ſurgunt nebuloſo vertice montes;
Sed ſuper aërias ſacrum caput extulit Alpes.
Deerat adhuc operi tanto par ambitu & arte
Porticus, in magni formam ſinuanda Theatri
Ante fores templi; ſed enim vix tempore priſco
Cæſaribus tentanda, togæ cùm paruit orbis,
Molibus & Latiis rerum eſt famulata poteſtas.
Unus Alexander ſæcli tutela ruentis,
Auſus ſe dignam regnante capeſſere laudem,
Regificaſque manus operi citus appulit, in quo
Septima jam ſudat magnis conatibus æſtas.
Ordine jamque pari ſurgens, paribuſque recedens,
Hinc atque hinc ſpatiis latè protenditur ingens
Porticus, inque orbem redeuntia brachia curvat;
Ceu curvat, fratrem fugiens argentea Phœbe
Cornua, vel chelas cæleſtis Scorpius aureas:
Apparent ſimili ſurgentes mole quaternis
Ordinibus, Divûmque ferunt ſimulacra columnæ
Arte pari, paribus ſpatiis diſtincta ſupernè.
Altera pars, quorum ſublimi in culmine contra
Partem ſtare aliam, & concurrere velle videntur.
Ut cùm ſe ad Scaldim, ripamve binominis Iſtri
Adverſæ ſiſtunt acies; ſtat utrimque paratis
Prælia depoſcens animis ærata juventus:
Vir viro, equi minitantur equis, inimicaque ſignis
Signa vides, ac tela micant contraria telis.
At parte ex illa, quæ templum adverſa tuetur,
Mole minor, formâ nec eâdem, terminat orbem
Porticus exterior, populoque utrinque relinquit

Ingentes aditus. Sic notus ad oſtia Macræ
Portus oliviferos curvato littore colles
Explicat, ingentemque ſinum maris inſula claudit:
Inſula myrtetis lætiſſima, quam Venus oræ
Accola Atlantæis avulſam fluctibus olim
Creditur hîc inſtar clypei poſuiſſe, tridentem
Neptuni contra, ſævumque Orionis enſem:
Quò dilecta ſibi regio, dum vertitur æquor,
Servaret placidam ventis ſecura quietem:
Triplex porticibus fornix includitur altis,
Amplior & ſanctos medius ſervatur in uſus.
Hîc verax, fictæ Cereris ſub imagine, Numen
Oſtendit populo celſa de ſede Sacerdos
Maximus, & ſuperis inſtaurat vota quotannis,
Agmine Lanigerûm ſacro, ſimul agmine ſacro
Linigerûm præeunte, modis, & paſſibus æquis;
Et poſt agmen utrúmque Patrum incedente ſenatu,
Hinc atque hinc, genibus poſitis ac ſupplice vultu,
Cardine terrarum gentes ab utroque receptæ,
Immotis cernunt oculis ſolemnia pompæ,
Inſolitoſque cient imo de pectore ſenſus,
Fáſſæ hic regnare, hinc populis dare jura Tonantem.
At campi in medio moles Ægyptia in auras
Tollitur, Alpheæ metas imitata palæſtræ.
Hæc immane latus magicis variata figuris
Littore Niliaco ſteterat devota peruſtis
Numinibus, nunc auſpiciis felicibus almum
Ad Tiberim noſtræ fert aurea ſigna ſalutis;
Ipſa quidem cùm cæſa putet nova Tiburis udi
Marmora, quò facerent ſibi ab omni parte coronam,
Lætitiæ cupit arcanos exprimere ſenſus,
Fatidicaſque notas ſæclis aperire futuris.

Sed ſpeciem auguſtam properatæ molis & artem
Egregiam mirata ſilet, collataque celſis
Porticibus tacitè ridet monumenta Seſoſtris.
Quattuor hîc magni vaſto ſub pondere anhelant
Linguam exertantes Ephyræo ex ære Leones,
Mentoris, aut docti ſpirantia ſigna Myronis:
Illorum effigies ſæclis metuenda futuris,
Quos Nero crudelis ludorum pavit in uſus.
Ah quoties juveneſque pii, caſtæque puellæ
Numinibus dum thura negant adolere profanis,
Dente fero vitam in mediis fudere theatris!
Qui tamen impavidi lethum ſubiere: necemque
Natorum ſicco ſpectarunt lumine matres.
A dextra lævaque pari diſcrimine & arte
Aſſurgunt gemini, Nympharum gloria, fontes;
Qui cæcum per iter longoque errore viarum
Advectas jaculantur aquas: It ad aſtra perenne
Flumen agens nimbos, tempeſtatemque ſerenam.
Inde ruit, niveâque cadens aſpergine circùm
Spargit humum pariter diffuſo rore; ſed ingens
Urna proculloſam ſubjecta recolligit undam.
Ergo hîc Nympha omnis crinem lavit, atque ubi cælum
Deſtituunt imbres, ex hoc Thaumanthias iris
Fonte bibit, radiiſque novis ornatur, & arcu
Gaudet ovans augere ſuo miracula Circi:
Propterea non ſolùm operis molimina tanti
Laudat ab extremo veniens Oriente viator;
Ipſa ſed attonitæ ſimilis miratur & hæret
Urbs, nihil in terris ævo mirata priori,
Ornatuque recenti & honoribus Amphitheatri
Lætatur, ceu ſponſa novo ditata monili.
Quin etiam hâc unâ compenſat mole ruinas

Anti-

Antiquorum operum, ſeptem quæ collibus Urbis
Strata jacent, quondam Imperii decora alta Latini,
Nunc ignominiis ignari obnoxia vulgus,
Tenuia vix veteris ſervant veſtigia formæ.
Sive illa exedit ſenſim longæva vetuſtas,
Aut peſſum inſultus terræ cælique dedêre;
Seu notos vultus Atavorum, & onuſta catenis
Colla recognoſcens titulis inſculpta ſuperbi
Victoris, ferro disjecit barbara pubes.
Magna quidem ſunt iſta tuæ, ter maxime Princeps,
Facta manûs; ſed Muſa tuas hoc ducere laudes
Fonte negat: majora vocant, quibus illa canendis
Veridicam plectro citharam percurrat eburno,
Teque novum fortunatis decus inſerat aſtris.
Hæc ævo tandem vel fulmine victa labaſcunt;
Et laudem ſi ſaxa queant, nomenque parare;
Clarior atque alias inter ſublimior urbes
Memphis erit. Neque Pompeium fecêre verendum
Gentibus eductæ cæli ad confinia moles;
Sed Libye, victuſque Oriens, & Iberica laurus;
Sed purgata metu maria, & ſervire coactus
Parthus: eritque tuo dehinc notior ille cothurno,
Quàm fuit ante ſuo Romana per ora theatro.
Hæc monumenta ruent. Sed quantum dente maligno
Molibus his audax paulatim deteret ætas,
Ingenuâ tantum linguâ (crede) afferet olim
Laudibus æqua tuis. Nam rerum fama tuarum
Vivet, & occulto creſcet felicior ævo.
Non etenim ad meritos patefactum limen honores
Artibus egregiis, templa inſtaurata, decuſque
Antiqui Latii, ſervatam ſæpius Urbem,
Sparſum aurum in populos, tectas tela impia contra

Sarmatiam Helvetiamque, & pulſa pericula terris,
Auſpiciis opibuſque tuis Thracum arma repreſſa,
Pacatas latè gentes, nec cætera dextræ
Tot benefacta tuæ venientia ſæcla ſilebunt
    Interea ſi atram longè conſurgere nubem
Impia portantem forſan Laurentibus arvis
Bella vides, dirumque nefas Acheronte moveri;
Parce metu; (quamvis ex alta deſpicis omnes
Arce metus, magnæque animæ formidinis expers
Robur ineſt) neu Thracis equos ſibi nata negantis
Jura pave: ſi degenerem timor arguit omnem
Heſperiam, veterique audet nihil indole dignum
Italia, aſſueta imperio frenare ſuperbam
Barbariem: tibi miles erit, qui conterit arma
Indomitæ Babylonis, Achemeniaſque ſagittas
Vertit in auctoris jugulum: quo vindice in altis
Concidit Aſſyrium thalamis, dextrâque pependit
Fœmineâ caput, & Pharias bibit unda cohortes.
Stipabit manus Aligerûm pia caſtra, tuiſque
Accedet ſignis Virtutum exercitus ingens.
Te pietas, Te dia Fides, Te ſancta ſequetur
Relligio: ſed Perfidia, & Furor impius hoſtem,
Iraque mentis inops, atque auri cæca Libido,
Infelix comitatus, & omen triſte ſuorum,
Quas contra ducet ſacros Aſtræa maniplos,
Principe Te Latiis Virgo quæ præſidet oris,
Dextrâ immane gerens telum exitiale Tyrannis.

AD FLAVIUM CHISIUM CARDINALEM EMINENTISSIMUM,

in Galliam navigaturum.

LUx ea, quæ lectum manifeſto numine Divûm
Juſſit ALEXANDRUM nutantia Regna ſubire,
Quantùm illi triſtis, tantùm mihi læta refulſit.
Tempus Io, Muſæ, choreas, de more, per umbram
Ducere Caſtaliam, Latiique & Phocidos arva
Carmine Dircæo, fidibuſque implere canoris.
Annua debentur geniali carmina luci,
Ingenium veſtro quæ fecit & otia Vati:
Munera parva quidem; ſed & ipſi parva Tonanti
Munera dat Paſtor, nec Juppiter illa recuſat.
Hanc pater ipſe diem Phœbus canit ore quotannis:
Jamque fides plectrumque parat; ſed gaudia differt
Noſtra Deus, citharamque jubet ſervire dolori,
Oſtendens digito ſtantes in littore puppes
Romuleas, Dominumque meum transferre paratas,
Me ſine, quà Rhodanus rapido ſubit æquora curſu.
Ergo omnis mecum digreſſu mœſta dolenſque,
FLAVI, Roma tuo, qualis nova nupta remotos
Ad Morinos abeunte viro, quem obſervat amatque
Perdita; conqueritur, ſeque atra in nocte relinqui,
Dum Latium tanto viduatur ſidere cœlum,
Clamat. ALEXANDER lacrimis vix temperat æquis,
Quem corde impavido, nec habenti nubila vultu
Res magis adverſæ, quàm res videre ſecundæ.

Quidni ego crudeles Divos & ſidera dicam,
Quæ tua me vetuêre ſequi veſtigia, Princeps?
Non tamen, in vacua quòd inutilis urbe relinquor,
Nec mihi Sequanicas fas eſt inviſere Athenas;
Sed tantùm doleo, quòd pectora noſtra, fidemque
Æquoreis ſaltem non experiare periclis.
Quamvis, Neptuni imperiis, tibi cærula Triton
Æquora jam ſternat: jam Glaucus, amataque Glauco
Nereidum Galathæa chori pulcherrima, Opiſque,
Et formoſa Lycorias, & quæ plurima ponti
Numina certatim Muſis memorantur Achivis,
Præſidio accurrant magnæ obſequioſa carinæ:
Inter quæ mirata novæ ſpectacula pompæ
It Thetis, Iliacum nunc primùm oblita dolorem.
Nec minus hinc roſeo Zephyrus pede temperat undas;
Thracius hinc Boreas glacie exarmatus & imbri
Se paribus circùm cava lintea librat in alis.
Ergo age, quandoquidem ſine me vis ire per altum,
I decus Auſoniæ, felicibus utere ventis:
Dum flentes reditumque brevem, memoremque rogamus
Noſtri animum: Longas hac ſpe ſolabimur horas.
Quod ſupereſt, vaſtum fugientia vela per æquor
Albana de rupe oculis, votiſque ſequemur.
Tu quoque verte oculos, & mutua concipe vota.
Jamque mari placido, Zephyriſque faventibus exit,
Tyrrhenamque Thetin dextrâ ſecat alite puppis.
Occurrit primus fluviorum Marta paternis
Auctus aquis, lætoque rates clamore ſalutat.
Hinc regio apparet priſcis habitata Graviſcis,
Et Cereri dilectus ager; ſcopuloſa leguntur
Jam tibi, Mediceæ parent quæ litora Genti.
Scilicet hæc illa eſt cunctis Gens inclyta terris,

Quæ, Mahumetthæis ubi Græcia ſubdidit armis
Immeritum caput, exulibus fuit hoſpita Muſis,
Graiaſque invexit Latio quas noverat artes.
Multa vides noſcenda ævi monumenta prioris,
Urbeſque, fluvioſque, ſinus, & ab æquore circùm
Undique perfuſas terras: ſed in Hercule fige
Lumina præſertim, cujus de nomine portus
Dicitur (hunc olim tenuit GENS CHISIA portum)
Partem aliquam in Divo laudum inventure tuarum.
Juppiter haud illum pater & cæleſtis origo
Tot Jove majorum deducta ab origine Divûm;
Sed caput objectum pulcra pro laude periclis,
Et domitæ peſtes, & monſtra immania forti
Victa manu fecere Deum, cæloque locarunt,
Servatæque illi poſuere altaria gentes.
Ante illum multi vixerunt ab Jove nati,
Qui quòd in amplexu jacuere ignobilis otî,
Vilia ſectantes, & inertis commoda vitæ;
Infleti periere ſuis, ævoque nepotum
Ignoti, nomenque tegit quod & oſſa ſepulchrum.
En tibi (ſenſit enim Deus adventare carinas)
Lætus adeſt celſis elatus cornibus Umbro,
Per medioſque viam fluctus ſibi pandit ad alnum
Quâ veheris, multis inopina ob gaudia vultum
Perfuſus lacrimis. Tibi donat agreſtia poma,
Te cupit amplecti, te carum dicit Alumnum:
Litus & ad patrium, claramque invitat ad urbem:
Invitant, feſtâque caput tibi fronde coronant
Fluminis herboſo ſtantes in margine Nymphæ.
Omnia quæ cernens obliquo lumine Tybris
Triſtatur, gelidaſque metu jam contrahit undas.
Apparent longè pendentia Macereti

Ru-

Rudera, fonte locus medicarum notus aquarum,
Atque alia has circa terras priſca Oppida & Arces,
Quas Atavi tenuere tui. Sic omnia paſſim
Tempus & aſſidui verſant mortalia caſus.
Claſſis abit, verritque ſalum, quà ſe pede lento
In mare fert Alma exiguis inglorius undis.
Mox Lynceus ſubit, & ferri gravis Ilva metallis,
Et celebrata diu Tuſcis Populonia faſtis.
Unde autem exoritur ſubitò tam feſtus in auras
Clamor? qui radiant ignes? quæ murmura læta
Excipiunt venientem, & amica tonitrua claſſem?
Portus adeſt (noſtri nuper dixere Liburnum)
Puppibus Heſperiis, & velis notus Eois,
Conditæ ubi ſervantur opes, quas utraque mittit
India, quas & Arabs, quas meſſibus Aphrica dives,
Et quæ Getulo veniunt de littore merces.
Venimus interea, citò vela ferentibus Euris,
Quà conſanguineus Tiberi, nec degener Arnus
In mare ſe Tuſcum ſpumantibus invehit undis:
Arnus opum dives, centum pater Arnus Olorum,
Quorum Itali cantum, greſſumque ſequuntur Olores.
Haud procul hinc Lucæ veniens de finibus Anxur
Olim Arno miſcebat aquas; nunc ſolus in æquor
Lapſus ad extremas ſua nomina ſervat arenas.
Hinc & Sardiniæ tractus pallentis, & ingens
Corſica proſpicitur, tantorum cauſa laborum:
Et conjuratæ quondam pervertere Piſas
Amne ſuperfuſo Capraria, parvaque Gorgon,
Quæ fuit Æthiopum extremis in finibus una
Gorgonidum Euryale, fato huc delata maligno,
Inque maris ſcopulum cognatis verſa colubris.
Namque ferunt, poſtquam fatali meſſuit enſe

Victor Abantiades caput exitiale Meduſæ;
Euryalen caræ mœrentem cæde ſororis
Deſerüiſſe locum. Sed jam ratis oſtia Macræ
Præterit. Alta vides Lunæ monumenta vetuſtæ,
Nec procul albenti fecundum marmore montem,
Quo dives Pietas Divûm ſæpe imbuit aras,
Vel levis Ambitio Regales excitat ædes.
Invitat feſſas longo diſcrimine proras
Lunæ olim dictus, Veneris nunc nomine portus,
Delitiæ Nerei, ſtatio fidiſſima naütis.
Tu tamen ire jubes, ventoſque urgére faventes:
Jamque aperit ſeſe Ligurum clariſſima tellus,
Helleſpontiaco quondam dominata profundo,
Quantùm frugis inops, tantùm auro opulenta viriſque.
Aſſurgit, ſterilique jugo prætenditur undis
Horribilis viſu rupes, quanquam arte magiſtrâ
Culturæ patiens, & amabilis ora Lyæo:
Quam prætervectus venies, ubi ſurgit, & amplo
Excipiet te læta ſinu Tigulina Segeſta;
Dehinc rutilas volvens Entella ad litus arenas;
Nec longè portum Delphini intrare licebit.
Alliciet vultu regio Te culta benigno,
Suadebitque rates lento ſuſpendere remo;
Quippe ibi perpetuo ſcabras mirabere cautes
Vere tegi, & litus peregrinis fertile glebis.
Tu cave Sirenum inſidias: fuge puppe citatâ
Dîs orbum pelagus, & litora ſurda carinis.
Et jam Porciferæ parvum pervenimus amnem:
Jam Merulam, fluvioſque alios, quos dicere longum eſt,
Apennini omnes gelidis de rupibus ortos,
Omnes auriferâ redimitos tempora citro,
Plurima quæ paſſim formoſis conſita ripis

Fra-

Fragrantem latè pelago diffundit odorem.
Sed vento tua prora volans, vento ocyor ipſo
Mauritii portum ſuperat, portumque Monœci,
Quos raptim refero, quia claſſem imitamur euntem,
Quæque rapit naves, noſtram rapit aura Camœnam.
Jam mare decurſum eſt Ligurum, jam panditur oræ
Terminus Italicæ Varus, quem rura ſequuntur
Gallica, nimbiferis demiſſus ab Alpibus amnis.
Stœchadas interea velox poſt terga reliquit,
Ac Te Maſſiliæ, FLAVI, ratis appulit arvis.
Nunc rapidis invectus equis ad mœnia perges
Regia, quæ vitreo partitur Sequana fluctu:
Læto ubi Te vultu excipiet Rex inclytus armis,
Qui formidatum Turcis accingitur enſem,
Et fatis aperire viam ceſſantibus audet:
Dum face, dum ferro latè Serinius hoſtem
Inſequitur victor, Pietatis & ultor Avorum,
Perque volat cædes, & ad altum fulminat Iſtrum.
Salve Heros invicte animis, tutela ruentis
Pannoniæ, Dux famâ ingens, ingentior armis.
Relligio tibi ſe lugens commendat, & omnis
Europæ, Vir magne, tuâ ſpes nititur haſtâ.
Tempus erit, cùm te ſpoliis Orientis onuſto,
Solvet ALEXANDER votum, fractaſque ſuperbæ
Cernet opes Aſiæ, debellatumque Tyrannum.
Tunc te ſudore illuſtrem, multoque decorum
Pulvere, clarus aquis, ſed famâ clarior amnis
Jordanis, cedrique ferax Carmelus, & Hermon
Palmifer excipient, lymphâque umbrâque recenti.
Te Tanaïm quicumque bibunt, te Caſpia Regna
Victorem, ditiſque colent ſeptem oſtia Nili,
Et tibi prædatrix marium dabit Africa pœnas.

In-

Interea duris ſolvetur Græcia vinclis.
At Divæ bifidi cultrices montis, & ipſe
Turpi à ſervitio tandem, te vindice, liber
Parnaſſus merito reddet tibi carmine grates.

AD MATTHIAM NALDUM S. D. N.

Medicum, & Cubicularium intimum.
Ex lectulo.

NAlde, peregrinis famâ jam cognite terris;
Quem Phœbus pater eximio complexus amore
Edocuit citharæque modos, artemque medendi:
Fare age quî valeant herbarum tollere ſucci,
Vel ſaltem lenire ſitim ægrotantis amici,
Quam mihi per cunctas paulatim didita fibras
Oſſibus implicuit nuper febricula ſiccis;
Ut ſive Eoo nos Lucifer axe reviſit,
Seu convexa rubens accendit ſidera Veſper,
Irrequietus agar majori percitus œſtro,
Quàm quod Apollineæ ſpirat cortina Sibyllæ.
Ergo ſi quis aquæ frigens mihi rivulus olim
Viſus ab aërio clivo deſcendere: ſiquis
Muſcum inter viridem gelido manare ſub antro,
Perque cavam leni vallem manare ſuſurro:
Quicumque inſano fons fornice ductus in urbem
Mole ſuper tereti peregrinas explicat undas,
Aut vulgo ignotus ſecretos irrigat hortos;
Scilicet ille mihi ſemper ſe rivulus offert,

Illius

Illius ante oculos ſemper ſtat fontis imago.
Uritur infelix, & imagine creſcit in illa
Noſtra ſitis, ſequiturque ſitim ſitis altera major.
Præcipuè menti deſiderioque recurrit
Qui Ligurum ſaxis Tuſcos diſcriminat agros,
Appenninigenas inter non ultimus amnes
Macra parens, longæva ſalix cui litus inumbrat,
Cui centum herboſo paſcuntur margine Cycni
Aëra tranantes liquidum pernicibus alis.
Illius algentes ingreſſi ſæpius undas,
Squalida rimoſus cum Sirius ureret arva,
Vidimus innantes vitreo ſub gurgite Nymphas,
Et manibus nexus molles glomerare choreas.
Macra per umbriferam vallem pellucidus ibat
Flexibus incertis, atque inter cana volutus
Saxa, ſinus omnes nudabat pauperis alvei,
Suadebatque manu latices haurire rigentes.
Quamquam ubi contriſtat cælum nimboſus Orion
Diluviem tonitruſque ciens; exuberat ille
Spumeus, aggeribus ruptis, latèque Tyrannus
In mare fert pinguem limum, quo vendicat arvis
Litus, & antiquæ profert confinia Lunæ.
Hæc vigilans. Quòd ſi feſſos ſopor alligat artus
Albanos intrare Lacus, avido ſimul ore
Exaturare ſitim videor: nunc æthere aperto
Impatiens æſtus pluviam captare cadentem;
Nunc per amœna ſequi fugientem gramina rivum,
Bacchatoſque choris Nympharum accedere fontes.
Haud ſecus afficitur, cum tacta cupidinibus mens
Æſtuat, atque illam ſpecie ſeducit inani
Ambitio præceps, & amor maleſuadus honorum,
Aut auri color, aut Erycinæ dulce venenum.

Quip-

Quippe amens agitur, ceu Baccha concita Thyas,
Ictaque imaginibus variis, huc volvitur, illuc,
Dum fiat voti rea; dum ſitis ægra prehendat
Mortiferos latices, quos gutture ducat hianti.
Tu, cui ſecretas morborum pandere cauſas,
Et morbos relevare graves conceſſit Apollo,
Nalde, jecur ſeu lenta meis infixa medullis
Peſtis edit, ſeu lethiferi vapor igneus aſtri
Incluſus venis arentia viſcera torquet;.
Affer opem, ac noſtro facilis ſuccurre labori.
Hæc ubi deſierit miſeras ſitis urere fauces,
Vitiferæ tractus Albæ, juga Læta, reviſam,
Prataque purpureâ nuper renovata juventâ:
Plectra manu, carmenque geram; ſtratique per umbram
Montis, ALEXANDRI tecum referemus honores.

OPHIGENIA
AD
SIGISMUNDUM CHISIUM
in Albano ruſticantem.

CArminibus noſtris non indonatus abibit
Pomifer Autumnus, cui ruſtica Muſa quotannis
Sacra facit, floremque novum ſuſpendit ad aras.
Nam mihi, dum dilecta tenent nos otia ruris,
Ludere quæ vellem magnus permiſit Apollo,
Et cantare levi levia argumenta cicutâ.
Buſonum, & maculis pictorum terga Draconum,
Sed tamen inſontûm, viruque & dente carentûm,
Fertilior quibus eſt, quàm glande & vitibus Alba,

Qui nos terrificant, paſſimque morantur euntes;
Natales dicentur, & ultima gentis origo.
Non etenim cœli vitium, pelagive malignus
Halitus hos edit fœtus in luminis auras:
Sed magis inſita vis, innataque ſemina terris
Prodigio magno Divûm. Juvat ergo referre
Carmine, quo Satyri ſtupeant, miracula rerum,
Indicta ore alio, Graiis ignota Camœnis,
Olim quæ omnipotens his Juppiter edidit oris,
Cùm grave fulmen adhuc Titanum cæde caleret,
Inferretque pedem pacata in ſidera victor.
Nam neque Theſſaliæ pulcris, nec Phocidos arvis,
Seu virtute virûm, ſeu relligione locorum,
Ceſſerit antiquum Latium; niſi Martia ſacris
Priſca Latinorum caruiſſet Vatibus ætas.
Nos Albæ monumenta monet Thymbræus Apollo
Pandere: res ævi densâ caligine merſas.
Tu modò, qui cauſas juſſiſti aperire latentes,
Et ſterilem curvo ſcrutari vomere campum;
Doctarum, GISMUNDE, decus columenque Sororum;
Flos Juvenum; Patrui curarum dulce levamen,
Atque hæres virtutis, ades. Tu, cui licet ætas
Invida velet adhuc tenerâ lanugine malas;
Pectore in auguſto vigor eſt, animuſque virilis,
Et matura foro virtus. Tibi maxima rerum
Roma favet plaudens animis, annoſque morantes
Increpat, indignans, Tempus differre malignum,
Quæ tibi jampridem juſto ſpes publica voto
Deſtinat ad laudem decora, in quæ cæca fatetur,
Principe ALEXANDRO, ſibi nil Fortuna licere.
Huc age lætus ades: & vati tu quoque Vates
(Hanc

(Hanc titulis patiare tuis accedere laudem)
Affer opem nova tentanti, & dignare canentem,
Dum vacat, & curas procul atras Alba relegat.
Tempore, quo terras Deus, æquor, & æthera fecit,
Ordine quæque ſuo, propriaque in ſede locavit;
Quodcumque eſt ſpatii (quod montibus omne tenetur)
Telegoni fines inter, Laviniaque arva;
Æquatis longè campis, latèque patebat
Planities apprima ferax: loca & inclyta, quæ nunc
DI nemorum, Bacchuſque colunt; ſeges alta tegebat.
Edidit auſuros manibus reſcindere cœlum
Tunc primùm Tellus Superis irata Gigantes,
Cæumque, & Lyparim, bellatoremque Typhœum,
Centimanumque Gygen, atque Oromedonta minacem,
Innumeroſque alios, quos fama antiqua recenſet:
Omnes fœdifragos, prædæque & cædis amantes,
Rixarumque avidos, contemptoreſque Deorum;
Immanes, ſine lege. Fuit tamen unus in illis
Invitâ Genitrice pius, quem moribus æquis,
Et miti ingenio rectum ſervaſſe, fidemque,
Egregiâ virtute ferunt: nec viribus uſum,
Ut niſi quæ Tellus tum paſſim monſtra ferebat,
Nullaque mactaret metuentes jura Tyrannos.
Quin poſitis aris, & cæſis ſæpe juvencis,
Suppliciter coluiſſe Deos, ac thure piaſſe.
Cætera terribilis, fratrumque ſimillimus omni
Parte fuit, Graiis Orocœlus nomine dictus.
Hæc propter, quodque auctor erat, non temnere Divos,
Et, niſi conſilia in melius maleſana referrent,
Excidia in caput ipſorum ventura canebat;
Fratribus inviſus Phlegræa reliquerat arva.
Inde pererrato biſſenis orbe diebus,

Finibus à Mauris Nabathæa ad littora, quærens,
Mitior eſſet ubi Tellus, & amantior æqui,
(Nam ſimul infenſæ fugiebat jurgia matris)
Huc tandem flexit, ſedemque his fixit in agris.
Lætus ubi victuque famem pellebat agreſti,
Et venatrices pharetras, prædamque cruentam
Finitimæ linquens Triviæ, vel ſancta colebat
Numina, vel pulcras animum revocabat ad artes:
Præcipuè quas tradiderat, juvenilibus annis,
Littus ad extremum Libyæ ſibi cœlifer Atlas,
Indole par animi, & conſanguinitate propinquus.
Illum ergo exoriens, illum, cùm mergitur undis,
Humida Nox ſtantem vigili cervice videbat,
Aſtrorum curſus, ortuſque, obituſque notantem,
Et cœli aſpectus varios, quibus ordine ſortem
Cernere erat, quam fata parent mortalibus ægris:
Eventus belli dubios, & funera Regum,
Quidque ferant, Regum poſt funera, triſte cometæ.
Quin cupidis anni prænoſcere tempus & imbres
Agricolis, reſponſa dabat non inſcia veri.
Jamque dies infauſta aderat, qua pendere pœnas
Terrigenas ſcelerum tantorum fata jubebant,
Ingentemque brevi dirimi certamine litem:
Quem rerum Dominum acciperet Natura? quis orbem
Imperio regeret, legemque imponeret aſtris?
Præcipiti primùm ruere omnia viſa tumultu
In Chaos antiquum. Vocat ad fera prælia natos
Mugitu horribili Tellus, ululatque profundis
Vallibus. At cœlum caligine volvitur atrâ
Exitiale fremens: dumque impia tela Gigantes
In ſuperos torquent, Superi jaculantur in ipſos,
Sed potiore manu; populi videre paventes
In-

Infandam ſine ſole diem, ſine ſidere noctem.
Cùm tenebras tandem ſcidit, & ſe fulmine prodit
Juppiter, impoſitumque nivali Pelion Oſſæ
Diruit, inque ſuis involvit montibus hoſtem
Exanimum, & nigrâ ſolvit formidine mundum.
Hunc premit Inarime: flammas alit ille Veſevi
Ultrices: Siculis illum coquit Ætna caminis.
Aſt alii variis, pro crimine quiſque, flagellis
Eumenidum torti lugent, & inania Ditis
Regna metu inſolito, vaſtoque cadavere complent.
Senſerat hos rerum motus Orocœlus, & alti
Altior ipſe jugum conſcenderat Appennini.
Inde omnem belli faciem, fraternaque buſta,
Sparſaque Phlegræis ingentia viſcera campis;
Et poſitos vidit tumulos, quamquam ordine cuncta
Pridem illi volucres fuerant, ſtellæque locutæ.
Vidit, & orbatæ tactus pietate parentis,
Nec minus occaſum fratrum miſeratus acerbum,
Pectora planxit, & in lacrimas pia lumina ſolvit:
Unde iram magni potuit meruiſſe Tonantis.
Sed fratrum caſus, & funera dira tuentis
Juſtus erat fratris dolor, & ſine crimine luctus,
Cui veniam Pater ipſe dedit, majora daturus
Juppiter & grege mactato, & prece cultus ab illo.
Septimus extulerat rorantes Lucifer ignes,
Ex quo magna feri luerant commiſſa Gigantes.
Ille tamen, ſomno infelix dapibuſque relictis,
Tercentum ſtratus feſſum per jugera corpus,
Fratribus officium ſolvebat triſte peremptis:
Nec ceſſare Parens furiis agitata ſinebat,
Dum miſerum expleſſet nati per lumina fletum.
Tum caput innocuum Rex cœli Juppiter idem

Ut ſorti eriperet duræ, neu poſſet oriri
Illius olim aliquis magnis ex oſſibus hæres,
Indole qui Patruos, & eorum facta referret;
In ſimilem ſtatuit, ſub eodem nomine, montem
Vertere: &, ô numen ſemper venerate Deorum
Eſſe Deos inter, non inter digne Gigantes,
Accipe munus, ait, dictumque Orocœle ſupremum.
Mons fies, ne te perimat dolor iſte. Dolori
Hæc finis lacrimiſque tuis erit. Hæc tibi ſedes,
Hic locus, unde Urbem dominam, gentemque togatam,
Et pendêre tua poſthac de rupe videbis
Oppida, cum magnis longè candentia templis,
Quò feſſus curis populorum olim inclytus Heros,
Cùm revehit ſilvis, & cùm rapit annus honorem;
Secedet: Vates illum, multiſque ſequentur
Muneribus cultæ Aönides, quæ carmine ſacro
Inter ALEXANDRI referent tua nomina laudes.
At mihi ſolennem, meritis pro talibus, aram
Vertice ſublimi ſtatues, quam deinde quotannis
Inviſant fortes, habeantque in honore Quirites.
Sic ait, & formas vertentia verba locutus,
Extemplo Latiis Orocœlum montibus addit.
Monte ſub hoc pingues campi latuere, latentque,
Rurſus & in terram rediit Tellure creatus.
In glebas caro verſa: in ſilvas barba, comæque:
In ſcopulos dentes, in rupes oſſa faceſſunt:
Ipſa locum ſervant cava corporis, antraque fiunt.
In fontes venæ: duræ per brachia ſetæ
In quercus abeunt: in apricos brachia colles;
Quæ Pater omnipotens ſinuoſum flexit in orbem
Ante ſinum. Sinus irriguis (mirabile viſu)
Ma-

Manabat lacrimis, forſan ſua funera flentis.
Creverunt lacrimæ ſcopulorum indagine clauſæ,
Et ſacer hîc manſit lacus, æternùmque manebit,
Nympharum ſedes, & piſcibus aptus alendis.
Lacteolos dixere, quibus cava litora circùm
Indigenæ paſcuntur oves, oviumque Magiſtri;
Quâ Satyri intonſi gaudent dape: cùmque juvencos
Relligio prohibet, turdoſque apponere menſis;
Et rhombos, tereteſque negant maria alta ſiluros;
Lacteolo Albani curant convivia Patres.
Totius impleret ſpatium convallis, & altas
Unda ſuperfuſo ſuperaret gurgite rupes,
In mare iter quærens; cuneo niſi cæca latenti
Romulides imi fodiſſent viſcera montis.
Quæ gentes Latium, quâ lege, opibuſque tenerent,
Talia cùm Superi patrarunt monſtra, ſilebo.
Nam neque ſcire tibi, neque opus mihi dicere cuncta,
Vicinæque vetant ludum proferre Kalendæ.
Hoc certè quodcumque vides, quod Aricia, quodque
Poſſidet Alba ſoli, nihil eſt niſi forma Gigantis
Collapſa, inverſumque annis immane cadaver.
Illius inverſi tamen, & tellure jacentis
Trans nubes, aviumque vias ſeſe ardua cervix
Tollit, & aërias multùm ſupereminet Alpes,
Mons Cavus Albanis, Graio de nomine, dictus.
Tu ſi animadvertas intento lumine circùm
Omnia, deprendes veteris veſtigia formæ.
Nam quæ olim natura fuit, quæ cura Giganti;
Cura eadem monti, atque eadem natura relicta eſt.
Ut catus aſtrorum, & venturi conſcius ævi
Auſoniis dederat, ſic dat reſponſa colonis.
Quippe ubi ſe profert, & in æthera ſurgit apertum;

Promittit nitidos ſoles, & læta ſerena:
Cùm verò caput occultat, frontique galerum
Induit involvens nebulâ; denuntiat imbrem
Lugendum agricolis, & ſurda pericula nautis.
Utque erat ingenio pacato, & moribus æquis;
Ingenium quoque mite ſolo eſt, & amabilis aura
Inſontis cœli felicia temperat arva.
Otia nos illi debemus dulcia ruris;
Illum Pallas amat, Bacchus colit: illius ergo
Cum tonitru exercet gentes, imbellia lucos
Vibrat in Albanos, irâque carentia tela
Juppiter, atque ſuis parcit non immemor aris.
Denique (Muſa tuas teneat ne longiùs aures)
Quòd Terrâ genitus, ſerpentipedumque Gigantum
Frater erat, vitioque pedum non impare natus;
Quà fœdi jacuere pedes, (qua ſcilicet Albæ
Serpere parte vides obliquo tramite colles)
Succeſſit tellus ſerpentibus apta ferendis,
Auctoremque ſuum ſquamoſis indicat hydris,
Tota quibus regio latè ſcatet, arvaque læta.
Sive Notus venas & ſpiramenta relaxans,
Terrarum fibris abſtruſos elicit angues,
Reddit ut ære ſilex ignem percuſſa latentem.
Seu natura ſoli pluvio Jove concipit illos,
Tactaque Sole novo conceptos edit in auras,
Omnia qui ſparſi repunt per membra Gigantis,
Is quia mitis erat, mites quoque terra colubros
Gignit & innocuos. Aliis tam lethifer oris
Pullulat hìc placidus Buſo, atque ignara nocendi
Vipera: Non tabo Natrix inglorius undas
Inficit, aut Aſpis nigrum vomit ore venenum.
Lambit inoffenſi ludens veſtigia Dipſas
Paſto-

Paſtoris: tollunt innoxia colla Ceraſtæ,
Atque illos pavidæ calcant impunè puellæ.

AD
SFORTIAM PALLAVICINUM S. R. E. CARDINALEM.

APRICATIO PORTUENSIS.

ANnua dum vulgus renovat ſolennia Baccho,
Et temulenta Dei relegens veſtigia pubes
Martia, degenerat formas induta ferarum;
Roma vale. Juvat arva ſequi, & ſuſpendere collo
Barbiton, & plectro geniali pellere curas.
Hîc ubi DIs pelagi leges, & fata daturus
Amne Pater lento deſcendit in æquora Tibris,
Quaque fluit, pingues volvens ad litus arenas
Auget agros: Urbeſque mari, portuſque recedunt.
Non Albæ juga ſemper, amat quoque litora Phœbus:
Carmen ubi nivei ſacrum modulantur Olores
Dulciùs, & lauro ſemper viret æmula myrtus:
Unde legit Tethys Nereo placitura coronas.
SFORTIA, cui priſcis virtus incognita ſæclis,
Ipſa ſuis manibus Latium circumdedit oſtrum:
Soſpite quo, ſupra populos caput ardua ſacrum
Exerit, & famam CapitolI Roma tuetur;
Pone graves curas pauliſper, &, Urbe relictâ,

Huc age (da veniam votis audacibus) adſis,
Dum canimus, tenuem non dedignatus avenam.
Sæpè & ALEXANDER ſummo de culmine rerum
Deſcendens, faciles Muſarum accommodat aures
Luſibus, & noſtris acclinat lumina chartis:
Lumina, queis maria & terras, & diſſita longè
Regna vigil, feſſumque malis circumſpicit orbem.
Te nitidi Soles, placidi te litoris ora,
Et ſecura quies, & amica ſilentia Muſis,
Quarum tu columen, quarum tu gloria prima es;
Te mare piſcoſum, dilectaque ſilva Dianæ,
Te regio formoſa vocat. Tu lætus adeſto,
Optatoque Deos vultu ſolare marinos.
Scilicet & tempus veniet, cùm littus ad iſtud
Colchide, ſemotiſve advectus Gadibus hoſpes,
Parcius Æneæ res, adventumque requirens,
Scire volet, quâ rupe ſedens proſpexeris æquor,
Quæque his prima pedum veſtigia preſſeris oris.
Sed duo te nuper Latii clariſſima cœli
Lumina, Parcarum dextrâ intercepta malignâ
Excruciant, ægramque vetant requieſcere mentem.
Nam penè obductum Corradi funere vulnus,
Franciotto Libitina ferox reſcidit adempto,
Auſaque Romulei cladem geminare Senatûs.
Hoc erat, eventurum olim quod dira canebant
Auguria, hoc tempus fatale, hic lethifer ille
Chaldæis toties promiſſus vatibus annus.
Quique diu, dubiam terris metuentibus iram,
Lumine ſanguineo triſtes arſere cometæ;
Scilicet hanc Latio cladem, hæc lamenta ferebant.
Non ita ſublatum ploravit Dardana tellus
Hectora vim Danaûm, Troianaque fata morantem,
Non

Non fratrem Heliades, non cærula mater Achillem:
Ut te morte Virûm pallentia vidimus ora
Manantem lacrimis, & publica damna querentem,
Damnantemque herbas, & falſam Pæonis artem.
Quos tibi non hilari vultu Fortuna renidens,
Non communis honos ſociarat fœdere ſancto:
Sed probitas, magniſque fides ſpectata periclis,
Atque animus contemptor opum, Themidiſque palæſtra
Excultum ingenium, & doctæ facundia linguæ:
Sed labor advigilans, & pectus ſtare paratum
Pro Latiis aris, certæque occumbere morti:
Dura, malis invicta, tuæque ſimillima virtus.
Tanta quidem rebus damna inſtaurare ſecundis
Conantur Superi. Hinc omnis pacata quieſcit
Auſonia, unde virûm ſoboles, & copia frugum,
Et doctæ redeunt Artes, quas excitat, almo
Dum ſinu ALEXANDER fovet, & præclara merentes
Reſpicit, attollitque viros: ſeptem inde Trioni
Subdita gens tacito Romanas incipit aras
Obſequio colere, & ritus damnare profanos.
Hinc duo jungit Amor Divinæ germina gentis;
Unde novum decus Heſperiæ, proleſque paretur
Ferro olim Europæ, atque Aſiæ domitura Tyrannum.
Queis, Divûm imperio, proludens Weſtphalus Heros,
Infula cui ſacris galeam terroribus armat,
Circumfert Batavûm victricia ſigna per Urbes;
Quâque ruit, ſequitur ſublimi Gloria curru,
Luppiaque, Amiſiuſque, catenatuſque Viſurgis.
Non tamen idcirco minus illacrimare ſepultis,
Jacturamque doles, & non reparabile damnum.
Quod ſupereſt (parva ingentis ſolatia luctus)
Hîc ego Caſtalio ſignum de marmore ponam,
Am-

Amborum vivâ referens in imagine vultus,
Cui ſplendor ſeris, pretiumque accedet ab annis,
Fulminis invictum damnis, ævique futurum:
Navita quod maria alta ſecans de puppe ſalutet,
Et cui pro Glauco, pro Leucothoës Melicerta,
Soſpes ab Ioniis perſolvat vota procellis.
Aut ſimulacrum ingens quintum ſtatuemus eorum,
Qui ſolium, ſubnixi humeris ingentibus, aureum
Sub Vaticani diâ teſtudine Templi,
Heroës magni ſubeunt, onus Hercule majus.
Cernis, ut auguſti quà ſe venientibus offert
Extremus Templi ſinus, interiuſque recedit,
Nubibus è cœlo demiſſa curulibus, inter
Aligerûm plauſus, moles ſeſe ardua tollit
Supra & Dædaleos auſus, & barbara ſaxa
Pyramidum, claramque Rhodon poſt terga relinquit
Aurea, nec bimari docta invidet æra Corintho!
Magna Parens, nunc primùm hominum mirata labores
Roma loqui ceſſet priſcorum opera alta Quiritum,
Nec rerum dominos teſtantia rudera jactet.
Miranda illa quidem. Aſt omnes hîc Regia gaza
Cæſareo minùs auſa ævo, atque ars dædala Graiûm
Pandit opes, pandit pietas tua, Maxime Princeps,
Sumere qui rerum meruiſti ſceptra rogatus:
Nunc donis populos auges, altaria Divis.
Ne tamen hæc propter, ne tu, Bernine, ſuperbi:
Non tu auctor tantorum operum: nec talia fingi
Mortali potuere manu. Non ipſe Pyragmon
Auſit ab Ætnæis tantum ſperare caminis.
Sat tibi Phidiacos quòd Græcia cedit honores,
Præripuitque Jovi Piſæo Sequana palmam.
Hic Superûm labor: Hi ſe operi accinxere miniſtros,
Æra-

Æraque miſcuerunt, & aperto in lumine, Divûm
Effigiem, & liquidi rivos duxere metalli.
Quattuor hos annis, & majeſtate verendos,
Fulgenteſque ſacro tonſum diademate crinem,
Qui certant oneri ſupponere colla beato,
Olim Oriens, Latiumque tulit, ſimul inclyta monſtris
Africa, quæ manſueta Viro plus profuit uno,
Quàm nocuit quondam Tarpæis invida palmis,
Hannibale, & centum, quas intulit aſpera, claſſes.
Heu quantis illi caput objecere periclis,
Pro re Romana, pro relligione Parentum!
Heu quanto Solium hoc nobis peperere labore,
Donec pondere confecti periere ſub illo!
Romula nunc cœlo delapſi templa reviſunt,
Munere ALEXANDRI reduces, qualeſque videri
Cœlicolis, quantique ſolent. Stupet inſcia turba
Romulidûm, & ſupplex venientum numen adorat.
Salvete Heroes, quorum ſub numine Roma eſt.
Quorum ea virtuti debet, quòd inermis, & una
Relligione potens, nomen, ſine cæde, Latinum
Protulit, imperiumque, ultra Garamantas, & Indos,
Sanctaque per populos victrix dat jura volentes.
Salvete, & Sedem hanc, veſtræ quæ credita curæ,
Quamque Erebi jurata manus convellere pridem
Molitur, ſervate pii. Procul horrida bella,
Atque famem, & triſtes Latio depellite morbos:
Præcipuè qui animos, humanaque pectora turbant:
Seu nos dura premit, ſeu ſors felicior inflat.
Creſcat amor recti: pronaſque ad prœlia nectat
Fœdere non ficto tandem Pax candida gentes.
Atque, ut cuncta uno populorum vota loquamur,
Regnet ALEXANDER ſoſpes, te ſoſpite, FLAVI,
Quem

Quem longè ingenio præſtantem, & moribus, ipſa
Diligit Invidia, atque hâc dignum ſorte fatetur.

JACOBO ROSPIGLIOSIO, VIRO MAXIMO,

SOTERIA.

PArce metu Clio. Jam rumor læta ſecundus
Seguſia de valle refert. Vis effera morbi
Ceſſit, & ille nocens venis deferbuit ignis,
Quo penè Itala res, & ſpes arſere Latinæ.
Jam ſolitum membris robur, jam priſtinus ori,
Depulsâ macie, decor, & cum munere ſomni
Fax oculis tranquilla redit: rurſumque rubentes
Incipiunt meliore genæ florere juventâ.
Non opis id, Natura, tuæ: nec gramina tantum
Marſorum, doctæque manus valuêre medentûm.
Prodigii auctores Superi. Virgo, inclyta Virgo,
Cui ſuper Exquiliis lecto de marmore templum
Æſtivæ poſuere nives, nomenque dedêre;
Ipſa laboranti præſentem (credite) Virgo,
Dum noſtri miſeretur, opem tulit. Ite ſodales
Ordine quiſque ſuo, niveis in veſtibus omnes,
Thure piate locum, facileſque in vota precantûm
Cingite fronde novâ, ſertiſque recentibus aras.
Dumque ſua Exquilii teſtati gaudia colles
Ære cavo, feſtoque diem clamore ſalutant;
Reddite vos Superis grates (nunc tempus) & almæ
Virginis alterno modulantes carmine laudes
Solvite, io! mecum Domino pro ſoſpite, votum.

Tu

Tu verò, Jacobe, tui qui litus Eöum,
Litus & Heſperium famâ jam nominis imples;
Lux Mundi nova, lapſarum ſpes altera rerum;
Auguſtam conſcende ratem, quam Regius hoſpes
Tantum abeunte dolens, quantum te ſoſpite lætus,
(Officium triſte, & ſpectati pignus amoris)
Ad caput Eridani ſacrum ſe ſiſtere juſſit.
I noſtrum decus, i felix: huc dirige curſum,
Sollicitoſque diu de te ſolare Quirites.
Aſpice ut Eridanus Pater, ut tua juſſa capeſſat,
Populeam acclinat frontem, placido amne ſerenus;
Teque jubens ſalvere, ſinum tibi pandit amicum!
Fluviorum Rex Eridanus, qui flumina centum
In mare fert, centum magnas præterfluit Urbes.
Is te, ne tardere vadis, collectus in undas
Accipiet venientem, & devehet amne ſecundo,
Piſcoſis quà pulcra jacet Ferraria campis,
Muſarum domus, & niveis olim hoſpita cycnis.
Accipient unà, fortunatamque carinam
Deducent fluvio certatim dona ferentes,
Abdua (nam cohibet ſaxa inter Cottia lymphas
Digreſſuque tuo mœſtus caput occulit antro
Duria) Ticinuſque cruori aſſuetus & armis
Olim, nunc tacitus, purâque argenteus undâ:
Lambruſque, & velox Scultenna, atque Ollius ingens,
Et fræni impatiens Tarus, & quem Felſina mittit
Rhenus inops undæ, niſi cùm nive turgidus exit
Hybernâ ſternens hominumque boumque labores,
Stura, Orguſque rapax, ſatus & Benacide Nymphâ
Mincius, ille ſacris dilectus oloribus amnis.
Interea Heliades ſtantes in margine ripæ
Adventum ratis expectant, tibi ſerta parantes

Pu-

Puro ex electro, choreaſque in gramine ducunt
Funeris oblitæ fraterni, & carmina dicunt.
Quin etiam excitæ vitreis è ſedibus omnes,
Oſtriferam Adriaci ſervant quæ littoris oram
Succedunt fluvio, radiatæ puppis honores,
Sed te puppe magis Nereïdes admirantes.
In mediis Proteus venturi præſcius ævi
Fata canit. Fore te, qualem ſibi vota piorum
Effingunt, priſcis Heroibus anteferendum:
Incolumemque diu, incolumi Clemente, graveſque
Tecum partiri curas, tibi credere ſancti
Arcanos animi ſenſus gaudente, ſalutem
Speratam populis, & mitia jura daturum.
Quamquam non ſoli Proteo, Phœboque futura
Pandere, ſed verum de te, Heros inclyte, vatem
Cuilibet eſſe licet, cui ſit tua cognita virtus.
Te populi, per quos graderis, ſimul aſpexere,
Attonitis hærent animis, famamque fatentur,
Ora licet centum exertet, virtute minorem
Ire tuâ, de te mentitam plura, ſilendo.
Votaque concipiunt pro te, tardamque ſenectam
Caro optant capiti. Quòd ſi te priſca loquentem
Gallia, ſpargentemque manu regalia dona
Vidiſſet, plenumque animis atque indole magnâ
Pro re Romana caput objectare periclis;
Sacra tibi pulſo poſuiſſent Hercule templa.
Quin æterna tuis ſculpſiſſet ſidera factis
Ipſa ſuæ quamvis miratrix Græcia gentis.
Et fera quà Lernæ, quà cœli parte renidet
Victa ſub Herculeis peſtis Nemeæa lacertis,
Fulgerent, Vir magne, tuæ decora inclyta dextræ,
Debellata animi tercentum immania monſtra,

Ulce-

Ulcere quæ aſſiduo mortalia pectora vexant.
Non agit Ambitio te, non amor improbus auri,
Non illa Heroum domitrix, truculentior Hydrâ,
Quæ tulit Alcidæ ſpolium, maleſuada Voluptas.
Non te fœta malis ingentibus otia, non te
Per nemorum pelagique minas quæſita palati
Crimina delectant: non Bacchi pocula Chii:
Quæ propter Fortunam animæ venerantur inertes:
Sed labor, & vigiles in publica commoda curæ,
Sed colere ingenuas artes, tribuiſſe merenti
Præmia, complecti miſeros, opibuſque juvare:
Polliciti ſervare fidem, ſanctumque vereri
Nomen Amicitiæ, atque ad laudem cuncta referre.
Hæ tibi ſunt artes: his tu pacare furentem,
Et longùm ſervare potes virtutibus Orbem.
Nam quæ pro Latio, pro relligione gerenda
Clementi Pater omnipotens, tibi munia Clemens
Mandat, magnanimus Clemens, quem triſtia bella
Rex Superûm, horribileſque minas miſeratus ab alto
Demiſit, columen fidum mortalibus ægris.
Exercenda tibi nunc eſt ſub Principe virtus,
Sub quo illam ſolers ſtuduiſti haurire magiſtro;
Artibus egregiis imbutam, & moribus aureis.
At tibi, dum magni perages mandata Parentis,
Cura ſit imprimis Regem exorare potentem,
Auguſtum, invictum, ſed non pietate minorem:
Liberet Europam bello, quo juſtius Afer
Ardeat: arma ferox Solymæas vertat ad arces,
Terroremque Aſiæ, patrum memor, induat enſem.
Ni faciat; ruere huc Aſiam; (ferat omina ventus)
Et Cretæ everſæ renovatam cotibus haſtam
Barbaricam intendi jugulo nil tale timentis

Heſperiæ flens aſpicies: Thracumque ſuperbas
Litoribus noſtris volitare impunè carinas,
Claudentes mare quod ſupra, quodque alluit infra.
Ergo ades, & vaſta rerum ſub mole labores
Volventi innumeros Patruo ſuccurre: vigentem
Quamquam viribus invenies, viridique ſenectâ;
Implentemque ſuâ venientia ſæcula famâ,
Dum patrio tellurem animo complectitur omnem,
Non quæ ſurgentem ſolùm Titana, cadentemque
Aſpicit, aut gelidâ longè porrecta ſub Arcto eſt;
Sed quæ muta, & adhuc remis ignota Batâvis;
Axe ſub oppoſito ſqualet pars ultima rerum.
Ille refert populis Saturnia regna Latinis,
Pauperiem turpem; fraudeſque & bella relegans,
Regificamque manum cunctas extendit in oras,
Natus ad imperium: quamvis pia Præſide tanto
Roma careret adhuc, ſi quid dare grata merenti
Majus in his miſeris potuiſſent Numina terris.
Nunc Urbi populiſque parat nova gaudia Clemens,
Dum tibi Sidonio fucatur lana colore,
Virtuti meritiſque tuis quæ debita pridem,
Non ullum trahet à conſanguinitate ruborem.
Non tu illi charus, quòd eodem ſanguine cretus:
Sed quòd idem ſentis, quòd eodem duceris aſtro.
Hinc amor in te Clementis, quem turbinis atri
Nullo poſſe metu, nullâ pallere ruinâ,
In communi Urbis docuit formidine nuper
Fama audita tui pacatâ fronte pericli.
Ipſe ego magnanimi mores quoque Principis in me
Experior: ſibi namque Salus ut publica ſemper
Magnaque curarum latus agmina circumſiſtant:
Non tamen immemor eſt noſtri, cui præbuit ultrò

Do-

Dona, Quirinaleſque lares nil tale merenti
Reddidit, & dare ſæpe ſacris ſinit oſcula plantis;
Hac quoque re ſimilis, cujus gerit arma, Tonanti,
Qui tam humiles terras, & quæ naſcuntur in illis,
Quàm cœli immenſos orbes, & ſidera curat.
Forſan & hæc olim, ſi qua illi immunis ab æſtu
Curarum brevis hora vacet; dignabitur aure
Non ſurdâ, licet aſpectum Clementis, & acre
Judicium agreſtis vereatur Muſa ſubire.

AD
SIGISMUNDUM CHISIUM, ALEXANDRI VII. P. M.
ex fratre nepotem.

JAmpridem Giſmunde tibi bene noſtra precari,
Et dare Muſa cupit carminis obſequium.
Nam tibi nec quicquam magis eſt in honore, neque illa
Majus eo quicquam, quod dare poſſit, habet.
Virtute ingentem fortunam & moribus æquas,
Et celsâ veteres indole reddis Avos.
Ingenio præſtas, & robore mentis ad omnes
Ingenuas artes, munus ad omne vales.
Excitat hæc Phœbus cæleſtia ſemina cantu,
Perque jocum Muſæ ſeria ſæpe monent.
Carminibus priſci virtutem aluere parentes:
Laudis & immenſus carmine crevit amor.
Ah pereat quicumque alios detorſit in uſus
Sancta verecundæ munera Caſtaliæ!

Nec puduit myrto ſacras intexere laurus,
Nec Paphium Aönio fonte rigare nemus.
Tu chartâ ingenuos oculos averte profanâ;
Sed lætâ nugas accipe fronte meas.
Hæc loca carmen amant, & mens poſt ocia ruris
Acrior ad curas officiumque redit.
Nos priſcâ reduces ubi Roma receperit Albâ,
Excutiet manibus plectra lyramque labor.
Inviſus labor ignavis, ſed gratus honeſtis,
Et famæ cupidis imperiique Viris.
Nam cùm magna quies magno ſic pugnet honori,
Nulla ut eos valeat conciliare fides;
Convenit egregiis animis & ad ardua natis
Irrequietus honos, non inhonora quies.
His erat Æacides, queis tu pubeſcis in annis;
Aulide cùm Danai vela dedere Duces.
Ille latens Schyro poterat ſecurus in alta
Regales inter vivere blanditias;
Otia ſive ſequi lentus, quæ Theſſala Tempe
Obtulerant domino, Phthiaque pulcra ſuo.
Inde gravis ſenio Thetide & Jove natus abire
In cœlum poterat; vel maris eſſe Deus.
Non tamen hæc valuere marem Chironis alumnum
Mollire, ac dulci dedere nequitiæ:
Sed ſimul inflavitque tubam longævus Agyrtes,
Vibratâque Ithacus cuſpide ſigna dedit;
Se quamvis Paridis periturum ad Pergama telo
Noſſet, Sigæâ contumulandus humo;
Arma rapit tamen, & Troiam petit acer in armis,
Magnanimæ gaudens obvius ire neci:
Nec matris lacrimæ juvenem retinere, neque illum
Regifico potuit Deïdamia thoro.

Sic magis illuſtres animas cum laude perire,
  Vivere quàm lætas, ſed ſine laude, juvat.
Nec quiſquam magnâ quòd vivat ſorte beatus
  Se dignum titulis obſequioque putet.
Non Solium Regale facit nec purpura Regem,
  Rex eſt cui verè Regius eſt animus.
Nil cupit aut metuit, vigilat, populique ſaluti
  Audet in adverſis poſthabuiſſe ſuam.
Impiger, à vulgi ſtudiis alienus, avarus
  Temporis, aſt auri prodigus, æqua jubens:
Qui ſontes punit, dignis favet, odit inertes:
  Qui nihil è Regno vult ſibi præter onus.
Teſtis ALEXANDER, quo nil habet altius orbis,
  Cardine nil majus ſol ab utroque videt.
Ille animum huc volvens illuc, ſeu tollat Eöo,
  Seu lavet Heſperio litore Phœbus equos.
Publica per vigiles exquirit commoda curas,
  Una vacat magno in pectore cura ſui.
Quin Sophiâ, ſi quando animum, Muſiſque remittit;
  Avolat, & ſtimulis mens agitata piis
Fertur ad Æthiopas, & inhoſpita Regna Tabaſcum,
  Diſſitaque immitis litora Braſiliæ:
Gentis ut obſequio Romanas imbuat aras,
  Et latè Chriſti proferat Imperium.
Nec tamen interea noſtri obliviſcitur orbis:
  Sed tempeſtatum nubila proſpiciens,
Cogitat, Europam quâ ſubtrahat arte periclis;
  Nec ſinat Italiam barbara juſſa pati.
Italiam, mare quam geminum tutatur & Alpes,
  Et pace egregii militiâque Viri.
Non tamen eſt illi mare ſic Alpeſque Virique,
  Fida ut ALEXANDRI dextera præſidio.

Hanc auro fœtam nunc Ille extendit ad Iſtrum ;
  Nunc ad Cretenſem porrigit uſque Thetin.
Hac cæli recludit opes mortalibus ægris :
  Hac tonat : hac Superos ad pia bella trahit.
Ne quòd Is inciderit in tempora dura timeto,
  Molliet hæc Virtus durior ipſa Viri.
Cui rerum imperium noſtri miſerata dedêre
  Fata Miniſterii præſcia difficilis.
Sic ubi Lernæâ caput extulit Hydra palude,
  Extulit Alcides magnus & ipſe caput.
Sic in ſpem Latiæ Pœno creſcente ruinæ
  Hannibale, in Patriæ crevit opem Fabius.
Scilicet exercere cupit, non perdere gentes
  Juppiter, & ſancto flectere corda metu.
Qui nunc Pannoniam ferro populatur, & igni,
  Ultimaque Europæ fata minatur Arabs;
Barbaries licet huc omnis confluxerit armis,
  Quique Tigrim, Tanaïs quique fluenta bibunt;
Nunc licet exultet ſucceſſu læta ſecundo,
  Terga dabit multis turpia vulneribus.
Cæſar, & implicitus magnis pro Cæſare curis
  Solvet ALEXANDER plurima vota Deo:
Inter quæ vultu ſimulans malè gaudia Livor
  Cogetur cladem, damnaque flere ſua.

AD
JOANNEM BONAM
Sancti Bernardi in Urbe Abbatem.

PAndit hiulca ſinum Nemeæâ lampade tellus,
  Et populos æſtas pulverulenta coquit.

Acrior

Acrior at Latiis inſedit collibus ardor,
Quem ſtipula infelix, & gravis Auſter alit.
Squalet ager: nigris rareſcunt ſaltibus umbræ:
Frons perit: herbam humor deſerit, herba pecus.
Tybris aquas inopes Tyrrhena ad litora volvit:
Vix cava Naïadum ſufficit urna ſiti.
Fonte carent volucres, & ſicco gutture ceſſant:
Thracia vix lacrimas, queis fleat, ales habet.
Sera venit, leve ſubſidium mortalibus ægris,
Nox brevis, & ſterili nube adoperta caput.
Aurora interea, nullis comitantibus auris,
Eöo tacitùm proſilit Oceano.
Non ea ſparſa leves Nabathæo rore capillos,
Non ea Punicei veris onuſta ſinum.
Cetera quæ inſuetos teſtantur ſigna calores,
Prætereo: aret enim fons quoque Pierius.
Arent languidulæ Parnaſſi in vertice laurus:
Unde ſacer noſtro fluxit honos capiti.
Quæris, quo ſtudio traducam tempora? Dicam.
Tu veniam dicto, Bona diſerte, dabis.
Nos, ubi ſol medium curru quatit æthera anhelo,
Et rabida exertat latius ora Leo;
Feſſi animo, ſudore graves, in tecta redimus.
Excludit calidum ſtorea laxa diem.
Detractis tunicis prandemus. ſeria ludus
Excipit, & curas deſidioſa quies.
Nunc terimus Latiis, nunc Vatibus otia Graiis,
Pangere nunc priſcis auribus apta juvat:
Nunc & Aricinæ reminiſci frigora ſilvæ,
Torteſque, & liquidos, quà fuit Alba, lacus.
Alba caput Latii quondam, nunc diruta, rurſum eſt,
In Latium Ænæâ quod veniente fuit.

Sæpe ibi noſtra levi modulata eſt carmen avenâ,
Geſtaque ALEXANDRI Pieris auſa loqui.
Plauſit ALEXANDRO Dryadum chorus omnis, & alti
Reddiderunt colles, concavaque antra ſonum.
Finitimi interdum miſcent jucunda ſodales
Colloquia, & ludo liberiore jocos.
Quos inter quandoque pedem Bonviſius infert,
Neſcius atque æſtum Spinula ferre gravem.
Clarus uterque atavis, & Phœbo carus uterque,
Indole præſtantes ingenioque Viri.
Interea feſſis obrepit ſomnus ocellis,
Stertimus ad ſonitum lenè cadentis aquæ,
Quam prece, dilectum Superis, è pumice ſicco,
Nudipedem fama eſt elicuiſſe ſenem.
Namque lares colimus ſacros, quibus ante ſolebant
Pauperie læti vivere Nudipedes.
Artibus his lentè properantes fallimus horas,
Et ſtulti fugimus quas querimur fugere.
Tu tamen inſtabili pennâ fugientis avarus
Temporis, heu nullam das animo requiem.
Nec te dura valetudo, monituſque medentûm
Flectere, non Domini juſta querela poteſt.
Tantus amor doctas majorum evolvere chartas,
Noſcendæque omnis te tenet hiſtoriæ.
Dum caput inquiris, ſummumque, ab origine prima
Romani in populos Præſulis imperium.
Quid vates doceant, quorum Deus ore locutus?
Quæ fuerint Patrum Cœtibus acta piis?
Quis, cum Relligio primis adoleſceret annis,
Ritus, quæ vitæ regula, moſque foret?
Aurea quæ noſtræ collata redarguit ætas
Chriſtiadum luxus, degeneremque togam.

Am-

Ambitio maleſuadaque opum ſitis omnia perdunt,
 Mortaleſque vetant lumina tollere humo.
Has Erebo Peſtes Nox cæca emiſit in auras,
 Cùm vetitam ramis carperet Eva dapem.
Ilicet in vitium flecti, & jus temnere cepit,
 Nullius ante ſibi conſcia gens ſceleris.
Sancta Fides, Pudor, & Pietas evanuit. At Mors
 Tunc primùm terris intulit atra pedem.
Ex illo populos Diſcordia vertit, & Urbes,
 Civiliſque movet bella cruenta furor.
Nonne vides, ut in arma ruant miſeræ undique gentes,
 Cladibus & clades addere ſemper ament?
Bis Batavûm fractas adverſo Marte carinas
 Anglia feſtivis urit inulta focis.
Nunc tamen in pugnam nova Trompius arma recudit,
 Claſſe ferox juvenum nil metuente mori.
Martia non æquis conflixit Iberia fatis,
 Et Luſitanum ſanguine merſit agrum.
Decolor Herculeas etiam nunc exit in undas,
 Et caput illacrimans ſæpe recondit Anas.
Non tamen abſiſtent. è bellis bella renaſci
 Cernimus: & campi ſemina cædis habent.
Feſſa malis cum Thrace iniit Germania pacem,
 Quam credat nullum Thrax violare nefas.
Ferrum acuit Cimber: Venetus ſub faſce laborat:
 Sarmatia æternâ ſeditione furit.
Quæ tamen in ſe oculos trahit, in ſe vota Potentum,
 Nubilis ut centum virgo petita procis.
Hos inter motus, atque hæc diſcrimina rerum,
 Mitia fas nobis Palladis arma ſequi.
Sed te Bernardi veſtigia dia legentem,
 Roma ſuis digito indicat hoſpitibus,

Et te conſulit in dubiis, ambitque viciſſim
Egregium quiſquis nomen in Urbe gerit.
Riccius, ingenii pretium cui divitis auget
Virgineus, ſancta cum probitate, pudor.
Vecchius haud cuiquam merito ac virtute ſecundus,
Maximus ingenuâ qualibet arte valens.
Nerlius & Sophiæ magnus Themidiſque ſacerdos;
Et Caſanatta ſuæ gloria Parthenopes.
Tuque Leo, cujus per cunctas didita gentes
Fama, ſeneſcenti tempore major erit.
Inclyte Vir, doctæ cum quo morientur Athenæ,
Munera cui Reges invidioſa ferunt.
Nam de aliis ſileo, qui noſtræ haud laudis egentes
Virtutem celebrant, Bona, coluntque tuam.
Quos inter Medis Heros jam notus, & Indis,
Sfortia divino eminet ingenio.
Sæpe & ALEXANDER, quem dantem jura procellis,
Suſpicit immoto Fama ſupercilio;
Cujus nutibus acclinant capita ardua Reges;
Sæpe tuo curas ſublevat alloquio.
Sed me nota vocant jam munia. Plura licebit,
Siſtet ubi in viridi nos vetus Alba jugo.

AD
ALEXANDRUM VII. P. M.

Ineunte Pontificatûs anno undecimo.

QUæ rerum Domino multam dictura ſalutem,
In Vaticanum tendere, Muſa, paras;
Si neſcis, aditus duro cuſtode tenentur,
Stant vigiles Horæ, limine quæque ſuo.

Hæ

Hæ ſubeunt Orbis, partito munere, curas:
  Nec potis eſt ullâ parte vacare dies.
Illa Aſiæ explorat motus: ea reſpicit Indos:
  Hæc Veneto, hæc feſſæ conſulit Heſperiæ.
Cogitat hæc Cimbros: reditum parat illa Britannis:
  Viſtula vult horam, Rhenus, Ararque ſuam.
Una eſt, quæ valeat ſacrum tibi pandere limen;
  Cùm removet parcas Pallas amica dapes.
Nam quod per ludum tempus mortalibus ægris
  Effluit, egregiis artibus ille tenet.
Proſpicit huic Horæ addictum Latia arva cubile,
  Cui ſubjecta novis area porticibus.
Illò inferre pedem non audet ſomnus inertem,
  Stertere contiguis qui ſolet in foribus.
Sed Sophia, & pulcra Uranie, ſed candida Pitho,
  Quotque habet his ſimiles Græcia docta Deas.
Quas inter Vati locus eſt, nec ſpernitur aptum
  Carmen, & arguto pollice pulſa chelys,
His animum ſtudiis curarum à mole remittit,
  Acrior ad ſuetum mox rediturus opus.
Ergo ubi magnificos intraris, Muſa, penates;
  Pone genu, & ſanctis oſcula da pedibus.
Quæque decem ſupplex fudiſti vota per annos,
  Ne dubita votis accumulare novis.
Vivat ALEXANDER! faveant, hoc Principe rerum,
  Aurea Pax populis, Copia dives agris.
Cedat Turca ferox: utroque à cardine Mundi
  Unus amor gentes nectat, & una fides.
Auro ſæcla fluant: pandat nova littora Tethis:
  Et non viſa priùs ſidera ab axe micent.
Excipiet vultu pacatus, & aure benignâ
  Carmen ut Ille tuum; ſic tua vota Deus.

AD SFORTIAM PALLAVICINUM CARDINALEM AMPLISSIMUM.

De Petro Soavi in Hiſtoria Concilii Tridentini confutato.

SI te, magne Heros, tellus Argiva tuliſſet,
 Cùm vacua adſcripſit fortibus Aſtra viris;
Vidiſſetque tuâ confoſſum cuſpide monſtrum,
 Sternere quod centum non potuere manus;
Qua Nemees, Lernæque feras poſuere, trophæum
 Herculis, arderet quæ tibi victa fera eſt.
Quodque habet Alcides, tu cælum invicte teneres,
 Creditus hoc humeris ſuſtinuiſſe tuis.

AD ALEXANDRUM VII. P. M.

recurrente ejus natali die.

HÆc, quæ te, Princeps, in luminis edidit auras,
 Alma dies, donis iret onuſta meis.
Omnia ſed mea rimanti mihi ſe nihil offert,
 Quod non ipſe tuum dicere jure queas.
Quò fit, ut ingratus videar, vel ruſticus in te:
 Seu tibi nil donem; ſeu tua reſtituam.

Do-

Donarem verſus; ſed & illos Muſa fatetur,
 Cùm tu me Vatem feceris, eſſe tuos.

AD

JACOBUM NINUM

ARCHIEPISCOPUM CORINTHI,

HOROLOGIUM CASTRI GANDULPHI.

JAcobe ſalve, ac Neſtoris dies vive,
Qui rebus animum maximis parem ſervas,
Viriſque vulgus ſemper invidum claris
Morum, ingenîque ſuavitate viciſti.
Si te familiæ Præſidem Palatinæ,
Et cognitorem ſupplicum libellorum
Adire fas eſt flagitantibus curvæ
Opem ſenectæ, aut claudicantibus membris:
Tu ſi benignâ quemque ſublevas dextrâ;
Accipe ſecundâ TEMPORIS preces aure.
Quòd ſim tremens, edentulus, ſitu ſqualens;
Pædore, macie, anhelituque confectus,
Nil doleo: morbi ſunt enim ſenectutis,
Nec in orbe toto me ſenilius quicquam eſt.
Doleo, quòd iſte horarius faber, dum me
Miſerum tot inter ferreas rotas verſat
Malè temperatas, atque araneis plenas,
Inerſque plumbum, perperamque libratum,
Deformat, ac ludibrium facit vulgi:
Nam horis velut membris ter octo componor:
Hæ ſunt mihi pectus, caput, pedes, venter,
Et reliqua. Dum ergo ſuſque deque miſcentur,

Et

Et inordinato motu aguntur huc illuc,
Ut hora luci debita occupet noctem,
Prandendi & horam trudat hora cænandi;
Invertitur mihi forma, & ordo membrorum,
Monſtrumque fio, mancus, ore diſtorto,
Ut non eant tantùm impari pedes greſſu,
Verumetiam, ut audis, ipſa claudicet lingua:
Nec turpius me quidpiam videt Sixti
Pons hoſpitalis indigentium turbæ.
O! qui nitêre pulcriùs loci vultum
Iſtius, Urbe vel invidente feciſti,
Foro expolito, ædibus, viis, templo,
Denique dediſti rebus ordinem cunctis;
Fac ipſe quoque reducar in bonam formam;
Ut nil ſit hac in Arce non reformatum,
Atque ego libens iterare ſæpius poſſim
Jacobe ſalve, ac Neſtoris dies vive.

AD
JOANNEM ANGELUM ALTEMPSIUM
ADOLESCENTEM ORNATISSIMUM,
Qui de Caſtaneis elegantiſſimo carmine luſerat.

TE noſtri hendecaſyllabi ſalutant,
O novem Juvenis decus ſororum!
Phœbi dignus amore, laureâque,
Si non Caſtaneæ venuſtiorem,

Gra-

Gratæ in Melpomenem tuam, pararent
Lauream tibi frondium ſuarum.
Nam quæ montibus aviis latebant
Nuper vilia poma; te canente
Inter Caſtaliæ vireta ſurgunt,
Muſis cara jocantibus propago.
Et quæ pauper erant cibus popelli,
Poſthac intererunt potentiorum
Menſis munera, cariùſque ementur.
Nam cum illas celebraveris canendo
Pulcris verſibus, & Marone dignis;
Vafer venditor, eſſe clamitabit
Verè Caſtaneas Maronianas.

AD
LEONEM ALLATIUM V. C.
EX ALBANO.

ALcidæ, Leo, comparande magno,
Dum mactas calamo ſubinde monſtra;
Quæ fert in Latium Britanna tellus,
Aut ſerpentigenæ palus Genevæ;
Graiæ omnis Pater eruditionis,
Cui quamquam Patria eſt, amata Baccho
Graiarum Chios Inſularum ocellus;
Olim cùm tamen atra, edax Vetuſtas
Delêrit monumenta literarum,
(Hæc enim quoque diruet Vetuſtas)
Certatim tibi Patriam fuiſſe
Smyrna, Ios, Colophon, Rhodoſque, & Argo,

Et Pandioniæ volent Athenæ:
O Vir candidior tuis capillis!
O vitâ mihi dulcior ſodalis!
Si in ruris licet otio jocari,
Farcimen tibi mittimus ſuillum,
Diſtinctum ſpatiis pares in offas,
Lucani quibus indidere nomen,
Quod fari hendecaſyllabi recuſant.
Vilem, atque è trivio (fatemur) eſcam,
Quam paucis emit aſſibus popellus:
Anni ſi tamen intuêre tempus,
Et quâ facta ſit arte, quo paratu,
Inter Regificas dapes habendam.
Hîc aromata fertilis Moluccæ,
Hîc baccas Arabum beatiores,
Et quidquid peregrini odoris uſquam eſt,
Factoris manus erudita cluſit:
Et, quod omnibus his magis placebit,
Antiquas tibi litteras amanti,
Sus, quæ conditur hoc ſub involucro,
Non de plebe ſuum eſt propago vilis,
Verùm, ut hi referunt mihi ſubulci
A priſcis ſibi traditum ſubulcis,
Jactat nobilium greges avorum,
Ac Troiana genus refert ad uſque
Clarum tempora, ſemine orta Porcæ,
Quæ ſub Ilice fœta nomen Albæ,
Et locum dedit Urbis. Extat Ilex
Tot poſt ſæcula poſteris videnda,
Cujus ſub placida ſolemus umbra
(In nos quæ Domini benignitas eſt)
Venâ fundere carmen affluenti.

Sed

Sed non hîc ego te diu tenebo
Albæ inter monumenta, origineſque,
Ne dicas, Leo docte: Sus Minervam.

AD
FLAVIUM CHISIUM
S. R. E. CARDINALEM,
ex legatione Gallica redeuntem.

PRiſca refers Latio, FLAVI, ſpectacula pompæ,
  Gallica cum Cæſar reddidit arma Jovi:
Tu quoque Victor ovas: Titulus præfertur ovanti;
  Gallia virtute atque indole capta tuâ.
Hoc à Cæſarea differt tua palma: ſalutem
  Illa quòd eripuit civibus; iſta dedit.

ALEARUM PRÆSTIGIÆ.

EN tibi qui magnæ renovat miracula Circes;
  Plus digito, virgâ quàm fuit illa, potens.
In varios Proteo traducitur æmula vultus,
  Semper fœta novis Alea prodigiis.
Altera in alterius tranſit converſa figuram:
  Inque ſuam, nulli tacta, repentè redit.
Quamlibet è multis lege, comprenſamque teneto;
  Vertitur in manibus forma colorque tuis.
Si tela in flores verti cupis; ille Sibyllam
  Invocat: & flores Alea verſa refert.
Mutantur paria imparibus; quadrata rotundis:
  Et fraga in moros degeneraſſe vides.

Parva loquor. Tacitis deſigna ſenſibus unam :
  Ilicet hanc digito vaticinante notat.
Stat circùm denſa, atque oculos defixa corona,
  Theſſalico exclamat carmine monſtra geri.
Tu ne crede nefas. Facit hæc ludibria menti,
  Inſidias oculis tendere docta manus.
Neve fidem præſtes alienis credule dictis,
  Quam debes oculis ſæpe negare tuis.

Inſcribendum Aviario hortorum Quirinalium, in quo Turtures.

REſpice quiſquis ades, Regum qui vivis in Aula,
  Si cupis effigiem ſortis habere tuæ.
Cùm pleræque trahant per mille pericula vitam
  Suetæ hyemem volucres, pauperiemque pati:
Turturibus ſecura quies, & copia frugum
  Suppetit, & rivus, cum lare, jugis aquæ.
Hîc ver aſſiduum: hîc veſci fas dulcibus auris:
  Præſentemque loci ſæpe videre Deum.
Quas illi debent, tali pro munere, laudes!
  Hîc tamen æternos gutture dant gemitus.

In obitum fortiſſimi Viri

NICOLAI SERINII,

ab Apro confecti.

DUm flet dente fero Mavors heroa peremptum,
  In quem Aſiæ iratæ nil potuere manus;
Dumq; haſtâ premit ultor Aprum, & ſimul exprobrat illi
  Quò Veneri placeat funus, Adoni, tuum;

Quid

Quid mea, clamat Aper, benefacta in crimina vertis?
Hæc mihi prò gemino munere, Dive, refers?
Sollicíti tibi materies erat alter amoris:
Cura metuſque tuis Thracibus alter erat.

AD
ALEXANDRUM VII. P. M.

Ineunte Pontificatûs anno duodecimo.

HAnc celebrare diem Phœbi chorus, inclyte Princeps,
Cùm merito nequeat carmine; vota facit.
Et fauſtâ populis prece Divûm ſupplicat aris;
Ut numeres Pylios, ſed ſine nube, dies.
Ne paveant votum Agricolæ. Si nubila deſunt;
Principe Te, fruges aureus imber alit.

AD
ALEXANDRUM VII. P. M.

Ineunte Pontificatûs anno quarto.

NOn indigna Tui canerem nunc, Maxime Princeps;
Sed cohibet juſtus me, retinetque pudor.
Nam recolens lucem, Tibi quæ dedit Orbis habenas,
Natalem celebrat noſtra Thalia ſuum.

Ineunte anno octavo Pontificatûs

ALEXANDRI VII. P. M.

HÆc & Alexandrum populis dare jura coëgit,
  Et Chriſti infandam lux fuit auſa necem.
Quid faciam ? ſequar hunc lacrimis & carmine triſti ?
  Illius an ſortem, gaudia noſtra, canam ?
Flere juvat. Fletu munus ſolvemus utrumque.
  Utraque res mœſtum poſtulat officium.
Nam tot Alexander ſpinis inamabile Regnum
  Dum ſubit ut reparet, ſcandit & ipſe Crucem.

IN OBITUM JOANNIS RHO S. J.

eruditione & eloquentiâ ſacrâ clariſſimi.

LUgeat ereptum paſſo te Roma capillo,
  Ereptum atratis lugeat Arnus aquis.
Nec parcat lacrimis viduata Inſubria tanto
  Lumine, nec linguâ Relligio orba ſuâ.
Dumque dat illuſtri flores gens Itala buſto,
  Aſſonet inferiis Tethys utroque mari.
Publicus at poſtquam ſatiarit lumina luctus,
  In laudes animum vertat & ora tuas.
Par ſiquidem eſt, ſi te cuncti ſiluere loquente,
  Te cuncti incipiant, Rhoë ſilente, loqui.

De

De Pomis ex cera affabrè fictis.

NAturæ invidiam, deſideriumque palato
 Iſta movent doctâ poma creata manu.
Tam bene fraga rubent cum verſicoloribus uvis,
 Tam bene cum pepone ficus hiante viret.
Perſica jurares modò lecta ex arbore mala,
 Prunaque cum hirſutis cerea caſtaneis.
Quid memores uvam volucres quæ picta fefellit?
 Auctorem hæc poſſunt fallere poma ſuum.

AD

ALEXANDRUM VII. P. M.

ineunte nono Pontificatûs anno.

VOta libens facio, non carmina, Maxime Princeps;
 Hæc licet obſequium poſcat utrumque dies.
Nam facilè eſt pro te facientem vota probari:
 De te ſcribentem carmina difficile eſt.
Noſtra tamen quòd Muſa tuis ſit honoribus impar,
 Id mihi non culpæ, ſed Tibi laudis erit.

AD ALEXANDRUM VII. P. M.

è morbo recreatum.

TUrbine disjectam vario regnator Averni
  Contendit Latiam perdere ſæpe ratem.
Aſt ubi ſecuram pelagi Stygiæque procellæ,
  Præſide Te, vidit pandere vela notis:
In te omnes vertit furias, Ereboque Dolorem
  Suſcitat; exitium qui Tibi triſte ferat.
Ille quatit pennas ſpe prædæ ingentis: & in Te
  Tortor Aloïdum, Tantalidumque ruit.
Jamque ſacros torquere ferox inceperat artus,
  Et noſtras durâ ſpes laniare manu.
Verùm ubi Te immotum ſentit cruciatibus; hæſit
  Prodigio cedens, obſtupuitque Dolor.

AD ALEXANDRUM VII. P. M.

de horum temporum felicitate.

HEſperiam miſeranda lues, ac triſtia nuper
  Vexabant populos bella comeſque fames.
At nunc læta ſalus, & pax bona temperat orbem,
  Auſonioſque ferax copia ditat agros.
Tam licet inter ſe varii, Te Præſide rerum,
  Inciderint anni, diſſimileſque dies;
Tempora declarant juſtos tamen utraque Divos:
  Illa hominum mores, hæc meruere tui.

Adſcribendum imagini Virgilii Poëtæ, Ruſtici ex Apulia.

NOn impar ego Virgilio: ſi vel mihi Civem,
Aut illi naſci ſors dabat Agricolam.

AD
LEOPOLDUM MEDICEUM
S. R. E. CARDINALEM.

CRediderat famæ de te præclara loquenti
Indolis & generis conſcia Roma tui.
Sed poſtquam ſacro te fulgere vidit in oſtro,
Et verti in te oculos undique & ora virûm:
Sive vacas ſuperis; hominum ſeu commoda curas,
Res ubicumque tuam publica poſcit opem:
Sive novas reperis, priſcas ſeu protegis artes,
Impiger ingenio, munificuſque manu:
Seu renuis titulos, ſceptrique inſigne paterni,
Fortunæ oblitus ut videare tuæ;
Notus eras Medis, notus, Leopolde, Britannis:
Sed mihi adhuc, inquit, non bene notus eras.

AD
CLEMENTEM IX. P. M.

In funere cæſorum Cretenſi bello, ejus juſſu apparatiſſimè celebrato in Baſilica Liberiana.

DUm fortes lacrimis decoras & honore ſepulchri
 Pro Latia extinctos Relligione duces;
Rumpitur invidiâ rupes Tarpeia, ſuperbam
 Oppoſito cernens ſurgere colle pyram:
Majoreſque dolet quòd nunc defenſa triumphos
 Creta dat Exquiliis, quàm ſibi victa dedit.

AD EUMDEM,

Ineunte Pontificatûs anno tertio.

TErtius ingreditur, populis plaudentibus, annus,
 Ex quo Roma tuis oſcula dat pedibus.
Neſcia labis eat, vota inter læta precantum,
 Et reſonet feſtis vocibus alma dies.
Neve illam nebulis offundat Creta laborans,
 Quæ te curarum maxima diſcruciat.
Comprimet invictis Aſiam Vincentius armis;
 Inque tuum vertet noſtra pericla decus.
Auſpice te magni ponunt odia aſpera Reges;
 Et tibi ſe ſubdunt, & ſocia arma ferunt.
Europa in Cretam ruit omnis, & ultima Turcis
 Fata per Ionium, Gallia claſſe vehit.
Moxque ſequens tua ſigna, novo ſub Rege, Polonus,
 Arva triumphanti Thracia vertet equo.

Jam

Jam turpem, trans Bactra, fugam parat hoſtis, & omnis
Ad nomen trepidat barbara terra tuum.
Te multum ut timeat, non tam tamen illa timebit,
Altera pars orbis quàm melioris amat.

AD
CLEMENTEM IX. P. M.

In funere Thomæ Roſpiglioſii.

ROma gemit, vellenſque comam velut orba parente,
Cum Thoma queritur ſpes obiiſſe ſuas.
Nos animam egregiam lacrimis, ac thure piamus:
Dum mors Exquilias polluit atra nives.
Tu nihil hæc, veluti tua ſint, non publica, ſentis
Damna: nec ad triſtes ingemis inferias.
Lumina (credo equidem) ſtillarent victa: ſed illa
Exhauſit lacrimis Creta redempta tuis.

AD
FRANCISCUM BARBERINUM
S. R. E. CARDINALEM,
EPISCOPUM OSTIENSEM,

Cùm in inſula Creta eſſet à noſtris improſperè pugnatum.

EHeu furori cedere barbaro
Coacta virtus! Occidit, occidit

Invicta pubes: Galliæque
Flos canibus data præda Turcis.
Jam Creta ferro diruta & ignibus
Procumbit. Illam tendere ſupplices
Jam penè palmas huc volentem
Odryſiæ prohibent catenæ.
Quo læta tollit cornua nuntio
Carthago, avitis effera cladibus,
Torvoque jampridem tuetur
Italiam, Tiberimque vultu.
Videre noſtris jam videor trucis,
Victum per æquor, vela Propontidis
Lunata, & Afrorum cruentas
Litoribus volitare puppes.
Non jam latronum more; ſed (heu pudor!)
Latè paventis nunc dominas maris,
Diram ferentes imparatæ
Urbibus Auſoniæ ruinam.
Fruſtra Garumnâ miſit ab ultimo
Claſſem & cohortes non timidas mori,
Mori ipſe promptus pro ſalute,
Pro Latiis Ludovicus aris.
Nil Italorum fortia pectora,
Nil præpotens Germania, claſſico
Excîta Clementis per omnem
Heſperiam rapientis arma
Juvere; ab ipſo nil lacrimæ, nihil
Clemente fuſæ ſuppliciter preces,
Quibus Tonantis ſæpe telum
Excutit è manibus triſulcum.
Non miles armis degener, aut Ducum
Culpandus error. Ipſe juvat Scythas,

Et tradit inviſam Gelonæ,
Progeniem Deus ultor haſtæ.
Hîc barbarorum ſpicula dirigens,
Dat noſtra ventis irrita: hic æthera
Infeſtat, Ægæaſque noſtrum
Armat in exitium procellas.
Illum exuentis frena licentiæ,
Luxuſque pravi crimina, & ædium
Movere ſacrarum querelæ.
Ipſa quidem ſimulacra, & ævo
Collapſa Divûm templa refecimus,
Afro tegentes marmore: ſed tamen
Ut nomen, excluſis, profanum
Fronte ferant, titulumque, Divis.
Non thura deſunt maſcula, non apes
Præbere ceſſant lumen Hymettiæ:
Gemmâque collucent, & auro
Pallia cum pateris, Eöo.
Sed non probandis moribus inquinat
Aras Juventus: nec timet hoſtiam
Intonſus attrectare Diam
Sacrilegis manibus Sacerdos.
Et quas piorum priſca fides Patrum
Aſſueta duram pauperiem pati,
Famem inter & cædes paravit
Divitias, maleſuada ſæpe
Libido perdit. Te pia jugiter
Juvante bella, tectaque pauperum,
Franciſce: ſemotamque Goam,
Quas & inops rigat Iſter oras.
Cui noſtra Patres ſi ſimiles duos
Ætas tuliſſet, Romulea in toga;

Verſis

Verſis videremus ſuperbam
Flere Aſiam Libyamque fatis.
Tu fata curas publica: tu viros
Ictu immerentes quos premit aſpero
Fortuna, plebeiuſque livor,
Erigis, exulibuſque dextram
Muſis fidelem porrigis, & lare
Foves benigno: tu Latio decus
Priſcum reducis: tu ſepulcro
Docta rapis monumenta Graiûm,
Adeptus artes, queis ſtetit Italæ
Hucuſque gentis gloria, quas novâ
Urbanus auxit luce Princeps
Pieridum, columenque rerum:
Dircæa cujus barbitos admonet
Silere noſtram: barbitos inclyta
Quæ ſacra perſonabat alto
Par animo, Imperioque major.

ORA-

ORATIO
IN FUNERE
ALEXANDRI VII. P. M.
HABITA
AB AUGUSTINO FAVORITO,
In Baſilica Vaticana.

ARduam ſanè provinciam ſuſcepiſſe me video, Patres Eminentiſſ., laudandi Alexandri VII. Pontificis Maximi, cui in hac miſera triſtique Romanæ Eccleſiæ viduitate juſta perſolvimus: cùm ob argumenti ubertatem, cui facilè non ſit parem eloquentiam invenire: tum ob meam in dicendo inopiam, cui hæc funeris pompa toti Chriſtianæ Reipublicæ luctuoſa, mihi verò etiam peracerba, lacrimas potiùs à dolore, quàm ab ingenio facundiam impetrarit.

Duo tamen ſunt, quæ me ab hac animi perturbatione, ac juſtiſſimo metu liberant: Quòd & longè præſtat, ſatisfacientem muneri ſuo, ac juſſui veſtro obtemperantem in conatu honeſto deficere, quàm hominum reprehenſiones nimis reformidantem, officio deeſſe: quòdque apud eos dicturus ſum, quorum præclaris in Rempublicam meritis cùm ſint Sanctiſſimi Pontificis merita, laudeſque conjunctæ, neceſſe non habeo iis artibus, quibus Orator cauſæ ſuæ ſervire ſolet. Cùm enim alteri veſtrûm eum, de quo verba facio, Pontificem Maximum, animorum

rum conſenſione propè inauditâ, renuntiaveritis; alteri ab eo conſtituti in hac arce imperii & dignitatis, tamque illuſtribus ornamentis aucti fueritis; facilè intelligitis, etiam me tacente, optimi Principis gloriam, quaſi certiſſimum virtutis, ac ſapientiæ veſtræ teſtimonium, in Vos omnes redundare.

Ac ſanè, ſi alibi, quàm in hac Urbe ad dicendum accederem, verendum mihi fortaſſe eſſet, ne (quod ferè fit) inter præteritarum rerum odium, & ſpem futurarum, obſtreperet orationi meæ inſenſa concionis admurmuratio, inveterato Aulæ more parum ſecundis auribus accipiendi, per Interregni tempus, quantumvis juſtas, debitaſque laudationes.

Verumtamen ego hujuſce timoris cauſas procul habeo, & apud propitias aures dicturum me ſpero, cùm de Alexandro Septimo loquar in Urbe Roma, in qua priſci illi Quirites, quorum Vos patriæ, gloriæque hæredes eſtis, inter tot domeſticas, peregrinaſque religiones nihil ſanctius coluere, quàm acceptorum beneficiorum gratam recordationem. Quò enim oculos, mentemque circumferetis, ubi veſtigia non extent eximiæ illius charitatis, quâ Vos Alexander, Urbemque veſtram complectebatur? Non hîc ego loquor (neque ex ampliſſimo ejus laudum patrimonio leviora hæc depromere opus habeo) de foris viiſque publicis, à rudi & incompoſita vetuſtate, ad ſummam elegantiam nitoremque traductis: non de ædificiis commoditati civium, & Urbis ornamento, quà inſtauratis liberaliter, quà magnificè excitatis: non de clariſſimis veteris Latii monumentis, eodem animo, quo erecta ſunt, ab interitu vendicatis: non de tot ædibus ſacris, vel extructis à fundamentis, vel à ſitu, & ſqualore deterſis: non de hoc ipſo tem-

plo

plo totius orbis maximo, ſanctiſſimoque Beati Petri Cathedræ auguſto ornatu, & Porticibus uſque ad miraculum ſumptuoſis in hanc amplitudinem, majeſtatemque perducto.

Alia ſunt, in quibus multò eluxit clariùs Parentis amantiſſimi cura, & ſollicitudo de incolumitate fortuniſque veſtris aſſiduò cogitantis. Verùm ne ſingula, quæ ſunt infinita, conſecter; unum aut alterum in his temporis anguſtiis indicaſſe ſufficiet.

Ac primùm quidem recordari poteſtis, quæ ſub ejus Pontificatûs initium Urbem invaſerit rei frumentariæ egeſtas, non ex illius tantùm anni, ſed ex ſuperiorum quoque annorum ſterilitate collecta. Implorabant eodem tempore à communi Parente præſidium opemque in ſummum capitis diſcrimen adducta Regna & Provinciæ Chriſtianæ, Polonia, Creta, Helvetia: apparebatque, ultimo Catholicæ religionis excidio nefaria arma proludere. Ærarii autem Apoſtolici inopia tanta erat, quantam ſatis notæ temporum calamitates neceſſariò invexerant. In his tamen rerum anfractibus Alexandri virtute ac providentiâ factum eſt, ut & exteræ gentes periculo ereptæ intelligerent, in Romani Pontificis ope, conſilio, auctoritate, ſitum eſſe patrocinium orbis terrarum: & Vos, magno frumenti numero è remotiſſimis litoribus in Urbem repentè advecto, penè illi prius ut Liberatori veſtro gratias, quàm ut Principi obſequium redderetis.

Famem excepit peſtilentia, metuendum illud divinæ ultionis telum, cujus ne nomen quidem audiri poteſt ſine horrore. Invaſit Urbem, & adjacentes Urbi regiones id malum, quò nos gravius conſternaret, cùm jam penè ſub oculis noſtris exhauriebantur funeribus, nullo

ple-

plebis, aut nobilitatis diſcrimine, Urbes Italiæ clariſſimæ, omnem magiſtratus, & medentium curam ſuperante vi morbi. Parem igitur nos quoque ſortem pari morbo correpti operiebamur. Sed brevi apparuit, non tam eſſe moribus noſtris iratum Numen, quàm promeritis Alexandri propitium; nec tam nobis juſtæ punitionis materiam, quàm illi inuſitatæ gloriæ campum paratum eſſe. Ita enim ejus incredibili vigilantiâ, & erga vos charitate, ſalubriter omnia diſpoſita curataque ſunt, ſuppeditatâ in omnes uſus largè pecuniâ, & communicatâ cum viris uſu rerum fideque præſtantibus, tutelâ publicæ incolumitatis: ut jam in Urbe eſſe videretur non peſtilentia; ſed imago quædam & umbra peſtilentiæ: cùm ſæpe noſtrâ memoriâ longè acerbiùs graſſati fuerint vulgares morbi ab aliqua cœli intemperie profecti; & nulla annonæ caritas, nulla commeatuum difficultas, nulla negotiorum intermiſſio, nulla denique rerum turbatio tam propria hujus mali ſit conſecuta. Dixiſſes, eam morbi contagionem, quaſi aliquod ex Africa monſtrum ſævum atque immane, magiſtri dexteritate manſuefactum, omnem feritatem priſtinam, ac propè naturam exuiſſe: vel quaſi fulmen quoddam ab ultore Deo vibratum in terras, alibi ruinam, hîc terrorem reliquiſſe. Quamobrem S. P. Q. R. ut aliquod ſalutis publicæ Vindici & Liberatori Urbis rependeret grati animi monumentum; ſtatuam ei in Capitolio decrevit, quo nullus major neque olim habitus, neque in præſens haberi honos ſolet iis, quorum extant in hanc Urbem merita propè divina. Eam tamen ſtatuam optimus Princeps, honoris ſignificatione contentus, exemplo ad hanc diem inaudito, erigi vetuit, probè intelligens, in alio gloriari oportere eos, qui in ſortem Domini ſunt vocati. Quo

facto

facto egit Alexander (meâ quidem ſententiâ) de veterum Romanorum triumphis omnibus, ac penè dixerim, de ipſo Capitolio triumphum ampliſſimum. Vicit enim cupiditatem mortalis gloriæ, cui victores illi gentium Conſules, quorum referta erat imaginibus Tarpeia rupes, fœdiſſimè ſervierunt, ignari, gloriam nullo egregio decore pulcriorem, quàm gloriæ contemptu parari.

Hanc tamen tantam animi æquitatem, ac modeſtiam, non uſque adeò mirabitur quicumque in memoriam revocarit ab Alexandro geſta in ſuperioribus Comitiis; quæ ſanè, niſi apud eos loquerer, qui toti negotio interfuerunt; jure vererer, ne ex declamatoria potiùs levitate, quàm ex vero dicta acciperentur. Sermo eſt mihi de magnanima illa audacia, quâ Alexander viam ſibi ad Pontificatum maximum obſtruere nitebatur eò conſtantiùs, quò vos ſtudia in illum veſtra ardentiùs proferebatis. Credo vos meminiſſe (& ego libentiſſimè recolo rem magnoperè pertinentem ad veſtri memoriam nominis ſempiternam) cùm de eo creando Pontifice aliquid moveretur, quæ illius fuerit oratio, qui vultus, quæ animi magnitudo. Intelligebat nimirum Vir maximus, & humanarum Divinarumque rerum conſultiſſimus, quo in ſtatu Chriſtiana res eſſet: quàm corrupti ſæculi mores: quàm multis in rebus collapſa vetus Eccleſiæ Diſciplina: quot à civilibus diſcordiis mala, quæ ab Hæreſi procella, quod periculum à barbaris immineret. Quid contrà præſtari oporteret ab eo, qui Chriſti vices in terris gereret, à quo egeni opem, infirmi ſubſidium, oppreſſi patrocinium, omnes fidei morumque regulam, & omnis Chriſtianæ exempla virtutis petere deberent: qui Græcis & barbaris, ſapientibus, & inſi-

pientibus debitor eſſet, & cui non ſolùm omnium Eccleſiarum, ſed etiam omnium, quantumvis barbararum, & à religione non minùs, quàm ab Urbe Romana diſſitarum gentium ſollicitudo, & cura incumberet. Intelligebatis & Vos, quid tam neceſſario tempore expectare ab eo poſſemus, qui clarum à majoribus genus, clariorem à natura ſortitus indolem, quique ab ineunte ætate optimis literis, & ſanctiſſimis moribus inſtitutus, omnes excellentis animi, atque ingenii ſui vires, & præclaros conatus, cùm in privata Diſciplina, tum in publicis muneribus, quæ multa graviſſimaque, egregia ſemper cum laude geſſerat, ad rei Chriſtianæ bonum, & ad felicitatem publicam contuliſſet.

Itaque tantâ omnium Ordinum comprobatione & gaudio (ſicuti memoriâ tenetis) exceptus eſt nuntius de creato Pontifice Alexandro, ut nulla poſt hominum memoriam viſa ſit illuxiſſe Orbi Chriſtiano lætior dies. Non tamen ille in tanto rerum humanarum faſtigio poſitus quicquam remiſit de priore illa ſua animi moderatione, de qua nunc ſermo erat. Quæ ſanè virtus cùm maximè pertineat ad declarandam animorum celſitudinem atque præſtantiam, multa hîc ego vobis in memoriam revocarem illius in hoc genere facta præclara: compoſitos ad omnem modeſtiam atque humanitatem familiares ſuos: Palatii Pontificii ſumptus ad antiquam frugalitatem redactos: addictam Apoſtolico Ærario pecuniam ſatis grandem, quæ ex vectigalibus ſacris & Libitinæ quæſtu redibat: perculſam graviſſimo edicto execrabilem illam Aulæ Romanæ peſtem, largitiones: negatos Adoleſcenti conſanguineo (noſtis quâ ſit indole, quibus moribus Adoleſcens) honores, qui illi totius Aulæ non opinione ſolùm, ſed etiam voto deſtinabantur: hæc,

in-

inquam, aliaque hujus generis multa commemorarem; niſi viderer mihi ipſum videre Alexandrum è ſuperno illo beatarum mentium choro flectentem huc oculos tutelares, & præſides hujus Urbis, meque è medio Orationis curſu,quaſi injectâ manu revocantem, monentemque, ne laudando virtutum ſuarum minimam, Vos ad rem omnium,quæ aguntur in terris, maximam properantes diutiùs morer.

Parebo itaque, ut parui ſemper, ejus nutibus. Nihil ampliùs dicam de Moderatione. Tacitus præteribo affinem Moderationi Tolerantiam, quæ æquo animo feret, excludi ſe à præconio laudum ſuarum, ut hoc quoque adjungat tot aliis de ſe documentis in Alexandro editis, in eo præſertim morbo, qui ſupremus illi laborum mortalium fuit. Quo quidem in morbo, cùm omni vivendi ſpe jam pridem conclamatâ, inter aſſiduos, acerbiſſimoſque cruciatus quottidiè moreretur, ita ſe geſſit; ut nemo ex veteris Græciæ Sapientibus contemptum mortis tam magnificè jactarit in ſcholis, quàm ille fortiter exercuit in arena. Mittam loqui de religione, de pietate, de vitæ ſanctimonia, quæ in omnibus dictis ejus factiſque publicè, privatimque elucebant. Nihil memorabo de ingenio, de eloquentia, de omnis generis doctrina, quibus Imperii ac fortunæ ſuæ faſtigium adæquavit. Nihil de zelo Domûs Dei, quo religioſiſſimus Princeps magno aſſiduoque flagrabat, & qui præcipuè enituit in Sodalitate illa, quæ firmiſſimum Religionis Catholicæ propugnaculum ſemper eſt habita, in illas terras, unde ſubitâ quâdam procellâ, omni præciſâ ſpe reditûs, depulſa fuerat, longo poſtliminio reſtituta: in profliganda recentiorum temporum hæreſi, multis maximiſque clientelis validâ & pertinaci, & in amplum

funeſtumque, niſi reprimebatur, incendium eruptura: in ſedandis Doctorum Catholicorum contentionibus, quæ à Lugdunenſis uſque Concilii temporibus in Eccleſiam invectæ, de Immaculata Conceptione, eò paulatim partium ſtudio provectæ erant, ut ingentes ex illis turbæ, & fortaſſe clades imminerent; niſi Alexander, ſapientiſſimo diplomate, ita rem temperaſſet, ut omnis illicò tempeſtas conquiêrit, & non præſentem ſolùm ea de re controverſiam, ſed etiam omnia futura certamina delêrit. Silebo invictam in ſummis periculis animi fortitudinem, & in retinenda dignitate conſtantiam. Indictæ abibunt comitas, & humanitas, quæ tantæ ac tam propriæ illius fuerunt, ut eodem cum Alexandro funere elatæ viderentur, niſi eas in moribus, vultibuſque veſtris ſpirantes intueremur. Quibus ego ne videar abuti, eodem ſilentio involvam tot alia facinora inclyta, tot rerum eventus proſperos ad ejus maximam laudem & gloriam pertinentes; Helvetiam, Germaniam, Poloniam, Hungariam, Venetam Rempublicam, quà ab hæreticorum furore, quà à Barbarorum impetu, armiſque, Alexandri curâ, labore, conſilio, liberalitate ſervatas: Reginam indole ac virtute maximam, victricibus latè gentibus terrâ marique imperantem, abdicato imperio, ad Romana Sacra, ritumque traductam: decretos Viris ſanctitate eximiis cæleſtes honores: pacem publicam tot annos, à tot ſummis Pontificibus fruſtra expetitam, Alexandri tandem auſpicio, feſſis gentibus reſtitutam: Et alia hujus generis plura tacitâ veneratione tranſmittam.

Tu verò Sanctiſſime Pontifex (quando verſa eſt in luctum cithara noſtra, aſſueta tuis laudibus perſonare) veniam dabis dolori meo, ſi tua clariſſima decora, rudi

& incomptâ oratione infuſcavi potiùs, quàm laudavi. Ad me quidem quod pertinet, cùm ego haberi malim debitor gratus, quàm Orator eloquens, faciliùs id aſſequar, omnem, ſi qua in me eſt, ingenii famam abjiciendo, ut ſupremum hoc, qualecumque tandem eſt, cineri tuo munus exſolvam. Cæterùm, ut ad Vos redeam, ſupervacaneum eſt, apud Vos præſertim, qui Sanctiſſimi Pontificis in regendo Chriſtiana Republica labores vigiliaſque non ſolùm inſpexiſtis oculis, ſed etiam virtute juviſtis, plura de ipſo dicere, de cujus præclaris laudibus (ſi verè incorruptèque de præteritorum Principum factis poſteritas judicat) nulla temporis memoria, nulla gens, nulla præſtantium ingeniorum, nulla nobilium artificum monumenta, nullæ denique literæ conticeſcent.

ORATIO
IN FUNERE
CLEMENTIS IX. P.M.
HABITA
AB AUGUSTINO FAVORITO,
In Baſilica Vaticana.

VIx lacrymæ exaruerunt, quibus Alexandri VII. optimi, ſanctiſſimique Pontificis mortem ex hoc ipſo loco deflevimus, *Patres Eminentiſſimi*; cùm facta iterum vidua, ſedet in triſtitia Domina gentium, & alia accepta clades, quaſi reſciſsâ graviſſimi vulneris cicatrice, cogit nos non tam novum ſuſcipere dolorem, quàm priſtinum continuare, erepto nobis, erepto Chriſtianæ Reipublicæ amantiſſimo Parente, Principe vigilantiſſimo, CLEMENTE NONO Pontifice Maximo.

Infra dolorem noſtrum ſunt verba, cùm ſupra omnem æſtimationem ſit calamitas, in quâ & infauſtos populi Romani amores, & nondum placatum terris numen agnoſcimus.

Verumtamen ſi rem perſpicere attentiùs, & verum fateri volumus, non tam iraſci nos decet noſtro infortunio, quàm felicitati Eccleſiæ gratulari, cui illi Pontifices contigerunt, qui decedentes magnum Orbi Chriſtiano ſui deſiderium, parem nominis gloriam poſteris; huic autem Urbi, & præſertim mihi, uberem dolendi materiem, ac triſte hoc officium reliquêre.

Non

Non hîc ego de ornatu orationis, neque de componendo ad mœſtitiam vultu, ſonoque vocis, magnopere laborabo: cùm nemo ſit quantumvis eloquens ac diſertus, qui vel ad tanti Pontificis gloriam addere dicendo, vel de noſtra calamitate lugendo detrahere quicquam poſſit. Quamquam quodnam in funere Romani Pontificis laudationis genus illuſtrius, quàm fluentes per ora Quiritium lacrimæ, & miſeri ejulatus paſſim per compita Urbis lamentantium, illum pauperum, illum calamitoſorum Parentem; illum ſecuritatis publicæ cuſtodem; illum dignitatis Eccleſiaſticæ vindicem; illum Apoſtolicæ charitatis reparatorem; illud Chriſtianæ Reipublicæ columen; illas generis humani delitias, mutum, & extinctum jacêre? Neque lamentantur ſolùm, ſed quando vota pro ejus incolumitate popularitcr ſuſcepta in irritum cecidêre; fruentem nunc æterno laborum ſuorum, ſanctæque actæ vitæ præmio, debitis laudibus, & fauſtis precationibus proſequuntur.

Obverſatur ſcilicet eorum oculis aurea illa dies, quâ vix Pontifex renuntiatus, ſui in nos amoris impetum moræ impatientem effudit, laxatâ liberaliter annonâ; imminutis vectigalibus; novo inſtituto cœtu Patrum ad levanda onera populorum. Recurrunt animo ſubitæ illæ excurſiones, quibus ſenex valetudinarius, turbido ſæpe cælo, convolabat, vel ad Sanctorum Martyrum ſepulcra, ut divinam bonitatem accuratis precibus, & largè profuſis lacrimis populo Chriſtiano propitiaret: vel ad ægrotorum hoſpitia, ut infirmaretur cum infirmantibus, dexteramque terrarum orbi regendo aſſuetam vilioribus officiis admoveret. Meminerunt, quo animi ſtudio, ac ardore, non in Reip. ſolùm, ſed in ſingulorum quoque ſalutem, & commoda excubaret. Quàm eſſet aditu fa-

cilis; quàm cum infimis quoque humanus, & comis; quàm erga omnes liberalis! Quâ patientiâ, Vir animi magnitudine, fortunâque omnium maximus, abjectiſſimi cujuſque de populo preces plerumque ineptiſſimas, moleſtiſſimaſque ſtatis diebus exciperet, ac vel re ipsâ impleret, vel, ſi hoc non poſſet, aliquâ ratione conſolaretur. Quæ ſanè eò gratiora in vulgus erant, quòd fieri à CLEMENTE conſtabat, non ad inanem oſtentationem virtutis, neque cupiditate mortalis gloriæ; ſed uno inſtinctu divinæ indolis ſuæ. Teſtis Edictum illud memorabile, quo vectigalis abrogationem, Alexandri præſcripto nomine, ſuo ſuppreſſo, evulgavit. Teſtis etiam, ut alia hujus generis multa prætercam, ſumptuoſa illa inſtauratio Pontis Ælii, in quo nullum nominis, vel gentis ſuæ monumentum permiſit incidi: quod abſtinentiæ genus de nullo alio Principe, quòd ſciam, quantumvis magnanimo, quantumvis modeſto, ac ſapiente memoratur.

Neque verò his à me breviter indicatis de inaudita CLEMENTIS in hanc Urbem, & ſubjectos Urbi populos charitate, minora ſunt, quæ in univerſæ rei Chriſtianæ bonum patravit, ſi ea vel vobis otium eſſet audire, vel mihi neceſſarium commemorare.

Natus nobili Etruriæ Urbe, ex clara familia & locuplete, poſtquam ſub ſanctiſſima Parentum diſciplina literis, & pietate egregiè imbutus adolevit, ad Urbem venit. Introductus in virorum præſtantium amicitiam, brevi morum ſuavitate, & ingenii eruditione, omnium ſibi amorem, plauſumque conciliavit. Quamobrem invitatus in Aulam Pontificiam omnium bonarum artium hoſpitam, & patronam, eò paulatim, per varios honeſtiſſimorum munerum gradus, incredibili virtute pervenit;

nit; ut egregius ille ingeniorum non modò fautor, ſed etiam æſtimator Urbanus Pontifex, ubi in difficultatibus rerum maximarum nodus aliquis vindice dignus incidiſſet, ejus explicandi rationem à Clementis conſilio inprimis exquireret: cùmque ab immenſa curarum mole aliquam remiſſionem animi quæreret, nulla in re magis, quàm in familiari Clementis conſuetudine inveniret, delectatus præſertim mirâ illius ad ſacram Poëſim dexteritate, in qua ſe Gregorii Theologi aliorumque veterum Patrum exemplo aliquando exercebat, tantâ cum Romani Theatri, atque univerſæ Italiæ approbatione; ut in ea facultate ſæculi ſui facilè princeps & eſſet, & haberetur. Ejus autem in Latina facundia ſplendorem, & copiam, ac ſpectatam longo rerum uſu prudentiam, fidemque tanti fecit; ut cùm hæc Aula ingenti virorum doctrinâ ingenioque præſtantium copiâ floreret; illum tamen præ omnibus elegerit, qui epiſtolas ad Principes viros Pontificio nomine exararet. Quo quidem in munere tuendæ Pontificii nominis dignitati maximè opportuno, ita ſe geſſit, adeòque demeruit animum illius Pontificis verè Maximi; ut is ad maturandos Clementi, majore cum gloria, ſupremos Eccleſiæ honores, Tharſi Archiepiſcopum creatum in Hiſpaniam legaverit Nuntium Apoſtolicum. Ubi quàm præclarè functus officio ſuo fuerit, vel ex eo cognoſci poteſt, quòd & de Sedis Apoſtolicæ auctoritate optimè meruit, & Philippus Rex Viri ingenio, moribuſque mirificè captus, ampliſſimos illi reditus obtulit, clariſſimas Infulas, & Regiam ad Romanam Purpuram commendationem. Quæ tamen ille, actis, ut par erat, tanto Regi gratiis, eâdem virtute, quâ meruerat, recuſavit. Ex Hiſpanica ſanè legatione novum decus, & ante hanc diem

inauditum retulit in Italiam Clemens: quòd divitem Provinciam dives ingreſſus, pauper egrediens ditiorem quodammodò reliquit. Viſus eſt autem ſibi referre etiam ad lares paternos opulentum patrimonium, derivato ſuis apud religioſiſſimum Regem officiis, perenni, atque uberi fonte auri Siculi, in Liberianam Baſilicam, cujus erat Canonicus: Cui quidem Baſilicæ rediens ex Hiſpania ita ſe totum addixerat, conductâ etiam propè eam domo, nihil ut haberet antiquius, more magnarum mentium, quàm ut è ſpecula Eſquilina decumanos hujus Aulæ fluctus ſecurus deſpiceret, & prorſus abjectâ rerum humanarum curâ, in divinarum contemplatione tacitè conſeneſceret.

Verùm Innocentii Decimi mors, ejus deſiderium & ſpem fefellit. Nam cùm ſacrum Collegium vacantem Urbis præfecturam committere vellet alicui viro, qui ei, periculoſiſſimo tempore, regendæ eſſet idoneus; conjecit ſubitò oculos in Tharſi Archiepiſcopum, cui integrum non fuit tam conſtanti de ſe judicio, ac tanti Senatûs voluntati reſiſtere: coactuſque eſt privatam ſuam quietem neceſſitati publicæ poſthabere. Creato autem Pontifice, in ejus Interregni Comitiis, Alexandro Septimo, cùm is incredibili de ſe ſuâque virtute expectationi apud barbaras etiam gentes excitatæ, ſub ipſum Pontificatûs initium, reſpondere vellet inſigni aliquo facinore; eum illicò ad ſe invitatum muneri omnium difficillimo graviſſimoque præfecit: ut cum eo ardua quæque Reipublicæ Chriſtianæ negotia, & ſecretiora ejus benè gerendæ conſilia communicaret. Quo in loco quàm cumulatè Clemens ſapientiſſimo Alexandri judicio ſatisfecerit, delata illi intra biennium purpura declaravit.

Quid

Quid deinde in rerum publicarum tractatione, actum ab eo ſit tum in Cardinalatu, tum in Pontificatu Maximo, ad quem non hominum ſolùm conſenſione, ſed Dei ipſius judicio uſque ad miraculum manifeſto evectus fuit, quoniam ipſe ſpatiis diſcluſus iniquis exequi non poſſum, Vobis, qui & vidiſtis omnia, & probaſtis, contemplandum; gratæ verò poſteritati æternis laudibus prædicandum relinquo.

Video, commoveri Vos, & iniquo animo ferre, tot res inclytas, quarum plenus eſt CLEMENTIS Pontificatus, à me tacitas præteriri, quæ in medium prolatæ hujus funeris pompam auguſtiorem efficerent; ac vehementer mirari, cur, ſi ne verbum quidem facere volui de pace inter Reges alieniſſimo Reip. tempore decertantes conciliatâ; de nuper exceptâ Paſtorali charitate Luſitaniâ; de ſolemni illâ apotheoſi, in qua duo Eccleſiæ cælo nova ſidera adjunxit; aliiſque hujus generis; ſaltem non ingrediar campum, in quo ingenium Oratoris magna cum laude poſſit excurrere: Cretam nimirum, ad quam tuendam CLEMENS Chriſtianos Principes, illos etiam, qui cum Romana Eccleſia nondum planè conſentiunt, auctoritate, officiiſque ſuis validè armavit. Quo quidem in argumento præ cæteris emineret Regis Chriſtianiſſimi factum, quod omnium heroicorum temporum gloriam ſuperavit. Dicam verè, quod ſentio. Verebar, ne injectâ Cretæ mentione, acceptum in CLEMENTIS morte vulnus recrudeſceret: cùm hanc illi Inſulæ calamitatem debeamus. Adeò enim de Cretæ defenſione ſollicitus erat: adeò ſalutis noſtræ causâ negligebat ſuam; ut nos penè magis amorem CLEMENTIS, quàm barbarorum odia timeremus. Ad ejus verò expugnatæ nuntium ita concidit optimus Pontifex,

ita oppreſſus eſt; ut eum paulò pòſt morbum contraxerit, ex quo tandem multò majore cum rei Chriſtianæ jacturâ, quàm Cretâ amiſsâ, deceſſit. Qui cùm in proximo ſuo è vita diſceſſu, nihil magis moleſtum experiretur, quàm interpellari curſum conſiliorum à ſe pro incolumitate publica ſuſceptorum; præclaram iniit rationem, quâ illa perducere ad exitum poſſet etiam mortuus; cooptatis in ampliſſimum ordinem Viris, quorum eximiâ probitate, atque excellenti humanarum Divinarumque rerum peritiâ, novum Apoſtolico Senatui ornamentum, novum præſidium accederet, ad Chriſtianam Rempublicam benè ſapienterque adminiſtrandam. Ipſe interim ex illa æternæ beatitudinis arce oculos non deflectet ab ejuſdem Reipublicæ tutelâ: utque ea ſummæ virtutis & ſapientiæ viro, qualem rei magnitudo, & temporum conditio requirit, à Deo quamprimùm per veſtra ſuffragia tradatur, facilè impetrabit. Quæ ſanè res propè eſt una, quæ viduatæ Eccleſiæ lacrimas poſſit abſtergere, ac perſuadere tandem nobis, ut ſpe futuri Pontificis, extincti deſiderium leniamus.

Errata typographica.

*Pag.*46. *l.*19. *leg.* penitùs *p.*59. *l.*1. *dele* S. D. N. *ibid. lin. penult. leg.* Sorores *p.* 95. *l.*25. *leg.* prehenſum, *p* 96. *l.*12. *leg.* pavêre *p.*100. *l.*23. *leg.* Altera pars quorum *p.* 101. *l.* 9. *leg.* ſecura quietem. *p.* 102. *l.* 23. *leg.* Iris *p.* 103. *l.* 3. *leg.* vulgi *p.* 104. *l.* 15. *leg.* Achæmeniaſque *ibid. l.*21. *leg.* Pietas *p.* 105. & 116. *l. ult. leg.* vidêre *p.*107. *l.*10. *leg.* pater, *p.*108. *l.*15. *leg.* Africa *ib. l.*22. *leg.* Auxur *p.*112. *l.* 6. *leg.* Apenninigenas *ibid. l.*24. *leg.* lacus *p.* 113. *l.* 1. *leg.* Baccho *ibid. l.* 12. *leg.* læta *p.* 117. *l.* 12. *leg.* Apennini *p.* 118. *l.* 5. *leg.* deorum, *p.*124. *l* 28. *leg.* Pyracmon *p.* 125. *l.*17. *leg.* venientûm *p.* 132. *l.*5. *leg.* otia *ibid. lin.*16. *leg.* dedêre *ib. lin.*17. *leg* Scyro *p.*135. *l. ult. leg.* Æneâ *p.*139. *l.*19. *leg.* Tethys *p.*144. *l.*17. *leg.* Fartoris *p.*146. *l. ult. leg.* Quo Veneri placeat, *p.*148. *lin. ult. leg.* incipiant *p.* 149. *lin. ult. leg.* ſed tibi gloriæ erit. *p.*153. *lin.*3. *leg.* multùm *p.* 155. *lin.* 1. *leg.* Gelonæ *ibid. l.* 9. *leg.* movêre.

POE-

POEMATA
FERDINANDI
LIBERI BARONIS
DE
FURSTENBERG,

Epiſcopi & Principis Paderbornenſis,
& Coadjutoris Monaſterienſis.

DAPHNIS,

SIVE

FREDERICUS FURSTENBERGIUS,

PARENS,

Bilſtenii & Waldenburgi Dynaſta; Advocatus hereditarius in Grafſſchaft; Schnellenbergæ, Watterlappiæ, Furſtenbergæ, & Herdringæ Toparcha; Satrapa Fredeburgenſis, Weſtphaliæ & Angariæ Archiſatrapa, & Sereniſſimo Ferdinando Electori Colonienſi ab intimis Conſiliis, anno M. DC. XLVI. V. *Idus Auguſti Bonnæ defunctus.*

AMiſii liquidos veſtit quà plurima fontes
Fronde ſalix glaucâ, Lycidas hinc, Tityrus illinc,
Alter oves, alter paſcebat fortè capellas.
Tityrus, ut ſemper, pellebat tædia cantu.
Carmina dum Veledæ memorat, dum prælia Vari:
Varus ut his olim nomen memorabile terris
Fecerit: ut ſparſi legionum ſanguine campi.
Aurem illi vellit Lycidas: Neque talia tempus
Carmina poſcit, ait: Daphnis tibi, Tityre, Daphnis
Lugendus: Daphnin, ſi neſcis, fata tulere.
Tityrus ingemuit caſu perculſus acerbo:
Fiſtula lapſa manu eſt: fugit ſenſuſque colorque.

Ut

Ut mens, ut rediit puero vox: Occidis, inquit,
Carum, Daphni, caput; ſpes, Daphni, decuſque tuorum!
Ab dulci patria procul, amplexuque tuorum
Occidis! Hoc fuerat, quòd ſummæ culmine villæ
Triſtia ſigna daret ferali carmine bubo;
Flebilibus quòd ſponte modis mea nuper arundo
(Hanc mihi tu, dederat Corydon tibi, Daphni,) ſonaret;
Nunc ſileat, ramoque infelix pendeat illo.
Vos etiam ſine me (quamvis mihi vos quoque Daphnis
Tradidit; atque abiens, Has, inquit, Tityre, paſce)
Ite tamen ſine me, quoquò lubet, ite capellæ.
Amnis, & umbroſæ ſalices, & rura valete:
Uſque ego per ſilvas errans deſertaque ſolus
Triſtè querar. Gemit ereptâ ſibi matre juvencus;
Nec minùs amiſſo mater dolet orba juvenco:
Mella queruntur apes cellis ſubducta, peremtos
Fœta canis catulos, demtos avis arbore pullos;
Daphnin ego, triſti ſublatum funere Daphnin.
Supremas ſaltem voces morientis ab ore
Excipere, affari extremùm, & ſpectare jacentem,
Atque oculos noſtrâ licuiſſet condere dextrâ!
Vulneribus nonnulla meis ſolatia ſaltem
Hæc ferret pietas: ſolus de Daphnide luctus
Nunc ſupereſt. Pecudes illo quis paſcat ademto,
Avertatque luem, curamque impendat & artem?
Daphnide non melior quiſquam depellere venis
Implicitam peſtem, & membris agere atra venena.
Daphnis & inſidias ſtabulis prædaſque cavebat.
Ah gelidas quoties hiemes perpeſſus & imbres,
Pervigil exegit brumali ſidere noctem,
Incuſtoditum fera ne vaſtaret ovile,
Ne lac ſubtraherent pecori, ne vellera fures!

Ah quoties humeris per devia ſuſtulit ipſe
Rupe parens nudâ quos nixa reliquerat hœdos!
Angarides Nymphæ teſtes, quas ſæpe laborum
Miratas dixiſſe ferunt: Mortalia non ſunt
Quæ tolerat: ſaxo certè riget ille vel ære,
Quem neque ventorum rabies, pluviæque, niveſque,
Non cælum inclemens, non ulla injuria frangit.
Nymphæ, non ſaxo Daphnis neque conſtitit ære.
Occidit heu! & nos pariter, terraſque reliquit.
Nequidquam roſeum ſpargis jubar, auree Titan:
Gratius extinctum nobis in Daphnide lumen.
Daphnidis adventu tellus ridebat & æther,
Frondebant ſilvæ, ſpirabant floribus arva,
Ipſi lætitiâ montes plauſuque fremebant:
Daphnidis interitu tellus lugebit & æther,
Squalebunt ſilvæ, ſtabunt ſine floribus arva,
Intonſi montes gemitus ad ſidera tollent.
Ergo nil proavûm ſeries, regnataque latè
Rura juvant, centumque greges, armentaque centum,
Nil labor, & ſtudium pulchræ virtutis, & artes?
Ergo cinis, formâque carens & triſte cadaver,
Nunc jacet ille omnes nuper pulcerrimus inter
Paſtores! nec ſidereâ fulgentia luce
Lumina, nec vultum, quem finxerat ipſa venuſtas,
Cernere erit poſthac? At non, quæ ſuſtulit illum
Mors, etiam famam tollet. Sint tempora Muſis
Non inimica meis, volitabis Daphni per ora.
Ipſe ego virtuteſque tuas, tuaque inclyta facta,
Invictamque fidem, & ſanctæ pietatis amorem
Ferre Syracoſio tentabo ad ſidera verſu.
In partem veniet Phœbo dilectus Amyntas,
Et mecum teneris paſſim tua nomina fagis

Inſcribet: creſcent illæ, tua nomina creſcent.
Quin etiam niveo tumulum de marmore Damon
Exſtruet, & tali ſignabit carmine marmor:
HIC SITUS EST DAPHNIS. QUOD ERAT MORTALE, SEPULCRO
INTULIT ATRA DIES: VIVET PER SÆCULA NOMEN.
Ad tumulum venient, inſtaurabuntque quotannis
Paſtores tibi cum donis funebria juſta.
Vina dabunt alii, purum lac adferet Ægon,
Et, Tibi, ſuſpirans, puro magè candida lacte
Pectora, dicet, erant, & fraudis neſcia, Daphni.
Ipſe apium, ipſe hederas, & noſtris lilia ſpargam
Humida de lacrimis, teque ad tua ſacra vocabo.
Talia jactantem ſupremo lumine veſper
Occupat, & primo conſpexit Lucifer ortu.

AD
ALEXANDRUM VII.
PONT. OPT. MAX.

Anno M. DC. LV. VII. *Id. Aprilis renuntiatum.*

HUnc ceciniſſe diem, venturi præſcius ævi
Dicitur Aönias inter Apollo Deas.
Hunc fore, neglectas quo gloria tolleret artes,
Et faceret doctis vatibus ingenium.
Verba fides ſequitur: rerum molitur habenas
Orbis ALEXANDER natus ad imperium.
Ac velut exactæ poſt triſtia frigora brumæ,
Cùm ver jucundum floridus annus agit;

Ri-

Ridet humus, ridet Zephyris ſpirantibus æther
Purus, & argutæ dulcè queruntur aves:
Exultare novo ſic Principe vidimus Urbem,
Et quot regna vagus circuit Oceanus.
Vidimus excitas Parnaſſi monte Sorores
Aurea deſuetæ tendere fila lyræ.
Vidimus Auſonios, genus immortale, poëtas
Præcingi ſacrâ, quam meruere, comâ.
Lætitiam & Pacem, (miſeris vix cognita terris
Numina, quas luctus ſemper & horror habet)
Ter Vaticani circùm delubra volantes
Audiimus reditûs ſigna dediſſe ſui.
Audiimus: lætas voces plauſuſque canentûm
Vocibus & plauſu Roma ſecuta ſuo eſt.
O mihi ſi populi ſenſus æquare canendo
Fas foret, & causâ digna dieque loqui!
O mihi ſi Phœbus vacuis dictaret in hortis
Grandia Romani carmina Callimachi!
Non ego, MAGNE PATER, celebrarem facta tuorum,
Non fultam titulis divitiiſque domum;
Non maris Hetruſci portus & litora, quondam
Hercule, nunc proavis inclyta regna tuis;
Non belli claros ſtudiis heroas, & altis
Adſcriptos Superûm ſedibus indigetes;
Nec quæ porticibus miramur nixa ſuperbis
Atria, preſſa Ducum Pontificumque pede;
Nec quas majorum pietas cæleſtibus aras
Struxit Apelleis conſpicuas tabulis:
Sed te, qui titulos tantum præcedis avitos,
Quantum nocturnas Cynthia plena faces;
Et tua non humili memorarem nomina cantu,
Extremas ultra ſolis itura vias;

Quà levat Eöo rutilantem gurgite currum,
Et quà poſcentes otia ſolvit equos.
At non intacti mores, & quas rudis ætas
Virtutes teneris duxit ab uberibus,
Et data Pieriis juvenilia tempora ſacris,
Carminis, ut quondam, res foret una mei.
Major equis pulſanda patet nunc area noſtris;
Quà Padus objectis æſtuat aggeribus,
Quà centum populos, centum Ferraria [1] ſoſpes
Debet conſiliis oppida ſalva tuis:
Seu circùm fremerent irati Cæſaris arma,
Nec non adverſos Mantua paſſa Deos:
Seu propiora movens Venetus diſcrimina miles
Verteret Hadriacas ad nova bella rates:
Seu latè graſſata lues, & turpis egeſtas,
Inferrent miſeris urbibus excidium:
Seu Pater Eridanus campis undaret apertis,
Deucalioneæ damna minatus aquæ.
Ille idem aſſiduis Cygni plangoribus, idem
Certavit mœſtis Heliadum lacrimis;
Cùm patriæ fines & rectas legibus urbes
Linquentem ripis vidit abire ſuis,
Et Libycos tentare [2] ſinus, ubi claſſibus audax
Inſula Threïcias depopulatur opes,
Europæque ſuæ cuſtos delecta juventus
Tutatur medii credita clauſtra maris.
Non ſecus Italiæ Cimbro natura minanti
Alpinas viſa eſt oppoſuiſſe nives.
Non ſecus occiduis inhiantem finibus Afrum
Herculis objectis meta coërcet aquis.

O quo-

1 Alexander VII, Ferrariæ Prolegatus Pontificius difficillimis temporibus belli, peſtilentiæ, arctioris annonæ, & exundationis fluminum.
2 Melitæ Inquiſitor.

O quoties Melitæ fortes hortatus alumnos
  Juſſiſti properâ vellere ſigna manu!
O quoties Solymen, Aſiæque repoſcere regna,
  Sceptraque Biſtoniæ frangere barbariæ!
Teſtis Neptunus, Tethys mihi teſtis, & omnis
  Tritonum ſoboles, Nereïdumque chorus.
Illis cura fuit partos cantare triumphos,
  Et tua cognatis facta referre Deis.
Me decet Arctoo ſpumantem ſanguine Rhenum
  Dicere, nec patriæ bella ſilere meæ.
Infelix tellus, Romanâ clade tumentis
  Arminii quondam ſigna ſecuta ducis!
Hei mihi, nunc ducibus nihilo melioribus uſa
  Scinderis in partes, & nova ſacra colis.
At magno commiſſa luis. Quæ flumina belli
  Neſcia? quævè tuo terra cruore caret?
Forſitan & Divos nondum ſibi ſentiet æquos,
  Et mala cùm tulerit plurima, plura feret.
I celer, inſtantem capiti defende ruinam:
  I celer, & longæ vince pericla viæ.
Non te Sicanii tardent fera murmura ponti,
  Non formidatæ navibus inſidiæ;
Non rigor Alpinus, non frigore ſaxa perenni
  Horrida, non duro flumina vincta gelu.
Hîc Ubios, [3] dominâ deductos Urbe colonos,
  Et flavos viſes impiger Uſipios.
Tum dextram tendes populis, quos Luppia noſtris
  Cædibus infectâ decolor ambit aquâ,
Et quos bellipotens olim ditione premebat
  Accola vicini Bructerus [4] Amiſii:

 Nunc

3 Nuntius Pontificius Coloniam, & inde Monaſterium pacis conciliandæ gratiâ miſſus. 4 *Bructeri Germaniæ populi ad Amiſium fluvium.* Tacitus lib. 1. Ann. & alibi.

Nunc ubi conventu mundi coïere vocato
Diſcordes ſtudiis conſiliiſque Patres.
Diſcordes, i, junge animos: Europa, Deuſque,
Imponunt humeris publica vota tuis.
Auſpiciis pax freta bonis frondentis olivæ
Prætendit capiti mitia ſerta tuo.
Viſa quieturis demum promittere terris
Aurea compoſitis ſæcula diſſidiis.
Hîc etiam [5] Veledam, quâ nec Cumæa ſacerdos,
Nec divina fuit clarior Herophile,
Te veniente, ferunt iterum de turre locutam
Fatidico tales ore dediſſe ſonos:
Lætus ades, rerum ſpes & tutela mearum,
Soſpite quo nobis vita ſaluſque redit.
Lætus ades, cœtus nec dedigneris amicos,
Et mea ſecuro viſere regna pede.
Non iterum clades [6] animo verſamus, & iras,
Armaque Quintilios vincere docta tuos.
Qualis ad Aſſyrias immani funere Carras
Romanus Partho fuſus ab hoſte jacet.
Nulla ſalus bello, pacem depoſcimus omnes:
Pax veniat populis ſæpe vocata meis.
Sed, niſi me Phœbi ludunt oracula, quondam
Quæ cecinit noſtro conſcius ore Deus,
Pax erit: at ſacris tam deteſtanda Latinis,
Quàm malè mercatâ pax coïtura fide.

Non

5 Statius lib. 1. Silv. in Soter. pro Rutilio Gallico;
Non vacat Arctoas acies, Rhenumque rebellem,
Captivaque preces Veledæ, &c.
Ea virgo nationis Bructeræ latè imperitabat, quam coràm adire alloquique negatum. Arcebantur aſpectu, quo venerationis plus ineſſet. Ipſa editâ in turre: dilectus è propinquis conſulta reſponſaque, ut internuntius numinis, portabat. Tacitus Hiſt. lib. 4.
6 *Clades Variana penè exitiabilis, tribus legionibus, cum duce, legatiſque, & auxiliis omnibus, cæſis.* Sueton. in Octav. cap. 23. *Quâ nulla poſt Craſſi in Parthis damnum, in externis gentibus, gravior Romanis fuit.* Paterc. Hiſt. lib. 2.

Non ideò curaſque tuas vigileſque labores
    Excipient meritis fata ſiniſtra tuis.
Purpura virtutis pretium tibi cedet, & inde
    Quo nihil hæc majus, quod tibi donet, habet.
Scilicet & terris, cæloque, Ereboque verendum
    Te ſolio accipiet maxima Roma ſuo.
Tum pia laturus ſacratis oſcula plantis,
    Orbis adoratos procidet ante pedes.
Tum Septem imperio quæ nunc CHRISTINA triones
    Frenat, & Arctoas ducit in arma manus,
Adveniet ſupplex, & Vaticana tenentem
    Regna colet prono devenerata genu.
Tum conſanguinei longo poſt tempore Reges,
    Arbitrio ponent impia bella tuo;
Et pacti ſtabilem jurato fœdere pacem,
    Damnabunt pugnas, & grave Martis opus.
Arvaque læta Ceres, & pleno Copia cornu
    Dona ferens, niveis oppida viſet equis.
Mox ubi jam feſſas recrearint debita gentes
    Otia, ſigna dabunt ad ſacra bella tubæ.
Bella recrudeſcent Naupacti, & barbara Thracum
    Gaza per Ionias ſparſa natabit aquas.
Quas ego nunc acies video! quos æquora remos
    Verrere! quàm lætis vela tumêre Notis!
Quantus adeſt ſudor populis! quot in arma volentes
    Creta viros totâ concitat Italiâ!
Ut Solyme poſcit reduces in prælia Gallos!
    Ut tremit Auſtriacas pallidus Iſter opes!
An te etiam [7] auſpiciis tollentem ſigna ſecundis,
    MAGNE PATER, toto cernimus ire mari?

7 Philomathis Muſæ Juveniles, poëmate 83.
Huc ego, ſeu ſit opus Neptuni fluctibus, altâ
Puppe ſedens; ſeu terreſtri certare duello,
Vectus equo veniam.

Impiaque Odryſiæ contundere cornua Lunæ,
Victoremque ſequi, quà præit arma, Deum?
Sit ſatis armatas in prælia mittere claſſes:
Bella gerant alii: tu prece bella juva.
Conſiliis opibuſque juva, Zephyroſque faventes
Sollicita, & faciles ad pia cœpta Deos.
Sic per te victo Reges Oriente ſuperbi
Threïciis ſtatuent parta tropæa jugis.
Et Vaticanas Victoria figet ad aras
Dereptas Scythicis poſtibus exuvias.
Tunc aliquis vates, procerum de ſtirpe meorum,
Cantabit famæ tot monumenta tuæ.
Bellaque ſignabit titulis: HÆC THRACE SUBACTO
VICTOR ALEXANDER RETTULIT ARMA DEO.
Sic cecinit: partem, vates ne vana putetur,
Lapſa dedit, partem ſerior hora dabit.

AD IMP. CÆS.
FERDINANDUM III. AUG.

Cùm ejus auſpiciis, & munificentiâ Athanaſius Kircherus OEdipum Hieroglyphicum ederet.

NOn genus Auſtriadûm demiſſum à ſanguine Divûm,
Non clauſum mundi finibus imperium,
Non victos dicam populos, urbeſque receptas,
Nec Boreæ fractas ſæpe furentis opes.
Hæc memorent, quorum ſublimi Muſa cothurno
Surgit, & herois concinit arma modis.

Me

Me mea Muſa vetat tantarum pondera rerum
Tangere: me, quæ ſint viribus æqua, juvant.
Me ſtudia & placidæ ſibi poſcunt Cæſaris artes;
Materies numeris convenit iſta meis.
Vates ille pios, & vatum dona piorum
Excipit, & vatum carmine digna gerit.
Quâ ſceptrum geſtat, quâ jus & regna tuetur,
Hâc etiam Muſas protegit ille manu.
Nec minor [1] Auguſto, cujus ſucceſſit habenis,
Fundat Apollineis publica templa ſacris.
Ardua Cecropiæ quis neſcit fana Minervæ
Condita, & Aönio tecta ſacrata Deo?
Miratur moles [2] Viadrus, miratur & Iſter,
In numerum pulſis & ſibi plaudit aquis.
At quæ Cæſareo fulgentia limina ſumtu
Praga videt, certant Delphice Phœbe tuis.
Qualis & armatas, poſt impia bella Gigantum,
Exuit infeſto Juppiter igne manus:
Qualis &, Herculeis cùm jam cervicibus axem
Credidit, excuſſo pondere ceſſat Atlas:
Terrarum dominas ſic feſſus Cæſar habenas
Laxat, & imperii grande reponit onus.
Tum vires, Natura, tuas, ac ſemina rerum
Scrutatur docto ſedulus ingenio.
Quis tremor attonitas vertat cum civibus urbes:
Impellat refluas quis maris æſtus aquas:
Quæ vis divitias imâ tellure repoſtas,
Donaque gemmiferi procreet Oceani:
Quàm procul Arctoo concretus frigore Pontus
Deprenſis Nili diſtet originibus:

1 *Auguſtus templum Apollinis in Palatio exſtruxit, additâ porticu cum bibliothecâ Latinâ Græcâque.* Suet. in Octav. cap. 29.
2 Viadrus Germaniæ fluvius, vulgo Odera.

Quàm procul Heſperiis diviſum Gadibus Indum
  Hauriat [3] Eöi, quæ rubet, unda freti:
Unde ea vis ventis: unde ardens Ætna favillas
  Semper, & exeſi viſcera montis alat:
Unde Amphitrites ſalſus liquor: unde teporem
  Ducat Baianæ vena ſalubris aquæ.
Has ubi naturæ partes acceſſit, in altum
  Fertur ad ætheriæ lucida ſigna domûs.
Hîc illi geminam virgo Marathonia Libram,
  Et ſua vicinus ſubjicit aſtra Leo.
Armatuſque auro gladium prætendit Orion,
  Debita Cæſareæ præmia militiæ.
Hîc Solis veſtigat iter, cauſaſque latentes,
  Pallida cur fuſcis Luna laboret equis:
Cur ſitiant Afri; cur Septem regna trionum
  Urat Hyperboreo frigore jugis hyems:
Cur fugiant umbræ, Cancro torrente, Syenen:
  Cur variet major meta minórve diem.
Sed quota doctrinæ pars eſt laudumque tuarum,
  Auſtriade, magni ſidera noſſe poli?
Et circumfuſo porrectas æquore terras,
  Quà Sol Eöos luſtrat & Heſperios?
Se tibi Niliacis etiam ſapientia chartis
  Eruta, & arcanas explicat hiſtorias.
Nec te ſacra latent adytis ſecluſa verendis,
  Nec lapides, ſculptæ marmoribuſque feræ.
Scilicet Ægyptus doctrinam credere ſaxis
  Orſa, peregrinas finxerat effigies,

Ut

3 *Latiùs olim Rubrum mare patuit, & paullò aliter, quàm ut vulgò hodie, appellatum. Nam in Taciti & aliorum veterum verbis, in hoc nomen venit mare Indicum, vaſtum illud & magnum, quod ab extremo ſinu Arabico, ſive ab Africâ eâ, in Auream Ptolomæi Cherſoneſum ſe protendit. Itaque Pomponius Mela duos ſinus in mari Rubro agnoſcit, Arabicum & Perſicum.* Lipſ. de magn. Rom. lib. 1. cap. 3.

Ut ſolis arcana Deûm mens cognita myſtis
Falleret abſtruſis vulgus imaginibus,
Seraque poſteritas ſenſim labentibus annis
Non caperet priſci moris & artis opus.
O vanas hominum curas! O cæca futuri
Pectora! Mars ultor nil ſinit eſſe diu.
Barbarus Armenii laceravit potor [4] Araxis
Omnia, Niliacos depopulatus agros.
Tot moles, regum tumulos, tot ſtantia vertit
Culmina, regali ſuſpicienda ſitu.
Et potuit fugiens, armis ceſſantibus, ætas
Servatas etiam vertere relliquias.
At non æternos olim ſubducet honores
Longa dies meritis, inclyta Roma, tuis.
Tu Peluſiacum ſpirantia rudera faſtum
Colligis, & medio tollis ad aſtra foro.
Nec tua venturis, Cæſar, delebitur annis
Fama, nec ingenium nox premet atra tuum.
Te duce, quis credat? poſt tot jam ſæcula ſcimus
Arcani quidquid Memphis & Iſis habet.
Quid velit Inachiæ facies ignota Juvencæ,
Quid Canis, & ſacri myſtica forma Bovis,
Et quæ præterea famoſus monſtra Canopus
Prodidit, antiquis conſpicienda notis.
Teque adeò tituloſque tuos leget accola Nili,
Et referet laudes ad ſua ſiſtra tuas.
Jam Solyme, jam diſcet Arabs, jam clara loquentur
Marmora, Cæſareâ munera ſparſa manu.
Fallor? an Auſtriacis addent quoque fata tropæis
Sacra Parætoniis ſigna revulſa tholis?

An,

4 *Cambyſes Perſarum Rex Ægyptum fœdiſſimè vaſtavit.*

An, FERNANDE, tuum jam nunc Victoria nomen
Læta parat ſaxis ſcribere Pyramidum ?
Gloria Pellæis certè vocat æmula palmis
Europæ reſides ad pia bella manus.

A D
FRANCISCUM VAN DER VECKEN,
E Societate JESU, SS. Theologiæ Doctorem, & Profeſſorem Coloniæ Ubiorum, Anno M. DC. LIV.

De Muſis ſuis, & admirandis Urbis operibus, ac laudibus Fabii Chiſii S. R. E. Cardinalis.

DUm, Franciſce, tuo Rhenus ſermone tenetur,
In mediiſque tibi plaudere geſtit aquis;
Teque canit, curaſque tuas, & numine plenum
Pectus, & ingenii pulcra reperta tui;
Dulcis amicitiæ cultu fructuque carentem
Me procul à Rheno flumine Tybris habet.
Me tenet Iliacis feliciùs orta favillis
Roma, Phrygum profugis hoſpita terra Deis.
O quam te memorem terrarum maxima Princeps!
Non majeſtatem vox capit ulla tuam.
Regibus eſt certo finitum limite regnum:
Sub regno latus eſt ſolis utrumque tuo.
Et terris dare jura parum eſt: nunc claudere cælum
Fas tibi, nunc demptâ fas aperire ſerâ.
Se tibi delegit propriam Sapientia ſedem:
Quod Stoa, quod Memphis non docuêre, doces.

Quæ

Quæ quondam gemino reſidebant vertice Muſæ,
Tu ſeptemgeminis das habitare jugis.
O terræ decus, ô noſtris domus hoſpita Muſis!
Utiliter dextro ſis mihi tacta pede.
Quàm mihi dulce tuâ meditatum carmen in umbrâ
Dicere, & hîc Phœbo mens mihi mota calet?
Hîc, qui me vatem faciat, leniſſimus afflat
Spiritus: hæ valles, hæc juga numen habent.
Forſitan hîc ſegetes, cantataque bella Maroni,
Triverat hìc calamos Tityrus ante ſuos.
Forſitan his luſit Naſo leve carmen in hortis:
Materies illic Cynthia vatis erat.
Hîc ſevit vites, hîc legit poma Tibullus,
Et lucente foco, quod ſatis eſſet, erat.
Hîc multo Flaccus ſale defricuiſſe Quirites
Creditur, aut Lyricis detinuiſſe modis.
Hîc ſoccos, illic grandes induta cothurnos
Prodiit, & plauſum culta Thalia tulit.
Illuſtres ſalvete animæ, ſalvete parentes
Eloquii, Suadæ Pieridumque decus.
Vos ego, vos, famâ noti ſuper æthera vates,
Siquid id eſt, merito ſemper honore colam.
Vos ſequor, &, quoniam ſpes unica laudis in illo eſt,
Veſtrorum relego conſcia ſigna pedum.
Vos celebres mecum cœtus venerantur, amantque,
Ductus ab Aöniis quos rigat *Humor* aquis.
Hos inter (neque enim his primùm novus advena jungor
Cœtibus) ut libuit, voce lyrâve cano.
Inde ubi Calliope laſſo dedit otia plectro,
Et ſacer æſtivo languet ab igne calor;
Me juvat antiquas Urbis ſpectare ruinas,
Quà ſeptemgeminis eminet alta jugis.

Hîc

Hîc ego verſarum ſtupefactus imagine rerum,
  Relliquias Magnæ Matris & oſſa lego.
Hei mihi! quæ fuerat populis æterna Latinis
  Credita, nunc molis pondere victa jacet.
Qui ſumptus operum, quanti periêre labores?
  Peſtis in exitium non ſatis una fuit.
Longa dies, & Mars gentis pater, inſuper ipſe
  Mulciber has olim fregit & uſſit opes.
Defenſam vigili proſpectans anſere rupem:
  Majeſtas, dixi, priſtina rupis ubi es?
Pulſabat cælum moles: Hyperionis ignem
  Æquabant radiis aurea tecta ſuis.
Juppiter hîc ſtabat multo ſpectabilis auro,
  Et trifida ex auro lamina fulmen erat.
Quæ nunc hoſtiles paverunt omnia flammas:
  Vix reliqua eſt magni parva favilla rogi.
Me quoque Cæſarei tangit fortuna theatri,
  Dignaque non ullo forma perire die.
Heu confuſa loci facies! lacera omnia: nuſquam
  Forma prior: culmen ceſpes & herba tegit.
At cùm ſtabat opus, quid erat ſpecioſius illo?
  Scena voluptatis, nec minus artis erat.
Millia quot nunquam campis eduxit apertis,
  His pariter vidit Roma ſedêre locis.
Quid, quòd odoratis redolebant pulpita nimbis,
  Et ſoles contra lutea byſſus erat?
Nec ſemper ſimilem referebat arena paratum:
  Nunc ſilvæ ſpecies, nunc erat illa maris.
Nec ſemper lex & ratio certaminis una:
  Diverſum pro re munus arena dabat.
Spectabat populus (populum Mars ille juvabat)
  Sæpe homines pugnâ, ſæpe coire feras.

Fama

Fama loci ſupereſt, & qualiacunque videmus
 Disjectæ molis fragmina nomen habent.
Et querimur, ſi nos morti debemur & umbris,
 Cum rapiant ipſos hæc quoque fata Deos?
At labor Agrippæ, templum commune Deorum,
 Splendoris retinet ſigna vetuſta ſui.
Corpus adhuc, quamvis ſpoliatum cultibus, exſtat:
 Nuda ſatis per ſe forma decôris habet.
Materiam ſuperat quidquid manus addidit illi:
 Credibile eſt omnes hîc habitaſſe Deos.
Inſtar habet cæli: cælum quoque Maxima Mater
 Nunc facit: hîc aris præſidet ipſa ſuis.
Cetera quid memorem veterum monumenta laborum,
 Queis ætas pretium fecit, & artis amor?
Seu Trajane tuam, ſive Antonine columnam,
 Parta ſolo vobis præmia, parta mari:
Aut quas Pyramidas miſit trans æquora Memphis,
 Aut ævo tritas, Appia ſaxa, vias:
Aut quos Roma ſuis poſuit victoribus arcus,
 Sive Tito, meritis ſive Severe tuis.
Flaviades medio conſpexerat aëre ſignum:
 Signum, quod bello vinceret, omen erat.
Vicit, & undantem vidit pons Milvius amnem
 Stragibus obſtructo tardiùs ire vado.
Arcu etiam poſito celebravit Roma triumphum,
 Sed quid non vitiat, comminuitve dies?
Qui fulſit ſpoliis, ſpolium quoque temporis idem eſt,
 Et leve quid, de quo fama loquatur, habet.
Hæc audita tibi pridem, Franciſce: ſed aures,
 Ut puto, nunc ſubeunt gratiùs illa tuas.
Olim oculos ſubitura tuos, quando Arbiter orbis
 Præſentem rebus te volet eſſe ſuis.

Tunc

Tunc ego te viſo, flammâ propiore caleſcens,
  Invadam vultum ſæpe, premamque tuum.
Apprenſumque manu ſtringam, totamque per urbem
  Lætabor notâ ducere poſſe viâ.
Me juvat interea, dum nos ſperata morantur
  Gaudia: carminibus viſa referre meis.
Scilicet invitant ævi monumenta recentis,
  Aſpectuque rapit me nova Roma ſuo.
Quæ, Divi! medias ingreſſa palatia nubes
  Stant Vaticano ſuſpicienda jugo!
Quæ, Jovis Elei nil concedentia fano
  Templa! tholus cælum, quâ decet arte, refert.
Quæ ſola! qui fornix! quæ firmant tecta columnæ!
  Quàm variæ! nil par, quà patet orbis, habet.
Dein ubi me molli ſenſim juga Cælia clivo
  Accipiunt, Tuſcis trita, Vibene, tuis:
Ut me Pontificum ſedes auguſta priorum,
  Ut Laterana tenet, Flaviadæque domus!
Divinus templo decor eſt: laquearia fulgent
  Aurea: marmoribus ſtrata ſuperbit humus.
Relliquias Solymûm monſtrant ex ære columnæ;
  Cùm fuit urbs vitio digna perire ſuo.
Hîc, ubi Cæſarei ſuperant monumenta lavacri,
  Quo ſpirant violæ, ſpirat odore lapis!
Hîc, ubi quinta ſacrum deſignat Olympias annum,
  Sancta ter impulſo cardine porta patet.
Porta patet cæli pariter: jus namque per orbem
  Servat idem Divûm Romulidûmque domus.
Frontem alibi ferro Cæſar redimitus & ære
  Prodeat: hîc auro fulva corona datur.
Si lubet Eſquilios ſpatiando viſere colles,
  Hîc memor æſtivæ me tenet ara nivis.

Felix, quæ poſito deſcripta eſt area templo!
  Conveniens Divæ moribus illa fuit.
Nil nive candidius: nec, cui pulcherrima ſurgunt
  Limina, non purâ purior ipſa nive eſt.
Hîc me ſuppliciter pacem veniamque precantem
  Audiat: hæc votis æqua ſit ara meis.
Hîc [1] (ita ſim felix!) videat me Roma ferentem
  Prima ſacerdotem dona, Deumque Deo.
Indè Quirinalem cùm me via duxit ad arcem,
  Ante aditum quos hîc Roma locavit equos!
Armenii donum regis, dignumque Nerone,
  Phidiacâ ſculptum Praxiteliſque manu.
Igneſcunt, quamvis rigido de marmore, nares:
  Hinnitum clarè tollere pænè putes.
Et, niſi ſentirent Macetæ domitoris habenas,
  Pænè putes curſu vincere velle Notos.
Admorſis ſpumam credas albere lupatis,
  Plauſaque diffuſas ſpargere colla jubas.
Tales, quos olim medios ruiturus in hoſtes
  Ad bijuges currus Mars ſibi junxit, erant.
Tales, quos [2] Zephyro genitos Harpyia Podarge
  Non leve Pelidæ munus habere dedit.
Hîc mihi ſcribendi veniat ſi carminis ardor,
  Nil morer alipedem Bellerophontis equum.
Monte Caballino faciet me Roma Poëtam,
  Quoſque bibam fontes ungula pulſa dabit.
Non hîc Phæacum ſilvas umbraſque requiro,
  Non nemora, aut hortos, Theſſalis ora, tuos.

 Hîc

1 Hanc poſtmodum ædem delegimus, in quâ Deo primùm litaremus, Anno 1659, nocte Chriſti naſcentis.

2 Homerus de Xantho & Balio equis Achillis Iliad. π.

Τὺς ἔτεκε Ζεφύρῳ ἀνέμῳ Ἅρπυια Ποδάργη.

Homerum ſequitur Virgilius, neque, ſi Ariſtoteli, Varroni, Plinio credimus, fabulosè.

Hîc Tempe mihi ſunt: & quos fert India flores,
  Quoſque ſibi ſegetes Medus Arabſque legunt.
Cùm ſoles ardent, terræque ardore dehiſcunt,
  Hîc mihi dat frigus ſilva, nemuſque facit.
Si formam geniumque loci, ſi dicere pergam
  Singula, dicendi quæ mihi finis erit?
Tollitur ætherias frondens obeliſcus in auras:
  Ramorum ſimulat tonſilis umbra feras.
Armiger ipſe Jovis terras depreſſus in imas
  Emicat, & viridi fulmine terret aves.
Æſoniden mediis Argo (quis credat?) in hortis
  Auratoque gravem vellere vectat ovem.
Prora viret, puppiſque: virent pendentia malo
  Vela: virent remi: tranſtra forique virent.
Qui fuit Heſperidum vigil ad pomaria cuſtos,
  Has etiam cuſtos excubat ante fores.
At nullum, quidquid linguâ vibrante minetur,
  Sauciat: innocuo corpore verrit humum.
Terga notant maculæ: ſed enim maculoſus adumbrat
  Terga frutex: criſtam muſcus & herba facit.
Quid tibi nunc amnes referam, fonteſque, lacuſque,
  Naïadum gelidas, humida regna, domos?
Ingenium ſacris irritent vina Poëtis:
  Ingenium nobis hîc quoque lympha facit.
Ut puro calices hilarent convivia Baccho,
  Optima res puræ vena perennis aquæ.
Quid tibi ſit Tepulâ, quid Agrippæ gratiùs undâ,
  Aut quæ Pelignos Martia findit agros?
At neque jam Tepulâ, nec Agrippæ ducimur undâ,
  Nec quæ Pelignos Martia findit agros.
Nunc alias iniere vias, populoque Quiritum
  Pontificum ſolæ pænè bibuntur aquæ.

Tu

Tu me (tanta tuæ laus eſt virtuſque ſcatebræ)
Vel viſu recreas, candida Virgo, tuo.
Tu dulcis frigenſque ſitim ſolaris & æſtum,
Et meliùs medicis hauſtibus ora levas.
Tantùm, Virgo, tuæ (namque id candore mereris)
Virginibus pateant, & ſitiantur aquæ.
Et me felicem (neque enim tibi nomen inane eſt)
Quæ meritò Felix diceris unda, facis.
Ubertas tecum fecundaque divite cornu
Copia, quà placido volveris amne, venit.
Quin etiam talos à vertice ſanus ad imos,
Qui tua delibat munera, ſæpe redit.
Tu quoque Romuleam Burgheſia lympha per urbem
Labere, quà ducto fornice facta via eſt.
Labere, quà præſtans variâ teſtudine & arcu,
Excipiet latices porticus alta tuos.
Ecce ſuâ tibi ſe ſubmittit Ianus ab arce,
Et Numa te tumulum gaudet obire ſuum.
Ut Vaticanas intraveris advena ſedes,
Hîc domus hoſpitiis apta futura tuis.
Candidus, & Pario ſtructus de marmore crater
Te manet, unde tuas ejaculeris aquas.
Jam ſi Pamphiliæ memorem molimina gentis,
Quas huc, quas miſit Nilus & Iſis opes!
Ardua ſtat moles; & ſaxo fulta cavato
Pyramis audaci ſurgit in aſtra viâ,
Arcanis inſcripta notis, quas diſcere præſens
Gaviſa eſt ætas, diſcere ſera volet.
Hîc, Bernine, tui cæli labor inclytus, imâ
Parte ſedent, tantum ſuſpiciuntque decus:
Et Tiberi Ganges, nec non Argenteus amnis,
Et famulas ſubdunt Nilus & Iſter aquas.

Candida rorantem commendant marmora vultum:
 Candida ſubmiſſum ſuſtinet urna latus.
Ælia Romanæ quid propugnacula pacis
 Exequar, & gyro mœnia tuta ſuo?
Vallorumque minas, tormentaque fuſa metallo,
 Impulſu nil non frangere nata ſuo?
Hîc fragor audiri, qualis cùm Juppiter atras
 Increpitat nubes, & ſua tela jacit.
Hîc Mavors, quamvis non omni tempore cuiquam
 Lethifer, excuſſo plurimus igne furit.
Præcipuè cùm lux illi ſacrata recurrit,
 Cui debet ſolium maxima Roma ſuum:
Cui pater omnipotens uni dedit atria Divûm
 Pandere, & appoſitâ claudere poſſe ſerâ.
Venerat illa dies, & jam venientibus umbris
 Ceſſerat, ac dubiæ tempora lucis erant.
Tum verò cælum jactis igneſcere telis,
 Et ſcintillantes vidimus ire globos;
Et pluvio latè conſpergi tecta Quiritum
 Sulfure, & horrificos æra ciêre ſonos.
Mox tenebras nigro propiores creſcere fumo,
 Et fumum volucres diſſecuiſſe faces.
Quin etiam innocuo percuſſum fulmine Tybrim
 Audiimus mediis exſiliiſſe vadis.
Ille diu ſtrepitu flammiſque exterritus hæſit,
 Expertæ memorans tempora ſævitiæ:
Ut Nero flammatâ Vulcanum ſparſerit Urbe,
 Et nova Troja novo luxerit uſta rogo:
Ut conjuratos ſociis amentibus ignes
 Prætulerit patriæ fax Catilina ſuæ:
Ut fuerit Geticis Urbs, quanta eſt, merſa favillis,
 Hauſerit & Latias Vandalus acer opes.

Hanc

Hanc tibi lætitiæ ſcenam, Romane, quotannis
Exhibet illa tuo lux operata Patri.
Talia luſtrantem plus me tamen afficit ingens
CHISIUS, Hetruſcæ gentis & orbis amor.
Cui Vaticani delata eſt purpura regni,
Utque reor, trinus tempora cinget apex:
Ut novus Alcides feſſo ſuccedat Atlanti,
Et molem immenſi fulciat imperii.
Ille mihi facilem cantanti commodat aurem,
Plenaque felici fert mea vela Noto.
Et facit ingenium nobis, & jungit amicos,
Et tribuit gratam ſæpe benignus opem.
Hic, Albi, Meſſala tibi, ſi priſca tuliſſent
Sæcula, Mæcenas hic tibi, Flacce, foret.
Neutro laude minor, noſtro niſi carmine, laudes
Qui canimus parvis & benefacta modis.
Non tamen exiles ideò vetat ille Camœnas
Præſidio tutas delituiſſe ſuo;
Quin amat, & vultu non dedignatur amico,
Has aliquid nugas dum putat eſſe meas.
Et molles aditus toties concedit & horas;
Rara illi quamvis otia Roma facit.
Quid loquor? ipſe ſuas, JUVENILIA carmina, Muſas
A me non blando ſuſtinet ore legi.
Triſte ſupercilium, frontemque, animumque ſeverum
Exigit, uſque adeò non placet ipſe ſibi.
Quod Phœbus, quod Roma probat, quod ſera probabunt
Sæcula, quis credat? non probat auctor opus.
O bene, quòd tandem cæcis erepta latebris
Crediderit curæ pignora cara meæ.
Cùmque ſui pridem fetûs abolêrit amorem,
Me ſinat huic vitam, quam fugit ipſe, dare.

Per me diſcetur, per me liber ibit in ora,
  Per me deliciæ poſteritatis erit.
Quid memores faſtos, lentæque volumina Pacis,
  Et de Parrhaſiâ perſequar arte librum?
Nec non Cæſareis certantia vultibus æra,
  Et procerum vivis æmula ſigna notis?
Quid titulos, & opes, & priſcæ nomina gentis,
  Et decora, & magnæ ſplendida facta Domûs?
Quæ facilis noſtris obtutibus ille recludit
  Omnia, vix aliis pervia luminibus.
Dî mihi, Dî tantum ſervent Heroa clienti,
  Dulce decus Muſæ præſidiumque meæ.
CHISIA ſic faveant mihi SIDERA, CHISIA QUERCUS
  Me tegat, & SENIS ſtet mea Cyrrha JUGIS.

AD PHILOMATHEN.

Nequicquam Muſarum Juvenilium auctorem tegi.

QUalis, ubi Pharios exurit Sirius agros,
  Frugibus optatâ Nilus inundat aquâ,
Et ſuper arentes fuſo natat æquore glebas,
  Et riguam lætis meſſibus ornat humum;
At longè poſitis idem cunabula terris,
  Et caput ignotis celat originibus:
Talis Mœonio quæ certent carmina Vati
  Fundis, &, ut magno Pindarus ore, ruis:
Et Latium ſermone beas, & divite venâ
  Fecundas, Vatum Maxime, Caſtaliam.

At cur Perrhæbi bene cognitus incola Pindi,
Cor Charitum, noſtri ſpeſque decuſque chori,
Cur latitas, & lene ſacræ caput occulis undæ,
Quo veniunt Clario pocula digna Deo?
Cur tegis ambiguâ JUVENILIS imagine MUSÆ
Ingenii cultum divitiaſque tui?
Cur dubitas proprio dignari nomine fetum?
Cur dubitas famæ pandere vela tuæ?
Nequicquam, Vir Magne, lates: te noſtra loquuntur
Tempora, te Vatem ſæcla futura canent.
Admirata tuos Siren Acheloïa cantus
Audiit, auditis cedere faſſa ſuos.
Cùm Phaëthonteæ canerent tua carmina Nymphæ,
Suſpenſo Cycnus plauſit ab Eridano.
Conſtitit auratâ captus teſtudine Tybris,
Et juſſit fluctus lentiùs ire ſuos.
Sæpe tuos avidis Rhenus pater auribus hauſit,
Sæpe Moſella tuos, & piger Alpha modos.
Nequicquam, Vir Magne, lates: Te Fama latentem
Prodit, & Eöis monſtrat & Heſperiis.
Nec ſinit indictum Pietas, animuſque periclis
Altior, & pacis, quem profiteris, amor.
Sichemios colles, & collibus addita teſtor
Templa, coronato ſuſpicienda tholo.
Vos Ubii teſtes, teſtis Mimigarda laborum,
Et ſeptem geminis Roma ſuperba jugis.
Eripe nunc ergo tenebris caput, eripe nocti,
Et larvam fictis detrahe nominibus.
Si minùs occultum Scyros celavit Achillem,
Agnitus Æolidæ ſi fuit ille dolo:
Si, qui regna tenet latè Parnaſſia, Phœbum
Ora latêre vetant, & coma digna Deo:

Si, licet obſcurâ celetur nocte, pyropus
  Nativo rutilum provocat igne diem:
An poterit diffuſa tuæ lux aurea Muſæ,
  An poterunt gentis ſigna latêre tuæ?
Sidera ſcintillant, ſublimi vertice Quercus
  Eminet, & ſenis Mons ſubit aſtra jugis.
Sed pudor, & caſtæ divina modeſtia frontis,
  Nobilior Tyriis purpura muricibus,
Vatis Apollinei titulos, nomenque recuſat,
  Phœbeâque vetat tempora fronde tegi.
Nec te grande ſophos, nec famæ cura moratur,
  Nec fuco roſeas gloria picta genas.
Virtuti ſatis eſt cælo ſe teſte probari,
  Et ſeſe famæ notitiæque negat.
Ut neget, invitam curru ſectatur eburno,
  Et circumfuſo lumine veſtit Honor.
Sic radiant puro ſervata corallia vitro,
  Sic lucent calathis lilia virgineis.
Sic adamas fundo merſus pellucet in imo,
  Sic micat auriferi dives arena Tagi.

EPULUM
AUGUSTINI CHISII,

In porticu ſupra Tiberim penſili, LEONI X. PONT. MAX. *& compluribus Cardinalibus datum.*

LAudarunt alii convivia ditis Eliſæ,
  Et Luculleas, Alcinoique dapes,

Et quas Romano cœnas Cleopatra marito
  Inſtruxit Phariis perdita deliciis:
At mea ſollemnes epulas, & Regibus æquas,
  AUGUSTINE, tuas Muſa loquatur opes.
Stat ſuper impendens Tiberinæ porticus undæ
  CHISIA, divitiis nobilis Attalicis;
Hoſpite nobilior, vultu dignata LEONIS,
  Quò poſuit curas Urbis, & Orbis onus.
Hæc quoque purpureos aurato limine Patres
  Accepit, totidem ceu Jovis aula Deos.
Quæ menſis tum dona Ceres, quæ dona Lyæus
  Intulit, & largo Copia læta ſinu!
Vix tulit ipſa ſuum genialis menſa paratum.
  Et pretii quota pars ipſe Lyæus erat?
Fulgebant auro, fulgebant pocula ſignis,
  Fulgebant rutilis aſpera chryſolithis.
Paſcebant oculos perfecta toreumata cælo,
  Aut Myos, aut dignus Mentoris arte labor.
Ipſa penus populo poterat ſatis una videri:
  Hîc poterat genio quiſque litare ſuo.
Sic, ubi proſtratos celebrarunt vina Gigantes,
  Semideis licuit poſcere vina Jovem.
Res nova: cælatas ceperunt retia lances,
  Et Polycleteâ vaſa ſuperba manu.
Miratur Tiberis projectas flumine gazas,
  Et quas nec Ganges, nec vehit Hermus opes.
Innocuam piſces eſcam mirantur in undis,
  Mirantur nullo retia tenſa dolo.
Retia nulla ſuis, nec quæ Nero texuit auro,
  Præmia captarunt divitiora plagis.
Scilicet argenti quidquid Tiberinus & auri
  Ceperat: hæc domino reſtituere ſuo.

I nunc, & Craſſum memora Romana vetuſtas,
In Parthos auri quem ſacer egit amor.
Serviit ille opibus: laudato CHISIUS uſu
Effuſæ dominum ſe probat eſſe rei.

AD
AUGUSTINUM FAVORITUM.

De morte Natalis Rondinini, ALEXANDRO VII. *Pont. Opt. Max. ab Epiſtolis ad Principes.*

NOn ita Lampetie caſu Phaëthontis acerbo
Flevit, & ambuſto Cygnus in amne Padi;
Non ita Pelides, mediâ cùm vidit arenâ
Actoriden ſparſis cæde jacêre comis;
Tros Anchiſiades non ſic Pallante peremto,
Nec Theſeus cari funere Pirithoi;
Ut mihi mœſta pio tabeſcunt lumina fletu,
Imaque perpetuos pectora dant gemitus:
Dum deſiderio mentem perfixus inani,
NATALIS mutos conqueror ad cineres.
Crudeles Divos, crudeliaque aſtra vocanti,
Nulla venit miſero nocte diéve quies.
Nec magis, heu! lacrimis ſaturatur luctus amaris,
Quàm matutino rore peruſtus ager.
Si fugit interdum, vagus ut Mæander, in orbem
Mox redit, & ſeſe decipit ipſe dolor:
Notaque dilecti paſſim NATALIS imago
Occurrit madidis obvia luminibus,

Dulcè loqui fido, velut antè ſolebat, amico,
  Brachiaque & caras tendere viſa manus.
Sive etenim ripam Tiberini propter amœnam
  Cernere velivolas, quas vehit unda, rates;
Et ſeptem geminis latè ſpectare jacentes
  Collibus antiquæ me juvat Urbis opes;
Pyramidaſque novo ductas ad ſidera ſumtu,
  Et Vaticano templa ſuperba tholo:
Sive ſuburbanas Latii peragrare ruinas
  Mite jubet ſancti Principis imperium,
Albanumque lacum, dilectaque rura Minervæ
  Poſthabitis Romæ viſere deliciis,
Montis ubi quondam per viſcera ductus aperti
  Fatalis Veiis irrigat arva liquor:
Semper amarities, ſemper dolor hæret eunti,
  Et cruciat miris anxia corda modis.
Nec vetus Alba gravem potis eſt mihi demere curam,
  Umbra nec æſtivis Tuſcula frigoribus;
Nec nemus Egeriæ, Scythicæ nec regna Dianæ,
  Nec lacus occulti conſcius Hippolyti.
Téne malâ, juvenum caſtiſſime, fraude novercæ
  Diſtractum rapidis membra cruenta rotis;
Téne Coronides mediis è faucibus Orci
  Ereptum Triviæ reſtituiſſe Deæ;
Et lætos oculos, roſeumque potentibus herbis
  Os valuit, nitidas & reparare comas?
At miſerum, ut primæ Natalis flore juventæ
  Occidit indigno flebilis interitu:
Non Pietas, non ſancta Fides, non Pallas, & omnis
  Aönidum tanto cultus amore chorus;
Ipſe nec ætherias revocare ad luminis auras
  Suſtinuit medicæ Cynthius auctor opis?

I nunc,

I nunc, & demens animos attolle ſuperbos,
Et Zephyro plenos finge tumêre ſinus.
Finge miſer titulos, & grandia munera rerum,
Et ſpera Pylii tempora longa ſenis.
En jacet exiguâ juvenis compoſtus in urnâ,
Promeritus cœptis omnia fauſta ſuis.
Nam quid ALEXANDRI meritus favor, aut quid honorum
Spes, & fraternâ fœdera juncta fide?
Quid præclara domus, genitrix aut profuit illi
Optima, Caſtalias inter habenda Deas?
Læta quid aſpirans rebus Fortuna ſecundis,
Et plauſus totâ maximus Auſoniâ?
Scilicet exorare nefas eſt fata, nec ulli
Parcarum licuit frangere duritiem.
Non tamen Heroum manes inferna coërcent
Flumina, nec Stygii pallida regna Jovis.
Ætherias illos virtus ſublimis ad arces
Evehit, & campis conſecrat Elyſiis.
Hîc, hîc NATALI domus eſt: hinc arduus imas
Sub pedibus terras deſpicit & maria;
Miraturque novos orbes, convexaque mundi
Mœnia, & innumeras, ſplendida ſigna, faces.
At licet huic longos inviderit Atropos annos,
Dum meritis implet Solis utramque domum;
Ne tamen ulla queat nomen delere vetuſtas,
Proviſum Clario gratulor eſſe Deo.
Dum terras atque omne ſibi devinciet ævum,
Curaque ALEXANDER poſteritatis erit;
Dum pius in Venetos animus ſtudiumque canetur,
Claſſis & Ægæo Thracia victa mari;
Dum referetur amor, quo triſtia bella Tyranni
Ardet in excidium vertere Biſtonii,

Quo res Sarmatiæ, viduataque Cæſare regna
  Curat, & impoſitos Alpibus Helvetios;
NATALI conſtabit honos, vivaxque manebit
  Doctrinæ, & Suadæ nomen, & ingenii.
Semper ALEXANDRI, ſacra per veſtigia, laudes
  Ponè ſequens, ibit clara per ora virûm.
Tu quoque Pieridum decus, AUGUSTINE, Sororum,
  Quo Latium, & tumidis Macra ſuperbit aquis,
Ingenuos mores, & vitam puriter actam,
  Cordaque non ullis tacta cupidinibus,
Virtuteſque alias cari memorabis amici
  Carmine, quod poſſit nulla abolere dies.
Nam neque ſigna tuæ ſpirantia marmore Lunæ,
  Nec Polycleteâ nobilis arte labor,
Longiùs extendant famam NATALIS in ævum,
  Quàm tua Mœoniæ proxima Muſa tubæ.
At mihi, cui tantum non conceſſere Camœnæ,
  Ut canerem paribus grandia facta modis;
Sat fuerit gelidis extrema dediſſe labellis
  Oſcula, & exangues imbre rigaſſe genas.
Sat fugientem animam fato legiſſe ſupremo,
  Et clauſiſſe piâ lumina cara manu.
Sat tumulum lauri foliis ornare quotannis,
  Et cineri multâ ſolvere juſta prece.

AD EUMDEM.

Iniquè artem poëticam viris nobilibus vitio dari.

O Cui victurum dictat Polyhymnia carmen,
  Sæpe fides digitis tendere viſa tuas:

Pone lyram Auguſtine: licet te Vate ſuperbus
Ceſſurum Calabro ſe neget eſſe Ligur.
Phœbeos arcus, tutandis arma Camœnis
Poſcimus: hæc noſtri temporis arma cape.
Ecce novum tumidoque gravem Pythona veneno
Horret Apollineis dedita turba ſacris.
Ipſum etiam qui Pindi aditum, Phœbique receſſus
Occupat, inque ſacrum nos vetat ire nemus.
Quid moror, & ficto dubium te carmine duco?
Ah! nimis ex vero noſtra querela venit.
Livor edax Python, Python inſcitia rerum:
Hæc Vates dictis mordet, & ille ſuis.
Non capit ingenio, quæ dente laceſſit iniquo
Carmina, nobilibus ceu minùs apta viris.
O quoties dixi: Quid carmen & otia Vatum
Arguis, & ſolo ſtirpis honore tumes?
O quoties: Si fama tibi, ſi gloria curæ eſt,
Cur non & Vatis te quoque cura ſubit?
Seu placet antiquâ deductus origine ſanguis,
Antiqui ſeriem ſanguinis ille canet.
Seu caperis poſitis fumoſa per atria ceris,
Ornabit ceris atria lata tuis.
Addet & his proavûm titulos, & carmine dicet,
Quot tulerint palmas, quaſque, quibuſque modis.
Addet & his vocem: picturas ille loquentes
Finget, & his animos ingeniumque dabit.
Quid? quòd habent ſua cum Superis commercia Vates,
Quique illos agitat ſpiritus, inde venit?
Quid? quòd honoratos memorant ex ordine Reges
Auratam digitis increpuiſſe lyram?
Creditur Amramides (nihil eſt illuſtrius illo)
Iſacidis carmen præcinuiſſe ſuis.

Carmen erat populus, cui Mempheos arma timenti
  Ipſe Deus facilem ſtraverat antè viam.
Iverat & montes inter ſecurus aquarum:
  Tanta fides pelagi diſſilientis erat.
Obruerat regem fluctu gravis unda refuſo:
  Tanta fides pelagi mox coëuntis erat.
Ibat Erythræas Mareotica gaza per undas,
  Et fracti currus, & juga vulſa rotis.
Qui miſeros regni caſus luctuſque referret,
  Hauſtaque tot pelago millia, nullus erat.
Omnia quæ populus, populum præeunte Poëtâ,
  Audiit, & paribus rettulit inde modis.
At nunc quæ ſubitò ſtrepuit lyra! me mihi totum
  Surripit, & ſuperis inſerit ipſa choris.
Jeſſide, ſalve Regum, ſalve optime Vatum,
  Sive lyram doctâ, ſeu geris arma manu.
Militiæne priùs mirer, cantúſne ſcientem?
  Par utroque tibi nomine conſtat honor.
Queis ego te Regem componere Regibus auſim?
  Nil potuit regno ſanctius eſſe tuo.
Queis ego te Vatem componere Vatibus auſim?
  Nil potuit plectro dulcius eſſe tuo.
Luce tibi ſonuere tubæ: lyra nocte canebat,
  Victorique Deo carmine gratus eras.
Et modò ſtrata tuis, modò fletibus ara madebat:
  Et modò te tardâ Muſa levâbat humo.
Sancte velis mihi te facilem præbere canenti,
  Et Vates Vati dexter adeſſe tuo.
Si non me tecum fas eſt excedere terris,
  Nec mea me ſupra ſidera Muſa levat:
At placare tuo fas ſit mihi Numina cantu:
  Hac, precor, hac liceat te mihi parte ſequi.

Talia cantabant afflati numine vates,
Otia poſt pugnas cùm ſibi juſta dabant.
Et quiſquam, ſit dives opum, ſit clarus avito
Sanguine, tanta neget nomina ponè ſequi?
Et leve neſcio quid, quod tantùm tempora fallat,
Eſſe putet, doctæ carmina mentis opus?
Ille ego ſim, qui, dum Pindi ſedet arduus arce,
URBANI ſacris oſcula dem pedibus.
Ille ego ſim, qui CHISIADÆ juvenilia dicar
Otia parte aliquâ poſſe referre meis.
Nec mihi quis, ſi caſtra vocant, neget artibus illis
Eſſe aliquem lituos inter & arma locum.
Tunc erat, extremum Macedo cùm ſubderet orbem,
Et captis Ganges mollior iret aquis.
Tunc erat, Iliadem caperet cùm lectus & enſem,
Qui cuſtos Muſis eſſet, Homere, tuis.
Scipiade, tibi jugis erat comes Ennius: idem
Emeruit tumulo proximus eſſe tuo.
Cæſar in adverſos cùm fulminis inſtar Iberos
Tenderet, ipſe ſuum carmine luſit iter.
Aiacem nobis invidit ſpongia: dextrâ
Occidit Auguſti fixus, ut ipſe ſuâ.
Sæcula (cur ſileam?) vates quoque noſtra tulerunt,
Imperio populos qui tenuere ſuo.
Cæſareæ ſtuduit Phœbeam nectere laurum
Primus ab Auſtriacis Maxmilianus avis.
Summos ſumma juvant: res eſt quoque ſumma Poëſis:
Et qui digna gerunt carmine, carmen amant.
Quo quiſque ingenio pollet magis, altiùs ire
Nititur ad geminum, quà via facta, jugum.
At rudis, invitis Muſis & Apolline natus,
Laudis egens, animo deficiente jacet.

Hæc

Hæc ego: tu nervis torque majoribus arcum,
Cui Phœbus pharetram credidit ipſe ſuam.
Surge: premat querulas roſtrata ciconia ranas:
Figat Apollineus ſibila monſtra labor.
Surge: animam vocemque novo præclude Lycambi:
Supplicium Momus, quod tulit ille, ferat.

AD GALLIAM.

DE MORTE DIONYSII PETAVII E SOCIETATE JESU,

Cùm Franciſcus Barberinus S. R. E. Cardinalis, illi à Poëtis Romanis parentari juberet.

SI vacat, & noſtras civilia bella Camœnas
Audiri lituos inter & arma ſinunt;
Accipe quæ vates cineri ſacramus amico
Carmina, non uno Gallia preſſa malo.
Scilicet in longum veniunt tibi triſtia morem,
Teque alia ex aliis fata viceſque gravant.
Non ſatis in luctus fuerat, tua pignora, cives
In te diſcordes exacuiſſe manus.
Et Parcæ fecêre nefas, commune, ſed atrox,
Cui natura nihil quo medeatur habet.
Sirmondus, [1] quo non alius Regum acta tuorum
Certior, & regni jura referre, jacet.

O Sum-

[1] Jacobus Sirmondus è Societate JESU, vir totius antiquitatis curioſus inveſtigator.

Sumſerunt etiam, dum Regum ſcrinia ſervas,
In te lanificæ jus, Puteane, [2] Deæ.
Communis, Puteane, dolor nunc Vatibus, olim
Grande decus Clarii præſidiumque chori.
Nec ſatis: extincti mors importuna Petavî
Accedit tantis nunc nova cauſa malis.
Ille ſilet, parvâque cinis compoſtus in urnâ eſt,
Suada jacet riguis quam ſuper uda genis.
Qualis ſciſſa comas, lacerataque pectus apertum
Incubuit Pylio commoritura ſeni.
Ereptum Ligeris plorat natalis alumnum,
Turbataſque ſuis fletibus auget aquas.
Ipſa dolet miſerum regina Lutetia caſum,
Funereâ ſparſas fronde revincta comas.
Jure etiam libat lacrimas FRANCISCUS ademto,
Romuleos inter gloria prima Patres.
At bene quòd cineri (quid enim non ille meretur?)
Doctorum Vatum carmine juſta paret.
Nam quid felices fruſtrà dolor urgeat umbras?
Juſtiùs in laudes ora reſolvat amor.
Deſine, quiſquis amas, magni pia buſta Petavî
Nil profecturis ſollicitare modis.
Quamvis indocilis leges mutare ſeveras
Vitalem Lacheſis ruperit atra colum;
Non omnis tamen ille perît: meliore ſuperſtes
Parte ſui, volitat docta per ora virûm.
Quid metuat Lethen oblivia nigra trahentem
Fluctibus? ignavos torqueat ille metus.
Hic rerum memores faſtos, memorandus & illis,
Edidit, & Batavam contudit invidiam,

Bis

2 Petrus Puteanus, Regiæ Bibliothecæ Cuſtos ac Præſes, literatorum erga literatos officioſiſſimus.

Bis ſenis docuit celeres cum menſibus annos
Munitam certis legibus ire viam.
Ætheriaſque domos animo percurrit, & aſtra
Diviſit numeris temporibuſque ſuis.
Hunc adeò egreſſum noſtræ contagia terræ,
Uranie famulâ duxit ad aſtra manu.
Erranteſque globos, mundique volubilis orbes
Pandit, & in toto ſidera fixa polo.
Quæ ſuper evectus, meriti nunc civis Olympi,
Fertur in auctorem, non velut antè, ſuum.
Nunc illo fruitur propior, totumque quod ipſe eſt,
Inque ipſo, quidquid condidit ipſe, videt.
Sive Palæſtini regalia carmina Vatis
Concinit Argolicis reddita carminibus;
Seu Divûm medius, Patrum monumenta revolvit,
Ingenio Divos detinet ille ſuo.
Non igitur tibi vana ferunt ſolatia Muſæ:
Tu modò te Superûm, Gallia, junge choris.

AD
JACOBUM VVALLIUM
E SOCIETATE JESU,
DE MORTE SIDRONII HOSSCHII,
Ex eadem Societate.

ETſi me, Walli, patriis excedere terris,
Et procul Angariæ collibus ire meæ;
Et maris inſuetas auſum dare vela per undas;
Ardenteſque gravi ſole ſecare vias;

Lydius Heſperidum Tybris regnator aquarum,
  Et ſeptem geminis Urbs tenet alta jugis,
Alpinæque nives, ac nubifer Apenninus,
  Et pia Tyrrhenæ vota morantur aquæ:
Ut nequeam Tungros, & pulchrum viſere Moſam,
  Et præſens mœſto ſolvere juſta rogo,
Et terræ tumulo componere Vatis amici
  Relliquias noſtris irriguas lacrimis:
Non tamen extinctum miſeris urgere querelis,
  Juſtaque, quà fas eſt, reddere ceſſat amor.
Nunc firmata ſubit ſtudiis concordia noſtris,
  Et deſideriis invida fata meis.
Nunc mandata lego, quæ te mihi ſcribere juſſit,
  Et moriens linguâ deficiente dabat.
Quin etiam violis, & lauri frondibus urnam
  Halantem fictis ponimus exuviis.
His etiam flores, vitæ monumenta fugacis,
  Addimus, albenti lilia miſta roſâ.
At circùm Latii, doctiſſima turba, Poëtæ
  Aöniâ feriunt carmina mœſta lyrâ.
Quos præit ereptum lugens Elegeïa vatem,
  Sæcula cui nullum noſtra tulêre parem,
Poſteà vix ſperent; quo vindice deſiit eſſe,
  Quod fuerat, Paphiæ lena comeſque Deæ.
Illa igitur ſqualet, quo nos, confecta dolore,
  Et queritur noſtris ſaucia vulneribus.
Ipſe etiam fletu tumulum dignatur inanem
  CHISIUS, Auſoniæ gloria prima togæ.
Et gemitu manes ciet, & Permeſſide lymphâ
  Spargit flebilibus marmora ſcripta notis.
HOC MERUIT JUSTI MONUMENTUM BELGA DOLORIS,
  PROXIMUS INGENIO, CULTE TIBULLE, TUO.

In-

Intereà curis liber mortalibus errat
   HOSSCHIUS, Elyſium quà facit umbra nemus;
Quà Zephyri blandis immurmurat aura ſuſurris,
   Et viret intonſis laurea ſilva comis;
Quà ſaliunt vitrei per amœna roſaria fontes,
   Et præbet faciles florida ripa toros.
Illic divinos inter conſidere Vates
   Geſtit, & Heroum proximus ire choris,
Et modò cantatos ſuſpirat Numinis ignes,
   Virginis & grato carmine laudat opem.
Et modò tot vitæ, quibus ut mare volvimur, æſtus,
   Gaudet inoffensâ ſe ſuperaſſe viâ.
Et modò commendat faciles miſereſcere Divos,
   Dum Petri lacrimis miſcuit ipſe ſuas.
Denique quæ vovit Leopoldo plurima, votis
   Exorat meliùs proſequiturque ſuis.
Illinc, ſi noſtri tangit te cura, nec omnis
   Excidit oblito pectore ſuetus amor:
Aſpice perpetuis lacrimarum turgida rivis
   Lumina, & exequias, docte Poëta, tuas.
Aſpice ut immenſum tua gloria lata per orbem
   Tranſvolet Eöas, Heſperiaſque domos:
Ut malè neglectas, monumenta perennia, Muſas,
   Wallius indignis vindicet à tenebris;
Wallius Aönidum poſt te non parva Sororum
   Cura, tibi quondam, nunc mihi primus amor.
Quàm pius ille manu fugientes clauſit ocellos,
   Et ſummis animam legit anhelitibus!
Quàm pius æternis mandat tua nomina chartis,
   Et damnat lacrimis impia fata ſuis!
Scilicet ereptum ſic triſtis Naſo Tibullum
   Luxit, & Orphæam Calliopeia necem.

AD NICOLAUM HEINSIUM,

& Lucam Langermannum, Româ Florentiam diſcedentes, An. M. DC. LII. 3. *Kal. Julii.*

NObile par Juvenum, ſoboles præclara parentum,
 Candida Theſeï biga ſodalitii;
Quàm lætus fuit ille dies, quàm riſit amico
 Lumine, vos primus quô mihi junxit amor!
Quô tres una domus cepit, facileſque Camœnæ
 Juſſerunt Charitum nectere lege manus.
Ille dies rerum dominam mihi cernere Romam,
 Et quicquid priſcæ rudera laudis habent;
Ille Quirinales accedere Principis arces,
 Chiſiadæ Muſis præſidioque frui;
Ille dedit Latiæ mirari flumina Suadæ,
 Ille dedit veſtræ carmina mentis opus.
Langermanne, tibi totas indulſit Athenas
 Græcia, delicias & tibi Roma ſuas;
Et quicquid Venerum formoſo vertice Pindus
 Poſſidet, ac ſacris Cyrrha propinat aquis.
At Te, quid patrii ditiſſime numinis heres,
 Heinſiade, Batavi gloria magna ſoli,
Quid dicam numeroſa tuas in carmina vires?
 Quid celebrem Clario pectora fœta Deo?
Niliacus rugas jam toto corpore Vates
 Exuit, & calamo barbara menda tuo.
Jam quoque Pelignus tenerorum luſor amorum,
 Ut niteat, ſimilem ſperat & optat opem.

Jam

Jam Sueonum laudata favet Chriſtina Poëtæ,
Aönii columen deliciumque chori.
Se minor illa tibi ſeptem diadema Trionum
Inclinat, plectris & ſua ſceptra tuis.
Maxima Guſtavi ſi tanti filia Regis
Te facit, ac citharæ vis rapit illa Deas;
Heinſiade noſtros mirari deſine plauſus,
Et, mea quos dictat Calliopeia, modos.
Te mihi notus amor Phœbi, te gratia fandi
Conciliat, magni quod Patris inſtar habes;
Non ut amare tuæ non poſſim mentis acumen,
Et cultum variis artibus ingenium.
Sed quid amo? fortuna diu vetat eſſe beatum;
Et, quæ prima dedit gaudia, prima necat.
En priùs optato coaleſcere cœperat uſu
Noſter amor, noſtri Maius amoris erat;
Cùm fugitis, dilecta cohors, cùm verna voluptas
Omnis, & in primo ſpes mihi flore perit.
Et tot delicias, & tot rapit una lepôres
Hora nimis ſtudiis inſidioſa meis.
Ergo nec antiquo Tarpeia cacumine rupes
Ardua, nec reliquis tot monumenta jugis;
Nec vos Roma recens, nec quæ nova ſurgit in altum
Pyramis, & largas ejaculatur aquas;
Nec præceps Anio, nec amœni Tiburis horti,
Tuſcula blanditiis nec tenet aura ſuis?
Nec tot amicorum lacrimæ, Vatumque querelæ,
Nec tot propoſitum vota morantur iter?
Ah fortunato nimiùm Florentia cælo
Vos trahit, & Tuſcis allicit Arnus aquis!
Scilicet illa viæ faſtidia vincit & auræ;
Et deſiderio mitigat aſtra ſui:

Nec patitur valuiſſe preces, nec amica dolentûm
Signa, nec humentes pondus habere genas.
Ah precor, & Superi ſaltem pia vota ſecundent!
Quando meas ſurdâ temnitis aure preces.
Auſpiciis, precor, ite bonis, & numine dextro
Per juga, Flaminiâ per loca plana viâ:
Sic precor, & vobis volucer Cyllenius adſit,
Et melius virgâ, vel pede ſignet iter.
Sic Apennini ſubſidant culmina montis;
Aut tollat Vates Pegaſis ala duos.
Sic precor: umbroſæ veniant ad tempora lauri,
Frondibus & calidos frangat oliva dies;
Et Zephyrus blandis permulceat ora ſuſurris,
Et levis intonſas ventilet aura comas:
Et Satyri ludis, & euntibus obvia plaudat
Naïadum pulchris juncta Napæa choris:
Sic precor; incolumes patriæ Florentia tandem
Reddat, & oblitos non velit eſſe mei.

ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX.

Villam Barberinam, Domitiani olim Cæſaris Albanum, ubi quotannis Quinquatria fiebant Minervæ, animi cauſâ inviſenti, anno M. DC. LVII. *Idib. Maii.*

HIc ubi porticibus ſe Flavia villa ſuperbis
Æquabat ſummis ardua ſideribus;
Et nemus hinc, Scythicæ non mitia regna Dianæ,
Illinc Tyrrhenas proſpiciebat aquas:

Sol-

Sollemnes olim ludos, & ſacra Minervæ
Quinque fuit junctos mos celebrare dies.
Quare amat hos colles etiam nunc Diva, lacuſque,
Plurima quos glaucâ veſtit oliva comâ.
Atque adeò præſens Albæ cùm proxima nuper
Vidit ALEXANDRUM per juga ferre pedem:
Lætus ades, dixit, noſtroſque inviſe receſſus,
Terrarum Cuſtos maxime: lætus ades.
Hîc poſitâ regni tantiſper mole, licebit
Otia prolatis dulcia rebus agas.
Quando dira lues, & frugum triſtis egeſtas:
Auſpice Te, Latios pulſa reliquit agros.
Mox inſtaurato mens corpore firmior, altas
Imperii curas, & geret orbis onus.
Intereà dignam ſervato Cive Coronam
CHISIACIS Dryades texite de foliis.
Alma Ceres, ſpicas; date laurea ſerta merenti,
Aönides: partâ mox mea pace feret.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Viro

CAROLO SANCTAMAURÆO
DUCI MONTOSERIO.

MArs tibi cum Muſis lauros & Apolline debet,
Martis & Aönidum, Carole, grande decus.
Tu patriæ, tibi quæ LUDOVICUM credit alendum,
Borboniæ debes ſpem columenque Domûs;
Quem virtute parem magno formabis Achilli,
Rege licet fuerit Rex genitore minor.

AD
JOANNEM ROTGERUM TORCKIUM,

Præpoſitum Mindenſem, & Canonicum Paderbornenſem ac Monaſterienſem. De Æneæ ſtatuâ LAURENTII BERNINI *opere, in hortis Burgheſiis extra portam Collinam Romæ.*

TORCKI noſter amor, doctarum prima Sororum
 Gloria, ſpes patriæ magna decuſque tuæ:
Aſpice BERNINI docto ſpirantia cælo
 Marmora, Phidiaco par opus ingenio.
Aſpice Trojugenam curvâ cervice ferentem
 Et patrem, & profugos, ſacra paterna, Deos:
Has pius Æneas parvo comitatus Iülo
 Subtrahit incenſæ relliquias patriæ.
Quis dolor è muto ducit ſuſpiria ſaxo!
 Qualis in inflexo vertice regnat amor!
Ut lapis ipſe ſuæ præſagus fata Creüſæ
 Sentit, & impoſitum ferre laborat onus!
Et trahit Aſcanium flentem! comes ille paternæ
 Non potis eſt æquis paſſibus ire fugæ.
Ut miſerans captæ fumantia mœnia Troiæ
 Effigies tantis ingemit ægra malis!
At ne BERNINUS vocem daret arte querelis,
 Obſtitit infandus, qui premit ora, dolor.

ALEXANDRO POLLINO,

Donum natalitium.

MEntoreos alii donent, POLLINE, labores:
Natali noſtro pyxida munus habe.
Forma pyrum ſimulat: circùm violæque colores,
Albaque purpureis miſta liguſtra roſis.
Aſpicis & variis ut aranea floribus audax
Incubat, & fatuus papilionis amor.
Nec tamen incluſam potis eſt libare medullam,
Et qui ſub fulvo ſpirat odor calyce.
Namque ibi odorifero ſudantia balſama ligno,
Dulces Auroræ divitis exuvias,
Et Cilicum meſſes, & quæ Titanius ales
Cinnama, & extremus munera legit Arabs;
Et nardi felicis opes, & pinguis amomi,
Compoſuit miro Pœonis ars ſtudio.
Sic operi contendit odor: cui præſtat utrique
Dantis amor, meritis dona minora tuis.

DE CORVO

Bartoldi Nihuſii diſcipulo mortuo.

OCcidit heu Corvus Batavis celeberrimus oris,
Bartoldi longo tempore diſcipulus.
Nec domino veniente, *κακοῦ κόρακος κακὸν ὠὸν*,
Increpitat Graio garrulus eloquio.
Vox ſilet, ac lepidæ ceſſant convitia linguæ,
Nulla quibus ſeſe compoſuiſſet avis.

Non

Non Agrippinæ turdus, non ſturnus amores
  Cæſaris, humanos doctus uterque ſonos;
Nec Corvus populi plauſu gemituque Latini
  Nobilis, & ducti funeris exequiis.
At rumpare licet Clotho, quæ fila volucrum,
  Mœonidæ ſi fas credere, dura ſecas;
Carmine vivet adhuc, qualis Melioris alumnus
  Pſittacus, & Teii fida columba ſenis.
Qualis & exuſto celebrata Ciconia nido
  In Batavis pullos morte ſecuta ſuos.
Ut meruit, vos ergò roſâ Permeſſide Muſæ
  Compoſitum molli condite funus humo:
Et notum tumulo carmen ſuperaddite: SI QUEM
  NON HODIE, CRAS, CRAS AUFERET ATRA DIES.

ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX.

Tertium Pontificatûs annum feliciter auſpicanti.

LÆta dies rediit, qua te Rex ætheris alti,
  SANCTE PATER, magnum miſit in imperium:
Et terris dum pulſa lues, tibi tertius annus
  Illuxit fauſtis candidus auſpiciis.
Prima fames Latium, Te Principe, liquit, & Urbem
  Externis pavit frugibus alma Ceres.
Jam nunc Adriacis claſſis tua juncta carinis,
  Helleſpontiacæ clauſtra refringet aquæ.
Intereà ſacras voti rea fundit ad aras
  Ingenuo tales pectore Roma preces:

De

De noſtris, PATER ALME, tibi Deus augeat annos,
Si ſervata tuo munere vita mea eſt.

IN EJUSDEM EFFIGIEM

Marmoream, opus Laurentii Bernini Equitis & ſculptoris egregii.

SPirat ALEXANDRI vivus de marmore vultus,
Nullus adhuc potuit quem ſimulare color.
Par animo ſiquidem facies pigmenta recuſat,
Et meliùs niveum marmor utrumque refert.

AD EUMDEM.

De ædibus Pontificiis ad Lacum Albanum tactis fulmine III. *Id. Octob.* M. DC. LVII.

NE mirare manu Cyclopea tela rubenti
In Tua, SANCTE PARENS, tecta vibrare Jovem.
Indignatur enim Latio, Te Principe, demum
Aurea Saturni ſæcla rediſſe ſenis.

DE BIBLIOTHECA URBINATE,

ALEXANDRI VII. *Pont. Max. liberalitate, Vaticanæ donatâ.*

REgifico quondam ſumtu, ſtudioque parata
Feltriadûm celebris bibliotheca Ducum,

Vati-

Vaticana tuas, huc longè juſſa venire
  Munere ALEXANDRI Principis, auget opes.
Nobilior poterat nec muneris auctor haberi,
  Nec munus poni nobiliore loco.

IN CAROLI I. *magnæ Britanniæ Regis, An.* M. DC. XLVIII. V. *Id. Febr. Londini capite plexi, necem.*

CErne lupæ geminos pendentes ubere natos:
  Romulus hic Romæ eſt conditor, ille Remus.
Indè Caledoniæ præbentem colla ſecuri
  Indigno CAROLUM reſpice ſupplicio;
Et genus acre lupos terræ dic deeſſe [1] Britannæ;
  Sævior eſt ipſis terra Britanna lupis.

AD FRANCISCUM BARBERINUM Card. & S. R. E. Vicecancellarium.

Ut Lucæ Holſtenii, Hamburgenſis, Vaticanæ Baſilicæ Canonici, & Bibliothecæ Præfecti, IV. *Non. Febr. An.* M. DC. LXI. *defuncti, ſcripta in lucem proferat.*

OCcidit Holſtenius, Graiæ Latiæque Minervæ
  Artibus, Eöis notus & Heſperiis.
Holſtenius, quô non fuerat mihi carior alter,
  Nec poſthac unquam carior alter erit.

Heu!

1 In Angliâ lupi nulli, aſſiduis venationibus ſtirpitùs exciſi. *Polyd. lib.* 1.

Heu! Vaticanæ mecum plorate Camœnæ
Delicium veſtri præſidiumque chori.
Illius imprimis ſtudio defenſa fideli
Relligio madidis lugeat orba genis.
Grande decus columenque ſacri, Franciſce, Senatûs,
Solari noſtras perge tuaſque vices.
Ede laboratas, quas celant ſcrinia, chartas,
Queis meliore ſui parte ſuperſtes agat.
Vivitur ingenio, nec in illud ferrea quidquam
Inciſo Lacheſis ſtamine juris habet.
Sic bene de Muſis, & relligione merendo,
Laus tua, & Holſtenii vita perennis erit.

ALEXANDRO VII. P. O. M.

Uſitatâ SS. Patrum Conciliis comprecatione;
CUJUS SEDEM ET ANNOS,
de reſtituta valetudine gratulatur.
An. M. DC. LXVI.

Vivit Alexander, mendax quem fama negabat
Longiùs extremum ducere poſſe diem.
Vivit, & Albanos colles petit, Urbe relictâ,
Incolumis: Clariæ ſolvite vota Deæ.
Veſtra ſalus agitur; quæ nunc hoc ſoſpite florent,
Incipient artes hoc moriente mori.
Hoc igitur faciles adeamus carmine Divos,
Carmine, quo ſancti nos præiiſtis avi:
Cujus Alexander sedem tenet, illius annos
Expleat, utque tulit, ſic ferat Orbis onus.
Tu, cujus primùm auſpiciis hæc inclyta Roma
Cælitibus leges terrigeniſque dedit:

Tu

Tu mea tam juſtam vota exorantia cauſam
   Excipe, dum partes Urbis & Orbis ago.
En ut porticibus, pro quo precor, alta coronat
   Limina ſupplicibus relligioſa tuis;
Ut ſolium auguſtis decorat ſublime columnis,
   Artis divinum ſe ſuperantis opus.
Quod populus poſthàc his te venerabitur aris
   Sæpius, hoc illi proſit, opemque ferat.

EJUSDEM

Summo Reipubl. Chriſtianæ luctu, ac damno, XI. *Calend. Jun. An.* M. DC. LXVII. *defuncti,*

SACRÆ MEMORIÆ.

QUæ non flebilibus complevit regna querelis,
   Mortis, ALEXANDER, nuntia fama tuæ?
Te Cæſar, te flevit Iber, infeſtaque nuper
   Gallia nunc lacrimas victa dolore dedit.
Nec tulit irarum cauſas referentia ſtare
   Marmora, Pipinis invidioſa ſuis.
Orbis uterque ſuum fato ceſſiſſe Parentem
   Credidit, & pietas omnibus una fuit.
Omnibus ex æquo par ſit data cauſa dolendi,
   Juſtior haud ulli, quàm mihi, cauſa datur.
Amiſius, mecum ante alios mœſtiſſimus, urnam
   Deciduis, in quas ſolvitur, implet aquis.
Ne tamen aſſiduo cogar tabeſcere luctu,
   Virtuti cautum gratulor eſſe tuæ.
Non tibi ſumma dies anguſti terminus ævi eſt:
   Quamlibet invitâ morte ſuperſtes eris.

Nec

Nec tibi, quæ multis, ponet fataliter ætas
Tempora, nec famæ meta futura tuæ eſt.
Quà pelagus, quà terra patet, ſurguntque caduntque
Sidera, ſunt meritis omnia plena tuis.
Adria te Threſſas armis diffringere Lunas,
Teque tuas illi jungere vidit opes.
Adria Loiolidis, quo ſe tibi nomine debent,
Hoſpitio dextras junxit, ut antè, ſuas.
Quam debere tibi gaudet Germania [1] pacem,
Se debere diu non potuiſſe dolet.
Acrior hoc tangit Rhenum dolor, acrior Iſtrum,
Quò fuerat viſi gratior oris honor.
Scit bene, quas habeat lugendi Viſtula cauſas,
Ille tuâ poſthac deſtituendus ope.
Scit bene, quas illi dederis in prælia vires,
Seu Geta, ſeu Moſcus Marte petendus erat.
Quæ mihi præſtiteris, ſi perſequar, omnibus undis
Amiſius numero ſit minor ipſe meo.
Talia cùm de te peragat præconia Virtus,
Te rapto lacrimis obruor, & ſileo.

1 Inter Imperatorem & Galliarum Regem conciliatam Monaſterii Weſtphalorum.

AD
CLEMENTEM IX. P. O. M.

Cùm Epiſcopo & Principi Monaſterienſi Adjutor Succeſſorque lectus deſignatuſque eſſet, An. M. DC. LXVIII. *pridie Cal. Maias.*

EUCHARISTICON.

GRandibus immenſas Tibi debeo, maxime Clemens,
  Pro meritis grates muneribuſque tuis:
Quòd tua me populis ſacravit [1] dextra regendis
  Impoſitum, Paderæ quos rigat unda meæ:
Quòd Mimigarda potens, æquo te Judice, nobis
  Detulit imperii proxima jura ſui;
Tincta nec adverſæ valido potuêre veneno
  Invidiæ noſtrum lædere tela caput.
Sed tua quando meæ nequeunt æquare canendo
  Aönides parvis maxima dona modis;
Mente, precor, gratâ contentus, perge tueri
  Præſidio fretum me, Pater alme, tuo.
Sic Tibi dent Superi quod aves, quod jure mereris,
  Et pro Te Superos publica vota rogant.
Sic Themidi ambiguam faciat Clementia palmam,
  Ornet an hæc mores, an magis illa tuos.

1 An. M. DC. LXI. VI. Junii. Romæ.

IMP. CÆS.

LEOPOLDO AUG.

Victoriam Hungaricam ſine ſanguine partam gratulatur, An. M. DC. LXX.

EDite Cæſaribus proavis, fortiſſime Cæſar,
Orbis, & Auſtriacæ ſpes, LEOPOLDE, domûs:
Marte tuos ſuperes, precor, ut virtutibus hoſtes,
Et jugis circùm tempora laurus eat.
Primus in arma ruens pœnas, Te vindice, Gotthus
Infeſtus Cimbris Sauromatiſque dedit.
Pòſt Thracem infractum non unâ clade tyrannum
Sanguineis vidit decolor Iſter aquis.
Nunc Tibi perjuros debellàt Sporchius armis
Pannonios, noſtri gloria magna Padi,
Lætáque Cæſareas circùm Victoria turmas
Serta gerens, nullâ cæde cruenta volat.
Magna quidem ferro populos domuiſſe rebelles
Laus eſt, innumeri quam meruêre duces;
Sanguinis expertem ſed deportare triumphum
Præſtat, & imperium laus decet illa tuum.

AD
JACOBUM BALDE,
E SOCIETATE JESU,

Verſiculos noſtros, de corvo Bartoldi Nihuſii, exſtincto, laudantem.

SIccine, quem triſtes olim flevére Camœnæ,
Eſt tibi viſus olor, qui mihi corvus erat?
Verterit has formas opifex amor: omnia vertit,
Et pulcrum quod non invenit, eſſe facit.
Quos tu nunc, ſpecie multùm deluſus inani,
Das corvo vultus, hos dedit ille Jovi.
Dî faciant, cui dat corvus te judice nomen,
Ille ſuo dici carmine poſſit olor.
Tunc me non humili vectum mirabere pennâ,
Quò Calaber Latiæ ſe tulit arte lyræ.
Tunc ego Dædalide ferar huc, ferar ocyor illuc,
Nomina cæruleis nulla daturus aquis.
Te viſam ante alios, ac noſtro carmine captus
Defluere immemores arriget Iſter aquas.
Exceptum Tiberis ripâ me [1] SIDUS OLORUM
Reſpiciat tantùm, ſponte canorus ero.

1 Clementis IX. P. O. M. teſſera hæc eſt, inter illas, quas Pontificibus ſingulis attribuit S. Malachias.

AD ACIDULAM FONTIS MELLITI,

Juxta Smechtam, pagum Diœceſis Paderbornenſis.

NYmpha decus ſilvæ, pulcherrima Nympha ſorores
  Inter Hamadryadas, Naïadaſque deas.
Quis te præſenti ſparſit medicamine? quis te
  Melliti fontis nomen habere dedit?
An, magis ut ſaperent, acidas tibi dulciter undas
  Ambroſiæ ſuccis diluit ipſa Salus?
An velut Hyblæis è floribus omnia libat
  Fingendi ſtudio ſedula mellis apis;
Sic, dum nunc ferri venas, nunc æris oberras;
  Vim trahit inde tuæ, quà fluit, humor aquæ?
Quicquid id eſt: ſtomachi faſtidia vincis inertis,
  Nec ſinis accenſum bile tumere jecur;
Et quæ præterea verſu comprendere non eſt,
  Sæpius innumeris pota medere malis.
Salve Naturæ mulſum, gratiſſima morbis
  Soſpita, languentûm nectar, inempta ſalus.
Quòd mihi ſi bilem ſolitâ virtute coërces,
  Quæ jecori, nimio dum furit igne, nocet;
Carminibus noſtris decorataque marmore, nomen
  Grande ſalutiferas inter habebis aquas.

AD FERDINANDUM LIB. BARONEM DE FURSTENBERG,

Canonicum Moguntinum & Paderbornenſem, unicum defuncti fratris filium, decimo ætatis anno, vota carminibus concepta nobis offerentem Cal. Januariis, An. M. DC. LXXII.

CAre nepos, FERNANDE, domûs ſpes unica noſtræ,
Qualis Dardaniæ gentis Iulus erat;
Sic tua, Cælicolæ, patriæ ſic vota ſecundent,
Et rata ſint animi vota preceſque mei;
Ut mihi Piëridum munuſcula grata fuêre,
Ingenii flores primitiæque tui.
Perge, precor, ſocias virtuti jungere Muſas,
FURSTENBERGIACÆ Numina fauſta domûs:
Quæ te, Majorum ſacra per veſtigia ſiſtent,
Mons ubi ſe gemino tollit in aſtra jugo.
Haud etenim tibi fas humiles perrepere valles,
Nomina qui MONTIS PRINCIPIS alta geris.

DE CORDIBUS LAPIDEIS,

Quæ in agro Paderbornenſi, miro naturæ artificio, erutis è terrâ ſaxis incluſa paſſim reperiuntur, ad effigiem cordis humani affabrè conformata.

ASpice, Saxonicus largis ubi fontibus ortus
Lenè Padus vitreis per vada ſerpit aquis,

Cordis ut humani ducentia corda figuram
Exhibeat ferro fracta vel igne ſilex.
An ſuperant jactis hæc poſt veſtigia ſaxis,
Deucalion, generis ſemina dura tui?
Saxonis an propiùs mores, & neſcia ſignant
Pectora nativam ponere duritiem?
Quicquid id eſt: ſi corda gerunt hîc eruta ſaxa,
Quos animos fortes credis habere viros?

A D
S. URSULAM VIRG. & MART.
de natali ſuo,

Qui fuit XII. *Cal. Novemb. An.* M. DC. XXVI.

Virgineas acies quæ Te lux ordine longo
Ducentem ſuperas vidit inire domos;
Auſpiciis hæc ipſa tuis, fortiſſima Virgo,
Me vitæ limen vidit inire meæ.
Hinc Tibi ſacra fero, votivaque dona quotannis,
Natalémque tuum ritè meumque colo.
Vela Caledonium ſi Te rapuêre per æquor,
Excepitque tuas barbara terra rates:
At fera Te ſuperis tempeſtas appulit oris,
Optatæque tibi mortis aperta via eſt.
Nos quoque jactat hiems, & cùm ſuperaſſe procellas
Credimur, in portu naufraga turba ſumus.
Tu porrò ſecura maris precor, Urſula, portum
Ut teneat, noſtræ dirige navis iter.

AD
S. BARBARAM VIRG. & MART.
pro fauſto vitæ exitu.

BArbara, ſupplicibus Virgo non aſpera votis,
Has, rogo, neglectas ne ſine Virgo preces.
Stamina cùm vitæ candente fluentia filo
Præcidet Parcis de tribus una ſoror,
Et Mors atra ſuos diducet, & Orcus hiatus,
Coget & infernas in mea damna manus:
Tunc ſuccurre meo tam mitis, Diva, labori,
Immitis genitor quàm fuit ipſe Tibi.

AD
HORTENSIUM MAURUM
Veronenſem,
GEORGIO VVILHELMO,
Duci Brunowicenſi & Lunæburgenſi, ab epiſtolis, acidulam fontis Melliti, juxta Smechtam, pagum Diœceſis Paderbornenſis, hoc Epigrammate laudantem.

AUrea dum primæ coluerunt ſæcula gentes,
Ambroſias populis mella dedêre dapes;
Aëriæ quercus ſudarunt roſcida mella,
Mel fuit in foliis, mel fuit inter aquas.

Te quoque, qui reddis nobis ea tempora, Princeps
Inclyte, non miror mellis amore capi.
Cùm Tu ſis verè mirâ dulcedine morum,
Melleus ingenio, melleus eloquio;
Par eſt, ut fontes ipſi Tibi mella propinent,
Ut Tibi mellitas terra miniſtret aquas.

Reſponſum Auctoris.

MEllitos latices nuper dum libat Apollo
Imbutos venæ nectare, Maure, tuæ:
Non magis inſignis mirâ virtute medendi,
Carmine quàm Mauri nobilis unda mei.
Vatis, ait, tanti meritis & laude ſuperba,
Caſtalii poteris vincere fontis aquas.

FONS PAMPHILIUS,

INNOCENTII X.

Pont. Opt. Max. opus admirabile, in circo Agonali Romæ.

ORbis quadrifidi ſimulacrum cernis in Urbe,
Flumina qui noſtro fonte quaterna bibis.
Hîc Ganges, hîc qui dulces Argenteus amnis
In mare, perruptâ [1] Doride, volvit aquas.
Hîc Iſter pronâ recubat ſeptemfluus urnâ,
Et totidem Nilus cornua fronte gerit.

1 *Amnis Argenteus*, qui Hiſpanis dictus *Rio de la Plata*, hoc eſt ab argento, leucarum quadraginta oſtio in mare fertur adeò violentus, ut inde nautæ dulces hauriant latices, priuſquam tellurem ex alto conſpiciant. *Maffæus Hiſt. Indica lib. 2.*

Omnes Roma parens gentes complexa, miniſtrat
Omnibus ex uno fonte ſalutis aquam.

De S. Petri Apoſtolorum Principis Martyrio.

CUr, capite inverſo, plantas ad ſidera tollit
Affixus dominâ Petrus in Urbe cruci?
Ut caput in terris ſummum, ſub Principe Chriſto,
Seque piis certum monſtret ad aſtra ducem.

DE
MARIA REGINA ANGLIÆ,

Vindicata à calumniis Georgii Buchanani Scoti, lib. 2. Epigramm.

SUm Marie, malè grata patri, malè grata marito,
Cælo inviſa, meæ peſtis atrox patriæ.
Nulla aberat labes: niſi quòd fuit addita cuſtos
Fida pudicitiæ forma maligna meæ.

Antitheſis.

SUm Marie, malè ſpreta Patri, bene cara marito,
Cælo accepta, meæ certa ſalus patriæ.
Nullæ aberant laudes: niſi quòd natura negavit
Progeniem regnis non ſatis æqua meis.

In Rufum Poëtam malum.

NOlo, Rufe, tuos, ne dedignare, libellos
In cælum falſis tollere carminibus.

Car-

Carmina tu nunquam laudas aliena; quid ergo
  Laudari quæris carmina, Ruſe, tua?

In eundem.

NOn mea, quod velles, te laudant carmina, Ruſe:
  Ne tua me laudent carmina, noſtra timent.

In Cantharum potatorem ſæpius ægrotantem.

POſt calices hauſtos toties, potamque ſalutem,
  Æger Apollineam, Canthare, quæris opem;
Pocula dein redeunt, redit & medicaminis uſus:
  Hoc eſt, nolle bene, & velle valere bene.

In Podagram.

BAcchus & alma Venus quam progenuêre, Podagram
  Miretur claudos ecquis habere pedes?
Ebria quando trahit veſtigia Bacchus, & hæret
  Tardipedi Cypris conſociata viro.

Adulatoris & corvi ſimilitudo ſecundùm illud Græc. Epig. Ῥῶ καὶ Λάμβδα μόνον κόρακας κόλακάς τε διΐστα.

ECce κόλαξ κόρακι quàm concolor eſſe videtur;
  Hic niger eſt plumis, moribus ille niger.
Hic fronti rapit, ille animo ſua lumina; gaudet
  Hic cruce; ſuffigi dignus & ille cruci eſt.

Amicitia fucata.

QUiſquis amicitiam jungis, ne fronte ſerenâ
  Tincta venenato pectora felle tegas:

Plus fallax oris ſpecies, velut abdita rupes
Plus ratibus, quàm quæ prominet alta, nocet.

JULIUS CÆSAR

Injuriarum immemor.

OMnia conſervat memori ſub pectore Cæſar;
Sola ſed in ventos, quæ mala paſſus, eunt.
Mnemoſynen alii laudent: me judice, pluris
Sic obliviſci, quàm meminiſſe fuit.

AD
FRIDERICUM FURSTENBERGIUM,

Fratrem, Dynaſtam Bilſtenii & Waldenburgi, Dominum in Schnellenberg, Waterlapp, Furſtenberg & Herdringen, Sereniſſimi Electoris Colonienſis, & utriuſque Bavariæ Ducis, Satrapam Fredeburgenſem, & conſiliarium intimum, Advocatum hereditarium in Grafſſchafft, ejuſque conjugem Annam Catharinam de Petra ex caſtro Leyen.

De WILHELMO FURSTENBERGIO

Eorum filiolo, eâdem horâ nato, & denato.
An. M. DC. L.

FUrſtenbergiaco Wilhelmus ſanguine cretus
Hîc jacet: huic vitam, quæ dedit, hora rapit;
Vivat ut æternùm, mœſti ne flete parentes,
Huic eadem vitam, quæ rapit, hora dedit.

AD

AD
FRIDERICUM HÖNINGUM
ARENSBERGENSEM,

Ord. Præmonſtr. Canonicum, Cal. Januariis An. M. DC. XLIX.

JAnus adeſt, ſed munus abeſt, tamen urget amanti
 Debita ferre tibi munera gratus amor.
Quid faciam Friderice? tibi ſi dona merenti
 Muſa negat, noſtrum cor tibi donat amor.

IN EFFIGIEM
CHRISTOPHORI BERNARDI
Epiſcopi & Principis Monaſterienſis,

Penicillo Theodori Caſpari Lib. Baronis de Furſtenberg, Canonici Moguntini & Spirenſis, eleganter depictam.

PRincipis ora vides Bernardi, fortibus armis
 Victorem ſupplex quem Mimigarda colit:
Thrax timuit: nec adhuc impunè laceſſiit ullus:
 Scit Batavus, Martem frons generoſa refert.
Nec minor eſt pietas: imò pius arma tuendâ
 Pro patriâ, & verâ relligione gerit,

IN BERNARDUM FULGOSIUM,

Medicum & Poëtam malum.

CUm tua, Fulgoſi, tellus errata medentis
 Celet, & aggeſtâ funera condat humo;
Quæ nunc tanta animum cepit dementia, luci
 Ut mala committi carmina diſcupias?

FABII CHISII

S. R. E. Cardinalis, auſpicatiſſimus Natalis Hendecaſyllabis jam olim celebratus, antequam Pontifex Maximus renuntiaretur.

INgens gloria purpuræ Latinæ,
Phœbi delicium, medulla Suadæ,
Sacrorum Cynoſura certa Vatum,
Paullùm, magne FABI, graves labores
Alti pectoris, arduæque Romæ
Fultum conſiliis remitte pondus,
Et noſtris ſolito favore Muſis
Aſpira facilem ſecundus auram,
Dum natalitias ſacrare cantu
Idus, Hendecaſyllabi laborant.
Quos duros licet, ac parùm politos
Lævi pumice, Dædalâque limâ,
Ut blando tamen in ſinu receptos
Illâ fronte legas, precamur, illâ,
Quâ Septem juga, Purpuramque Romæ,

Et

Et curas Latii Patris ſerenas,
Et noſtri rapis ingenI calorem.
Veſtris nunc opus eſt choris, venite
Suaves Lætitiæ, venite Plauſus,
Cantus, Gaudia, Gratiæ, Camœnæ.
Feſtivo Genium vocate ludo,
Et ſertis, & odoribus Sabæis;
Et natalitiis adeſte ſacris
Fauſtis ominibus, boniſque verbis.
Sollemnem Februarii reduxit
Quinquageſima ſexta bruma lucem:
Natales FABII canamus Idus,
Idus tot maris Indici lapillis
Signandas, quot hiems creat pruinas,
Quot ver purpureum per arva flores;
Quot votis celebravit & coronis,
Natalem Venuſina Muſa lucem
Mœcenatis agens, Aprilis Idus;
Quot votis cumulavit & coronis,
Idus, Mercurii diem, vetuſtas
Maio ſidere; nobileſque partu
Octobres coluit Maronis Idus.
Ergò cùm ſuperas beatus infans
Natus CHISIADES, futurus Heros,
Blando murmure perſonaret auras,
Vagitus tener, ac rudes querelæ
Commiſſæ Zephyris, procul remotas
Parnaſſi geminis novem Camœnas
Excivere jugis, Claroque Phœbum,
Et Pandionis arcibus Minervam.
Illæ Pegaſeos repentè fontes
Liquerunt, & Hyanthias cavernas,

Et Pindi virides tulere lauros,
Et molles violas, roſæque florem,
Parvis munera delicata cunis.
Princeps Calliope labella primùm
Permulſit tribus oſculis puelli;
Et Vatum ſimul entheos furores
Afflavit, teneroſque fronde crines
Cinxit Bacche tuâ, tuâque, Daphne,
Noſtris Orphea gratulata terris
Dono Cælituum novo renatum.
Hinc fati quoque conſciæ Sorores
Arriſere Deæ, lyramque Pæan
Donavit puero; puer jocoſus
Arreptas digito fides procaci
Prenſavit, fidium daturus omen,
Ut quondam dedit Hercules tenellus
Omen roboris anguibus peremtis.
Tunc amplexa tenacibus lacertis
Mellitum ſtupet undecumque Pallas
Infantem, cerebrumque mollicellum
Implet numinis, ac ſuas olivas
Pacis præmia ſubligat corymbis.
Adſunt, & comitum trahunt catervas,
Linquentes Ciceronis æviterni
Pictum veris honoribus ſepulcrum,
(Quo fixêre domum) diſerta Pitho,
Facundus Lepor, aureumque nodum
Segnes ſolvere Gratiæ ſodales,
Jucundique Sales, & elegantes
Doctarum facies Facetiarum.
Quæ poſtquam niveam liguſtra nubem
Fuderunt beneolentibus caniſtris,

Et felicibus irrigata ſuccis
Sacri nectaris ora miſcuerunt:
Quales Cecropii Platonis olim,
Quales gutture Pindari canoro,
Quales Ambroſiis apes labellis,
Matres ambroſiæ levès crearunt:
Dilectis etiam redux ab aſtris
Virtus remige venit uſa cycno,
Quæ fauſtos ſimul augurata ſoles,
Et primo ſimiles dies metallo
Promiſit puero, faces honeſti
Admovit, nivibuſque concolorem
Puris moribus indidit nitorem.
Quin & ſidereus Pudor modeſta
Vivo murice temperavit ora,
Et caſtos Amor innocens ocellos
Accendit radiis ab axe raptis,
Et Clementia nubibus remotis
Frontem finxit amabilem videri.
At cuſtos animum fidelis omnem
Munit Relligio timore Divûm;
Et contra mala, lividamque ſortem
Conſtans ægide Fortitudo pectus.
Tali Chiſiacas honore cunas
Dignatos Superûm choros frequentûm
Actutùm variæ viæ reportant.
Virtutes patrium petunt Olympum,
Et quà ſe tenues levant per auras,
Auræ deciduis pluunt liguſtris,
Narciſſiſque, roſiſque, liliiſque.
Cyrrham Pierides, Claron reviſit
Muſarum pater, Atticas Athenas

Pallas, Suada ſuam diſerta ſedem.
Gratantur redeuntibus Napææ,
Occurrunt Dryades, leveſque Fauni.
Tellus luteolas benigna calthas
Submittit, violaſque, amaracoſque.
Miteſcit poſitis furor procellis
Tyrrheni maris; Africis fugatis,
In regnum lepidæ Favoniorum
Succedunt animæ beatiorum,
Et ſolæ dominantur axe toto.
    Lætas intereà virere ripas
Vernis floribus, ac roſis caducis
Spargi flumina, leniterque motas
Admiratus aquas tepere blandis
Aurarum Zephyritidum ſuſurris,
Umbro [1] populeâ caput coronâ
Umbratum placidis levavit undis.
Quando ſuppoſitâ reclinis urnâ,
Muſcoſum latus hinc & inde Nymphis
Circumſtantibus, Orciâque, & Aſsâ,
Et Merſâ, & Soro, & Arbiâ, & Malenâ,
Sordes abluit: ille mox jacentem
Mento canitiem manu remulſit,
Et ſic fatidico locutus ore eſt:
Ergò pollicitam benigna fata
Invenere viam, ſagax futuri
Quæ Proteus mihi cærulus ſolebat
Noſtris pandere gratus hoſpes antris?
Ergò jam genitus [2] beatus infans,

In-

1 Umbro nobile Hetruriæ flumen, de quo Rutilius in Itinerario, & Plinius lib. 3. cap. 5.

2 Idibus Feb. an. 1599. Senis in Hetruriâ natus; parentibus Flavio Chiſio & Laurâ Marſiliâ.

Infans Chiſiades, recens Hetruſcæ
Gentis delicium, decuſque Senæ
Expectatus adeſt? adeſt petitus?
Sic eſt: prodigio rigentis anni
Venturæ manifeſta ſigna ſortis
Solvunt ambiguam timore mentem.
O felix nimis! ô beata tellus!
Nullis urbibus, & ſecunda nullis
Tanto cive futura Sena terris!
Felix Chiſiadum domus parentum!
Summorum genitrix domus virorum!
Quamvis imperio maris potentes
Portus Herculeos, [3] Coſæ ruinis
Vicinos Lepidi fugâ notatæ;
Et quondam moderata [4] Macereti
Arces turrigeras, genus vetuſtum
Jactes nobilium Ranutiorum.
Quamvis perpetuum decus nepotum,
Illuſtres animas, pioſque Janos
Tuſci nobile germen Iliceti;
Auguſtos celebres amore vatum,
Anſelmos, Marioſque, Flavioſque
Armis conſpicuos, togâ verendos:
Jactes & columen Jugis avitis,
Et Stellis jubar additum coruſcis
Quercum robore [5] Julio ſuperbam,

 Majo-

3 Petrus Bembus in Epiſtolis nomine Leonis X. Pont. Max. ſcriptis, *lib.7. epiſt.* 21.

4 Maceretum oppidum ditionis Senenſis, cujus quatuor abhinc ſæcula Dominus, Anſelmus Chiſius Frederico Cæſari militavit: nunc præter ruinas & balnea ſalutifera nihil de eo reliqui fecit vetuſtas.

5 Julius II. Pont. Max. Roboreæ gentis ſuæ inſignibus Chiſios donavit: ex quo tempore Quercum Montibus & Stellis adjecerunt.

Majorem tibi comparabit unus
Famam CHISIADES: & ille quondam
Inter ſemideos erit Latinos.
Poſtquam dulcibus expeditus ulnis
Matris Marſiliæ, ſolum paternum
Signabit pede jam timente falli,
Ingreſſus duce ſemitam fideli,
(Quam ſudoribus improbis madentem
Virtutis labor Herculi ſequendam
Monſtravit teneris adhuc in annis)
Tentabit ſubitò vireta [6] Cyrrhæ,
Et rupes Heliconias, & umbras
Doctæ Phocidos, Atticoſque lucos,
Et ſacros Academiæ receſſus.
Cùm luſtris adoleverit duobus,
Ingens ingenii ſagacis ardor
Ætatem culicis Maroniani
Ictu fulminis ocior triſulci,
Undâ fluminis ocior citati,
Prævertet, memorique digna cedro
Vates carmina finget, & ſeveræ
Maturus ſapientiæ ſatelles
Diſcet [7] Socraticas puellus artes.
Multum Phillyridæ datus magiſtro
Pelides, & Olympicæ quadrigæ
Debent plauſibus, & citantis axem
Aurigæ ſtimulis: at ille ſolo
Nativi celer impetu caloris
Fontes ſponte ſuâ petet beatos

Pulcra-

6 Domeſticis uſus præceptoribus in Poëſi & politioribus literis.

7 Duodecim annos natus, intra privatos parietes Philoſophicas theſes defendit.

Pulcrarum cupidus ſcientiarum.
At mox Palladias valere [8] curas
Longis excubiis, & ægra doctis
Muſarum ſtudiis ſalus jubebit.
Sic quæ divitis Indiæ potentes
Theſauros rapit, ac latus ſiniſtrum
Præbet continuis ſali procellis,
Ventorumque minis, nec ulla vitat
Audax naviſragi pericla ponti,
Tandem mergitur, aut fatiſcit alnus
Silvæ filia nobilis vetuſtæ;
Securis niſi portubus potita
Quaſſatum reparet quiete malum.
Tum poſt otia lætiore curſu
Ipſos auſa volare præter Euros
Ad noſtras peregrina dona ripas
Soſpes devehit ultimis ab oris.
Quare viribus integer receptis,
Sancto pectora concitatus œſtro
Viſet limina [9] conſecrata Verbo
Clauſo Virgineæ Parentis alvo,
Picenis ubi collibus reſedit
Laureti domus, Adriæ per undas
Illuc vecta, piis onus catervis
Cœleſtûm ſubeuntibus Quiritûm.
Jam nunc impatiens latêre, clauſus
Privato lare, publicas palæſtras
Stagiræ, [10] cathedraſque, porticuſque,

8 Proximè ſequentibus duobus annis vacare cogitur à ſtudiis, ſtomachi imbecillitate laborans: intereà recòlit Philoſophiæ humaniorumque literarum diſciplinas.

9 Decimo ſexto ætatis anno voti reus Lauretanum iter ſuſcepit.

10 Viginti annos natus, & expleto ſtudii quinquennio, Senis publicas Philoſophiæ theſes proponit & defendit.

Et ſacraria maximi Platonis
Sublimis vigor ingenI requiret.
Hîc quicquid polus ambitu ſereno,
Et tellus gremio, Thetis profundo,
Et natura ſinu fovet capaci,
Argutæ rationis in ſtaterâ
Scrutatum penitùs, magiſtra recti
Auguſtis penetralibus clientem
Admittet [11] Themis, imperIque formam
Et decreta docebit æqua legum.
Seu quæ Cecropiis Solon Athenis,
Et Spartæ rigidus tulit Lycurgus,
Seu juſtus Numa gentibus Latinis,
Et bis ſex tabulæ Decemvirorum:
Seu quæ Romuleæ verendus Urbis
Antiſtes dedit, inclytuſque Cæſar
Immenſi dominator altus orbis.
Hinc deſiderii ferente pennâ
Alto certiùs Icari volatu
Pernicem rapiet ſub aſtra mentem
Divinæ Sophiæ [12] ſagax Aquinas,
Et velata fides, & alma cæli
Majeſtas ſuperas recludet arces,
Et ſeſe dabit, ac Deum videndum,
Et puram ſine nube veritatem.
Tandem [13] promeritos virente crines
Serto triplicis impedire lauri
Certabunt Themis, & ſevera Pallas,

Et

11 Unum & viginti annos natus, publicas de jure civili theſes tuetur.

12 Septem & viginti annos natus, de universâ Theologiâ publicè Senis diſputat.

13 Anno 1623. 6. Septembris Philoſophiæ; 14. Septembris eodem anno Juriſprudentiæ; 1626. 6. Septembris Theologiæ Doctor renuntiatus fuit ſummâ omnium approbatione.

Et de Numine diſſerens ſupremo
Cæleſtis ſapientiæ facultas.
Sic donis [14] ſibi debitis potitus
Magnarum novus artium Senator
Auguſtum patriæ reget Lyceum.
Mox Senâ procul impiger relictâ,
Qualis fulva Jovis Tonantis ales
Nido migrat, & experitur aſtris
Dignam teſtibus indolem parentis,
Antiquæ cupiet theatra [15] Romæ,
Et mundi dominos videre colles.
O quæ gloria! quanta ſurget illic
Claro Chiſiadæ ſeges laborum!
Nobis tanta nefas canendo famæ
Incrementa ſequi, vetante Proteo,
Quæ cautus monuit tacenda vates.
Et jam me ſoliti vocant labores,
Et vos, Naïades citant liquores.
Hæc Nymphis pater elocutus Umbro,
Tuſcorum decus amnium, tumenti
Seſe ſpumeus alveo recondit.
Tum lævo tonuit ter axe cæli
Fatis addere viſus auſpicatis
Dextram Juppiter approbationem.
Quali murmure ſiderum frementûm
Tuſcus ſæpe ſuam probavit artem
Dilectus ſuperis Tages aruſpex.
Nec præſagia poſteris in annis
Veri certa fides Deûm fefellit.
Dum nos grandibus æmulos Poëtis

14 Eodem anno 1626. trium facultatum Collegio adſcribitur.
15 Anno 1626. 10. Decembris Romam venit.

Muſarum Juvenilium labores
Miramur, Lyricique vatis auram,
Et dignum tragico pedem cothurno.
Seu primo ceciniſſe doctus ævo
Pompeii lacrimabilem peremti
Fortunam, Pharii ſcelus Canopi
Damnavit pius, ac truces Achillæ
Perjuri furias, miſertus æquam
Ingentis Generi labare cauſam,
Quæ ſit victa licet, Catone magno,
Et ſe vindice non tuetur uno.
Seu juſti nimis impotens doloris
Letum nobile, Martiamque dextram
Luxit Marſilii gemente plectro,
Dum fortis cadit hoſtium ruentûm
Inter funera, prodiguſque vitæ
Pulcro ſanguine decolorat æquor.
Seu notum Canis æſtuantis aſtro
Trituræ genus & modos Hetruſcæ
Cantavit, Cereriſque ſerta lauro
Vates nexuit, & ſiticuloſam
Æſtatem Clariis rigavit undis.
O rus, ô nemus, ô beata Tempe!
Villæ, jugera dulcis [16] Ancarani,
Jucundis loca Tuſculi viretis,
Udo Tybure, Formiis amœnis,
Et blandis mage delicata Baiis,
Vicinæ nimis invidenda Senæ!
Vitavit quoties negotioſæ
Urbis mœnia, carminumque fetus

Fron-

16 Ancaranum Chiſiorum villa amœniſſima non procul ab urbe Senarum, opportunus Muſarum ſeceſſus, ubi admodum adoleſcens Pompeium Tragœdiam ſcripſit.

Frondoſis ibi CHISIUS ſub umbris
Obſtetricibus edidit Camœnis!
At quis ſufficiat referre plauſus,
Famæ præmia, publicaſque laudes,
Quas docti tulit ingenI ? paterno
Deſerto lare, cùm profectus omnem
Ignoto rapuit ſtupore Romam
Præſens CHISIADES, & eloquente
Cantu plus vice ſimplici moratus
Oblitum Tiberim viæ prioris,
Alcides novus aureis catenis
Tuſcorum ſimul Auſonumque Suadæ,
Sacro murice nobilem Senatum,
Et ſubſellia traxit alta Vatum,
Vocalis quibus Humor Hippocrenes
Largæ nomina fecit apta venæ.
Idem Sulpitios, & Ulpianos,
Et Paullos imitatus, & Catones,
Cùm reſponſa dedit, fori querelas
Expertus tetricas, graveſque cauſas
Oravit, Latiæ [17] datus ſacerdos
Aſtrææ, veterum patêre legum
Nodos difficiles, & involutos
Laudavit Themis; & Rigor ſeverus,
Et Juris comites Fides, & Æquum,
Et Fas, judicis aut ſui patroni
Stiparunt latus; integramque dextram
Fugerunt avidi Cupido lucri,
Turpes Inſidiæ, malæque Lites,
Et Fraus, & faciles emi Favores.

Q 5 Sic

17 Anno 1629. menſe Januario, utriuſque, quam vocant, Signaturæ factus eſt Referendarius.

Sic poſtquam teneris adulta virtus
Annis CHISIADÆ dedit futuris
Omen laudibus, arduiſque curis
Præluſit gravium negotiorum
Aſtrææ ſtudiis, & arte Phœbi,
Turritum caput altiùs levavit
Septem collibus, & favente nutu
Lætis plaudere viſa Roma fatis,
Nec mœſtas Cremeræ tumentis undas,
Nec Veios meminit dolens, & unò
Felices FABIO vocavit Idus
Fatalem FABIIS [18] diem trecentis.

JANICULUS.

De Villâ Hieronymi Farneſii, S. R. E. Cardinalis, ſitâ ad portam Aureliam, Romæ.

QUamvis Janiculum vocent, nec inter
Septem mî juga dent locum Quirites,
Clarus non ideò minùs ſepulcro
Et Jani patris & Numæ, propinquum
Tollo nubibus arduis cacumen.
Vel Farneſia villa (quam remoti
Proſpectus maris, & ſalubre cælum,
Et felix ſitus, & loci vetuſtas,
Et vultus domini beat, decuſque
Ingens Patribus additi Latinis)
Tantos dat mihi ſpiritus, ut ipſa

Tali

18 Idib. Feb. ſex & trecenti ex Fabiis Veienti prælio interemti. *Ovid. l.* 11. *Faſt.*

Tali munere lætus aſtra ſummo
Tangam vertice, Romuloſque colles
Noſtris deſpiciam jugis minores,
Et rerum Dominam ſuperbus Urbem.

DONUM NATALITIUM
ALEXANDRO VII. P. O. M.

Idibus Februariis, Anno M. DC. LXI.
oblatum.

Mos inde à veteri receptus ævo,
Ut natalitio die clientes
Ultro muneribus colant Patronos.
Proin, quando niveo notanda ſigno
Natales tibi lux reducit Idus,
Suetâ, MAGNE PARENS, benignitate
Donum, oro, famuli tui puſillum,
Chartas accipias; quibus levamen
Quæratur gravibus ſubinde curis.
Hinc ſacros releges pius libellos;
Et res Iſacidûm Patrum, Ducumque,
Et Regum memoranda facta, & arma
Eductamque Deo ſub aſtra molem:
Illinc Auſtriadûm videre vultus
Spirantes Procerumque, Cæſarumque
Heroaſque juvabit intueri,
Muſarum columen, decuſque Martis;
Sollers quæ manus, ingenIque mira
Virtus mollibus edidit figuris.
At feſtam referente ſole lucem,
Latè porticus alta Vaticanam

Amplectentibus aream columnis;
Et navalia, templa, portæ & ædes,
Et fontes ſalientibus rigantes
Urbem, perpetuis viis patentem,
Doctâ forſitan offerentur arte
Æri inciſa Tibi: ſed illa quantò
Mox expreſſa perenniùs canoris
Vatum carminibus, per ora vulgi
Laudes uſque tuas ferent, ab ortu
Primo ſolis ad ultimum cubile?

AD
BERNARDUM ROTTENDORFF

Archiatrum Monaſterienſem, de inſulſiſſimis Conradi Biermanni verſibus dono miſſis.

NUper quòd mihi peſſimi poëtæ
Scabros, illepidos, & invenuſtos
Mîſti verſiculos, amice, dignas
Tali munere gratias habemus,
Rottendorffe, tibi, novem Sororum
Et Phœbi decus: hæc enim venena
Guſtanti ſtomachus repentè motus;
Tuſſis quando levem minata febrim
Quaſſabat latus, & caput gravedo
Torquebat, ſimul expulit nocentes
Morbi relliquias prioris omnes.
Aſt ut carmina peſſimi poëtæ
Sic mî reddere viſa ſint ſalutem,
Tu poſthac cave, ne modi remittas

Hujus

Hujus munera, peſtilentiora
Morbis omnibus, omnibus venenis.
Contrà ſi facies, ſcias neceſſe eſt,
Actutùm piperi togam datura,
Aut nidum tineis araneiſque,
Aut pœnam ſubitura, quam Catullo
Pleni ruris & infacetiarum
Annales Voluſi dedêre vatis.

DE
MOPSO FIDISSIMO CANE
mortuo.

MOpſus hîc jaceo, canis venuſtus
Longis auriculis, & ore pando,
Cuſtos aſſiduus domi foriſque
Noſtri Principis, & comes fidelis:
Equo ſeu fuit ire, ſive curru,
Seu tritâ pedibus viâ voluptas.
Hinc me carior haud erat; nec alter
Poſthac eſt aliis futurus annis
Me carus magis, aut magis peritus
Blandiri Domino; & ſagax natantes
Venari medias aves per undas;
Gyros carpere, & exilire in altum,
Et greſſus glomerare tàm ſuperbos,
Quàm non ullus equum docet magiſter.
Nunc fractum ſenio peremit ætas,
Et grati pietas Heri peremptum
Urnâ compoſuit. Sed atra tantum
Functo mors mihi non dolet, dolenti

Quan-

Quanto, quod domino, mei reliqui
Heu! deſiderium, mihi dolori eſt.

AD

JOANNEM VVISSE

Attendorienſem, è Societate Jeſu,

In Academia Paderbornenſi SS. Theologiæ Doctorem, Gallinam & duos ſerpentes eodem in nido ovis incubantes, prope villam Collinam in Diœceſi Paderbornenſi An. M. DC. LXVIII. *hoc extemporali epigrammate deſcribentem.*

JUxta humilem gallina caſam malè provida, putri
  Urticas inter nidificarat humo.
En coluber geminus cæco prolapſus ab antro,
  Ova ſuper multo lubricus orbe cubat.
Nil trepidat gallina; duos ſuper incubat angues,
  Officii mater gnava tenaxque ſui.
Nec ceſſat coluber; ſub plumâ matris & ungue,
  Quod neuter peperit, fotus uterque fovet,
Et facit ambiguam foto de ſemine litem,
  Sit pullus colubri, ſitne futurus, avis.
Femina decîdit litem, non ore, nec enſe;
  At ſude vipereum comminuendo caput.
Pythonem jaculis armatus ſtravit Apollo,
  Occidit colubros Bructera Nympha duos.

Reſponſum Auctoris.

EN pro verſiculis tuis, amice,
Unâ qui ſimul incubatione

In-

Inviſâ priùs ova confoventes,
Gallinam, & geminos canunt colubros,
Iratæ ſude villicæ peremptos;
Inſignes tibi mittimus rubenti
Cancros tergore, brachiiſque curvis,
Villæ munera; nec minùs precamur,
Illorum dape lætus ut fruaris,
Et, te judice, delicatiori
Sic omnes ſuperent ſapore piſces;
Ut, me judice, carminum tuorum
Binus munere conſecratus anguis
Immortalibus uſque & uſque ſæclis,
Pythonem ſuper, & laborioſi
Alcidæ celebrem levatus Hydram,
Inter ſidereos micabit ignes.

IN
REGIAM PARISIENSEM
LUDOVICI XIV.

Galliarum & Navarræ Regis Chriſtianiſſimi opus admirandum.

GRandibus & terras permenſus & alta triumphis
Æquora, ceu radiis Cynthius aſtra ſuis,
Hanc pacis ſtudiis ingens LUDOVICUS & armis
REGALEM mirâ condidit arte DOMUM.
Quæ ſplendore licet referant, & vertice pulſent
Sidera, ſunt Domino tecta minora ſuo.

AD

AD
CLEMENTEM X. P. O. M.

Octogeſimo ætatis anno, paucis ante CLEMENTIS IX. *Pontif. mortem diebus, Cardinalem, ac proximis inde Comitiis Vaticanis ſummum Pontificem renuntiatum, An.* M. DC. LXX. III. *Cal. Maii.*

EUCHARISTICON.

Cùm Gulielmum Lib. Baronem de Furſtenberg, fratrem, Præpoſitum Monaſterienſem, Chorepiſcopum Trevirenſem, Canonicum Salisburgenſem & Paderbornenſem, exemplo ALEXANDRI VII. & CLEMENTIS IX. *PP. intimum ſuum cubicularium ultrò renuntiaſſet.*

CLEMENS, optime Romuli nepotum,
Princeps & patriæ parens, & orbis,
Quando muneribus tuis rependam
Grates, quas ego debeo perennes
In me tot meritis tuis, meuſque
Mecum debet, & uſque debiturum
Frater ſe meritis tuis fatetur?
Sed dignas prohibet referre grates
Ingens copia munerum tuorum.
Ergò quæ pietas amorque dictat,
Et blando recipit benigna vultu
Majeſtas tua, pro tuâ ſalute,
Nec non imperio tuo precantes,

Votis

Votis nectimus auſpicata vota;
Ut Te nemo diutiùs Quiritum,
Doctrinâ, ingenioque, moribusque
Dignis murice, debuit mereri
Serum Purpurei decus Senatûs,
Et nemo citiùſque, digniùſque eſt
Summis Orbis honoribus potitus;
Sic Te nemo diutiùs Quiritum,
Summis Orbis honoribus fruatur.

AD
MATTHIAM NALDUM,
ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX.
MEDICUM INTIMUM,

Aphoriſmos Hippocratis notis illuſtratos, Flavio Chiſio S. R. E. Card. eminentiſſimo dedicantem.

PHœbi ſacrarum præſidis Camœnarum
Artiſque, morbos quæ domare ceſſantes
Potens medelis, & ſalubribus ſuccis,
Secanda profert ſæpe fila Parcarum,
Decus perenne, maximoque ALEXANDRO
Dignus Machaon, quid moraris in dias
Emittere auras luminis, ſenis Coï
Divina, Nalde, ſcita? quæ dies longa,
Et imperita turba plurimis mendis
Opplerat, hactenuſque noverant pauci:
At mox, favente Delio, tuis curis

Deterſa, doctrinæque luce perfuſa
Legentur, & quà Sol renatus Eöo
Surgit cubili, quàque conditur fluctu.
Quare ſecundo munus inclytum plauſu
Volare docta per virûm ſinas ora
Latè, benigno, Nalde, FLAVII tutum
Favore, nuper arte qui tuâ, multâ
Cum laude, rebus reſtitutus Urbanis,
Regnique curis, publicæque terrarum
Felicitati, PATRUOQUE ſervatus
Excipiet, uſque muneris memor tanti,
Tui ſereno lumine ingenI fetum:
Ejuſque ſidere actus invidus livor,
Et Zoïlorum turba cedet, ut nubes
Fugit coruſci pulſa Solis aſpectu,
Pontique ſævientis atra tempeſtas,
Simul refulſit alba ſtella Pollucis.

A D

JACOBUM PHILIPPUM NINIUM,

ALEXANDRI VII. PONT. OPT. MAX.

Cubicularium intimum, & ſupplicibus libellis præpoſitum.

NINI meorum lecte flos amicorum,
Cui melle Hyblæo dulcius fluit puræ
Orationis nectar ore facundo,
Rerum potenti cùm refers ALEXANDRO

Ne-

Negotioſa ſupplicantium vota.
Humanitatis ſæpius tuæ fructum
Expertus, oro, teque rurſus obteſtor;
Ociùs amici ſupplices preces noſtri
Recites. Quiritum namque fata formidans,
Acerba fata, ſoſpes ad ſuos Boios
Avet redire, carbaſiſque remiſque
Fugæ ſecundos provocantibus ventos,
Per arva latè vectus alta Neptuni
Adire litus hoſpitale Gallorum.
At Vaticanæ dona nunc poteſtatis,
Cui paret æther, inferique, telluſque,
Tantùm requirit. Impios canis prægnans,
Parræque cantus, montibuſque decurrens
Lupa Lanuvinis, imbriumque divina
Avis imminentûm terreat: quid huic obſtet,
Iterque rumpat? ſi, quod unicè poſcit,
Curſus precetur proſperos ALEXANDER.

AD NATALEM RONDININUM. JOCUS.

QUod utrique noſtrûm commodavit argentum
Ad veſtiendum Græculum Favoritus,
Cur Rondinine debuiſſe me ſolum
Reglutinare judicas, minùs rectè
In me retorquens negligentiæ culpam?
Debere nulli me libentiùs novit
Idem ille, ſemper qui mihi Favoritus

Facit benignè, mutuæ voluntatis
Fideique certus uſquequaque conſtantis.
Ne creditoris ergò debitor partes
Agas, amice, non rogatus obteſtor;
Quin ipſe cures, ut bonum ſies nomen,
Fidemque ſemper æmulêre Germanam.

IN AUCTOREM

inepti epigrammatis, in Auguſtinum Favoritum ſcripti, quo ultimam ſyllabam & ALIPES, *de Pegaſo loquens, corripuit.*

INſulſe vates, quid (malùm) Favorito,
Muſarum ocello, quem volare Parnaſſi
Utroque tutum ſuſpicit jugo Phœbus,
Caſum ominaris, Icarique fortunam?
Potiùs timendum eſt peſſimo Poëtarum
Tibi, per caputque pedeſque ne ruas præceps,
Ut Lampſacenus ille, monte Pimplæo;
Pœnaſque dignas ALIPES Meduſæus
Centum repoſcat calcibus, quòd extremo
Pede immerentem claudicare feciſti.

AUGUSTINI FAVORITI

Reſponſum.

QUòd uſque ab Adriatico in Favoritum
Adunca torvus cornua, ac truces armat
Dentes Poëta peſſimus Poëtarum,

In

In immerentem ſæviens & ignotum,
Ignotus ipſe; vapulare, FERNANDE,
Fortaſſe meruit: Pegaſum quòd offendit,
Haud jure vatem criminaris; in toto
Nil ille fecit elegantius libro:
Pes namque claudus Pegaſi, ut tuâ fecit
Tam dulce carmen proſiliret è venâ.

AD
ALEXANDRUM VVILTHEMIUM, LUXENBURGENSEM,
E SOCIETATE JESU,

Auctori de ſuis & adoptivis poëmatibus editis hoc carmine gratulantem.

FERNANDE Princeps, clara PRINCIPIS MONTIS
Propago, Paderæ fontium ſacer Princeps,
Plaudente Phœbo laureâ coronatus
Veterum redûcis gloriam Camœnarum.
Si ludis elegos, Naſo ſæculi noſtri es,
Hoc ampliùs, quòd purior Tibi vena.
Si fidibus apta, barbitove depromis,
Horatianæ provocas lyræ plectra.
Si nemora rapto Daphnidi parentare
Doces avenâ præficâ querelarum,
Tibi Poëta Mantuanus aſſurgit.
Idem ipſe quidquid uſpiam meret Pindo
Vatum bonorum, Wallios, Favoritos,
Gradios, Maſenos, Torckioſque, Pollinoſque,

Et Rondininos, quotquot & brevi verſu
Memorare longum eſt, inſeris tuum in nomen,
Quoſque peperêre mentis inclytæ fetus,
Legis in familiam, & nuncupas ADOPTIVOS;
Te jure PATREM dixerim POETARUM.

Reſponſum auctoris.

SI dignitatem, ſi meretur hoc nomen,
Poëta Princeps, principum Poëtarum
Cultor vocari dignior, Tibi grates
Multâ rependit cum ſalute, WILTHEMI,
Muſis amicus quòd ſuis, ADOPTANTEM
Præclara Vatum dona, ſe POETARUM
PATREM vocaſti. Tute veriùs dici
Omnis Leporis, omnium Venuſtatum,
Antiquitatis omnis atque Doctrinæ
Pater mereris, qui tot editis libris,
Mirâ refertis elegantiâ libris,
Plauſu ſecundo per virûm volans ora,
Aſſeris Olympo, fortis exitu vitæ,
Pietate, regno nobiles Dagobertos;
Et Maximini facta, maximus ſcriptor,
Perennitate digna Præſulum facta,
Cælata longâ nocte, conſecras Famæ:
Meritò vocandus PATRIÆ PATER; vitam
Dias in oras luminis, ſepultorum
Oblivione lividæ vetuſtatis,
Patriæ piorum dum reducis Heroum.

ALE-

ALEXANDRO VII.

PONT. OPT. MAX.

Calendis Januariis An. M. DC. LXVI. *felicitatem precatur.*

CUr Muſa longo deſides ſilentio,
Aurata quondam docta fila tangere
Citharæ loquacis? quin Alexandro novis
Jani Calendis dona depromis nova;
Aut digna Majeſtate ſi tantâ nequis
Afferre, vota nuncupans ſollemnia
Pro re Latinâ, proque gente Chiſiâ,
Quot vere flores educat Favonius,
Æſtate ariſtas flava quot numerat Ceres,
Autumnus & quot pingit uvas purpurâ,
Frondes quot altis decutit ſilvis hiems,
Felicitatis tot precare Maximo
Donis refertos vehat Alexandro dies,
NUMERIS HIC [1] ANNUS ABSOLUTUS OMNIBUS.

1 Omnes literæ numerales, quotquot ſunt in Alphabeto Latino, ordine in his M. DC. LXVI. exhibentur.

AD
FABIUM CHISIUM

Epiſcopum Neritonenſem, INNOCENTII X. *Pont. Opt. Max. cum poteſtate Legati de latere Nuntium, & Pacis inter Europæ Principes conciliandæ Mediatorem, Monaſterii Weſtphalorum, cùm auctor illic per æſtatem ageret, An.* M. DC. XLVI.

FABI, ſiniſtro jam nimiùm diu
Depræliantûm Numine Principum
Delecte pacator, ſuumque
Orbis in exitium ruentis
Spes fida, nec non Palladis, ac novem
Decus Sororum, perge tuis, precor,
Suadere Muſis, aureamque
Exilio revocare Pacem.
Gaudent amoris fœdere mutui
Pax & Camœnæ. Tuta placet quies
Utriſque, nullo claſſicorum
Rupta ſono, tonitruque belli;
Et quæ ſacrarum Cecropis arcium
Regina claris præſidet artibus,
Utrimque communes olivæ
Vendicat ingenioſa Pallas
Cum Pace ramos. Tam bene convenit
Cum Pace doctis Vatibus, & Tibi,
Quem prima fulgentis metalli
Sæcla jubet renovare Pacis

Co-

COLUMBA [1] miti germine Palladis;
Quem ſigna QUERCUS inclyta CHISIÆ
Ramis decuſſatim ligatis
Vincla monent reparare Pacis.
Quin ergo noſtris finibus ad Getas
Martem repellis: nam Deus omnibus
In nos obarmavit nocendi
Artibus, inſidiiſque Martem,
Lethumque, & atris Eſuriem genis:
Et ponè ſciſſis Tiſiphonen comis
Subire juſſit, cladibuſque
Innumeris cumulare clades.
Non antè Virtus oppida, non agros
Cornu reviſet Copia divite,
Non antè Strages, & Malorum
Mille procul fugient catervæ.
Quis pace gaudet ſanguine civium?
Quis pace luget militiæ gravis
Tributa? vicorumque mœſtis
Funeribus, viduiſque campis
Illacrymatur? nec potiùs mero,
Cantuque curas & fide Teïâ
Sub hoſpitali fallit umbrâ,
Quà vitreæ fuga ludit undæ,
Aut quà jocoſis lenè Favoniis
Impulſa quercus garrula proximam
Quercum ſalutat, ſub virenti
Triſtitiam tumulat ſepulcro?
Tunc læta culmis arva feracibus
Stipata rumpunt horrea frugibus,
Noſtrâque mercator Batavus
Meſſe ſuas onerat carinas.

1 Inſigne domus Pamphiliæ, ex qua ortus Innocentius X.

Tunc uva certat plurima purpuræ,
Pomiſque vinctus tempora mitibus
Autumnus, ad plenum beatas
Fundit opes avidis colonis.

AD

AMICOS GERMANOS

in Italiam Bonnâ proficiſcens, An. M. DC. LII. *ineunte Aprili.*

IMus in Auſoniam: preſſis jam pugnat habenis,
Iterque læto poſcit hinnitu fremens
Cyllarus, impatienſque moræ pede ſpargit arenam,
Prætervolare geſtit & curſu Notos,
Imus, & aſſueti Dircæo ſidera cygno,
Phœbique ſacrum Pegaſo vecti nemus
Viſere, jam mediis inſertas nubibus Alpes,
Quà fabuloſam ſtravit Alcides viam,
Aut, quà Pœnorum ductor juga rupit aceto,
Flammiſque cautes torridas ferro ſcidit,
Scandemus celeres; nec poſt diſcrimina terræ,
Tumultuoſos Adriæ fluctus maris
Securi Venetâ metuemus frangere cymbâ,
Delphine Arion ſi natat tutus ſuo.
Nunc igitur dilecta domus, Fratreſque, Sororeſque,
Et vos, Nepotes, dulcis ætatis roſa,
Fürſtenbergiacæ memores virtutis Iüli,
Valete, noſtri generis optatum jubar.
Vivite cæleſtes animæ, meliore metallo
Certam trahentes ſæculi primi notam,

Quas

Quas amor, & Muſæ doctâ cum Pallade nobis
Conſtante ſemper alligaverunt fide.
[1] Velde vale, primùm quô noſtra Thalia magiſtrô
Libare fontes auſa Caſtalios fuit,
Hiſtoriæ Vatumque decus, Suadæque Latinæ;
Et qui, Camœnis pariter ac carus mihi,
Me juvenem teneris curâ complexus ab annis,
[2] Höninge fidâ, doctus ut Chiron, manu
Duxiſti, Patrui quò per veſtigia Virtus
Domûs avitæ gloriam ſequi jubet.
Te quoque [3] Veckeni, præclarum Scaldis alumnum,
Noſtroque lumen mutuum Rheno datum
Doctrinæ, Sophiæque, ſacer quam tradit Aquinas:
Et te [4] Maſeni, magna Pindi gloria,
Amplector; dextramque tuam [5] Crumbache, tuamque
Longum, [6] Geleni, ſtringo dicturus vale.
Sed [7] Mallincrodios, & te ſuaviſſime [8] Torcki,
Et utrâque Phœbi laude [9] Rottendorffios
Præſtantes, ævi clariſſima lumina noſtri,
Amor ſalutis noſter abſentes colit
Eminus obſequio. Nec te, [10] Bollande, diſertum
Antiquitatis ſanctioris Livium
Præterit, aut numeroſè tuas, [11] Baldæe, Camœnas,
Vatemque veris floridum [12] Biſſelium.
Omnibus impertit, quæ baſia debet, amicis
Gaudere juſſis & valere longiùs.

Sed

1 Joannes Velde S. J. 2 Fridericus Höning Ordinis Præmonſtratenſis Canonicus. 3 Franciſcus van der Vecken S. J. 4 Jacobus Maſen S. J. 5 Hermannus Crumbach S. J. 6. Ægidius Gelenius. 7 Bernardus Mallincrodius Decanus Monaſterienſis. 8 Joannes Rotgerus Torckius Canonicus Monaſter. 9 Bernardus Rottendorffius archiater Monaſterienſis. 10 Joannes Bollandus S. J. 11 Jacobus Balde S. J. 12 Joannes Biſſelius S. J.

Sed me tam caros linquentem Roma ſodales
  Communis Orbis univerſi Civitas
Allicit, & Latiæ rapiunt miracula terræ;
  Seu quæ vetuſta, ſeu recens ætas tulit.
Jam Paderæ Tybrim, jam ſeptem præfero colles
  Angariorum montium cacumini.
Jam mea [13] Bilſtenias fugio cunabula rupes;
  Et, qui propinquo mons Caballinus jugo
Surgit, & accipitres pernicibus educat alis
  Certare doctos ardeis Britannicis.
Præcipuè commendat iter mihi gratia præſens,
  Et purpurati CHISII recens honos;
Qui moviſſe potens vel avitas carmine quercus
  Facundus Orpheus Nos in Auſoniam trahit.

AD
ALEXANDRUM
POLLINUM.

Ut poëmata ſua edat.

INgens Auſoniæ lumen, & Atticæ
Suadæ flos, & amor Palladis, & decus
    Noſtræ dulce Camœnæ,
      Nec non candidus arbiter:
Quid, POLLINE, latens jam nimiùm diu,
Cedro digna negas edere carmina,
    Et durus pater abdis
      Fetus divitis ingenI?

Non,

13 Bilſtenia arx Angariæ munitiſſima, dynaſtiæ cognominis, in altiſſima rupe ſita, in qua auctor horum Poëmatum an. 1626. 21. Octob. natus fuit, propinquum babet montem Caballinum, vulgò Roſſenberg nuncupatum.

Non, ut deliteas, te Deus aureâ
Donavit citharâ Delphicus, & ſui
Multâ parte Thalia
Verſus nectaris imbuit.
Ingratus metuat lædere numina,
Qui, quæ dona ſibi contulerint, premit.
Tu Parnaſſide lauro
Vinctus tempora, nobilem
Indulgens meritis ſume ſuperbiam,
Et te victor humo præpetibus leva
Pennis, & ſuper alta
Certus tendere nubila,
Ales ſideream carpe citus viam.
Paullùm deſidiæ diſtat inutili
Quæ demerſa profundis
Virtus in tenebris jacet.
Quis pugnata duci prælia Dardano,
Et Troiæ profugos in Latium Deos,
Quis ſurgentia noſſet
Urbis mœnia Romulæ,
Morem ſi rigidis imperiis gerens,
Flammis continuò Cæſar edacibus
Immortale Maronis
Commiſiſſet opus ſacri?
Verâ laude caret ſæpe modeſtiæ
Virtus, & vitio proximus eſt pudor,
Qui vitare perennis
Audet lumina gloriæ.
Quòd ſi purpureum ſpontè vides diem,
Formoſumque caput crinibus aureis
Altâ nocte ſepultis
Terris reddere Delium,

Cur

Cur te perpetuæ noctis amor tenet,
Fruſtrantem cupidas Romulidûm preces,
Et ſpes? plena ſecundis
Tandem pande Favoniis
Famæ vela tuæ, finibus Italis
Qui porrecta domum Solis ad ultimam, &
Septem regna Trionum
Latè nomina proferant.
Mox de Pierio carmine nobilem
Dignis poſteritas tollet honoribus,
Magnorumque beatis
Vatum cœtibus inſeret.

A D
STEPHANUM GRADIUM
A B B A T E M.

Ut cum Muſis in gratiam redeat, ſuadenti obſequitur, & delibatis Fabii Chiſii Card. laudibus, ad bellum ſacrum Europæ Principes hortatur.

SIc tibi ſint faciles Muſæ, ſic dexter Apollo
Sororibus cum Gratiis
Adſit, & attentis bibat auribus, optime poſcis
Quæ ſupplici GRADI prece:
Ut mihi flexanimo permotam carmine mentem
Alti tenacem conſilI
Expugnas. Juvat ire jugis, juvat uſque relictum
Luſtrare Muſarum nemus,
Et virides hederâ rupes, & rupibus undas
Haurire manantes ſacris.

Sentit

Sentit enim Phœbi ſtimulos, & pectus anhelat
Calore ſuccenſum tuo.
Non tamen heroos auſim tentare cothurnos,
Magnique laudes Chisii
Deterere ingenii culpâ. Quis namque canendo
Æquare virtutes queat?
Quis Melitæ curas, aut fortia facta Paduſæ,
Quis alta Romæ munera?
Nemo difficiles pacis, mihi crede, labores
Cantare digniùs poteſt
Ipſo Chisiade; ſeu ferrea Martis iniqui
Abominatus ſæcula
Luget, & undantem Germano ſanguine Rhenum,
Et arma damnat impia:
Seu conjuratas Bellonæ juſtiùs iras
In terga verti barbara
Imperat, ac fido lacerari cornua ferro
Lunæ ſuperba Thraciæ.
Sed quæ veſanas agitat diſcordia gentes?
Quis mutuas cædes furor?
Quæ rabies? aut quæ dementia ſuadet amico
Emi cruore lauream?
Quis pudor Odryſii regnum fulcire Tyranni
Labentis Europæ malo,
Et, Venetas qui carpat opes, permittere Cretam
Scythæ premendam perfido?
Parcite civili jam tandem parcite bello:
Satis ruinas urbium
Flevimus, & ſparſos cognato ſanguine campos:
Datum ſatis diſcordiæ.
Parcite: vel ſi tantus amor vos Martis adurit,
Si tanta regnandi ſitis,

Mu-

Mutatis odiis Gallus conſpiret Ibero.
Hic nota per veſtigia
Regna petat Libyæ: Solymos magis ille triumphos
Virtutis antiquæ memor
Ambiat, & palmas latè frondentis Idumes
Victrice decerpat manu.
Ite alacres, ite ergò, mari date vela ſecundo
Devota pugnæ nobili,
Ite pii Reges: conjunctas fœdere dextras
Communis armet ultio,
Aut metus; incumbat propiùs ne barbarus hoſtis
Clarâ potitus inſulâ.
At nos, Germani proceres, jam pace receptâ
Ad arma ceſſantes nova
Iſter ad arma vocat, dudum indignantibus undis,
Qui Biſtonum preſſus jugo
Servit, & excidium nobis ac damna minatur
Extrema fortunæ gravis.
Quin igitur pulcrâ pro libertate ruentes
Vicina Budæ mœnia
Rumpimus, & vaſtus quà verberat oſtia Pontus,
Immugientem Boſporum
Addimus imperio, referentes ſigna ſuperbis
Derepta ByzantI tholis?
Tunc me cognatas acies, & nobile bellum
Gravi ſonantem barbito
Miratus, noſtras laudarit fortè Camœnas
Silente Rhenus alveo.
Tunc & Mœonio ſeu carmine nobilis arma,
Sive efferas pedeſtribus
Docte GRADI hiſtoriis, ingentia facta meorum
Seros docebis poſteros.

A D

A D
JOANNEM BAPTISTAM
Turricellium, Patavinum.

Ne popularibus rumoribus fidem habeat.

TU cui ſollertem rerum prudentia mentem
Formavit, & Phœbus pater
Fatidicos lucos Heliconis, & antra recluſit,
Amice, veri conſcia:
Quid bibulam dubiis donas rumoribus aurem?
Quid vana Romæ ſibila
Sollicitant animum pendentem murmure vulgi,
Ut ore doctoris puer?
Sive infanda ſonat convitia, ſive tumentes
Buccas reſolvit laudibus
Immodicis; famæ, moneo, ne crede loquaci,
Quam prævolant Calumniæ,
Inſidiæque ſequuntur, & artes mille nocendi,
Livorque lætis anxius,
Nec non Blanditiæ, corruptaque Gloria fuco,
Et emta vulgi Gratia.
Sint portenta hominum nigro ſuffuſa, veneno,
Et plena falſi pectora:
Qui, dum vipereâ fingant mendacia linguâ,
Seſe Poëtas æſtimant.
At ſatis exoriente die commenta patebunt,
Et virulenta ſomnia,
Aut evaneſcet rumor, qui crevit eundo;
Creſcente temporis morâ;

Qualis in Aſſyriam Gyndes exundat, & idem,
Cyro jubente, naufragum
Propter equum, latè centum diductus in amnes
Decreſcit ipſo ſe minor.
Ergò ſi populi ſermonibus exul amicus
Narratur aulâ, ne favor
Illum deſtituat, nè gratia vitrea frangi,
Timere non erit tuum
Ante fidem certam, primæ niſi credulus auræ
Dolere bis velis miſer.
Sic etiam vulgo ſi cuiquam teſte paratur
Latina fortè Purpura,
Seu Vaticanæ Sedis ſuprema poteſtas,
Sperare non erit tuum.
Ne fruſtrata gemat, ne votis uſa ſecundis
Mens gaudiorum præcoci
Germine decerpto, maturos perdat honores,
Et vana ſpem ludat ſeges
Lætitiæ. Expectare licet: dilata voluptas,
Ceu lenta veris gratia,
Plus juvat, & denſis placet eluctata tenebris,
Micanſque, ceu ſol, Veritas.

AD
FRANCISCUM MACEDO

Luſitanum, de morte Theodoſii Luſitaniæ Principis.

QUalis in Heſperii, Franciſce, cubilia Ponti
Emenſus aſtrorum vias

Præ-

Præcipitat Titan, mox fluctibus exit Eöis,
 Crinem repexus aureum,
Pulcrior, igniferoque diem vehit axe recentem,
 Et noctis umbras diſſipat:
Talis Theudoſius, dominantûm ſanguis avorum
 Utramque per ſolis domum,
Virtutumque paternarum non degener heres,
 Et grande Luſiadûm decus,
Occidit, & raptus primævæ flore juventæ
 Unà parentis arduas
Spes ſecat, & mœſtas damnat caligine gentes,
 Et regna divitis Tagi.
Nec mora: convexi ſurgit novus incola mundi,
 Pictoſque ſtellarum globos
Calcat, & immenſi tractus ſpeculatur Olympi,
 Incertus, an ſidus novum
Occupet Herculei radiantia terga Leonis?
 Æquamne libram Virginis?
An fratres Helenæ geminos? an Orionis ignes
 Accendat æmulâ face?
Sed titulos quæcunque tuos plaga lucida cæli,
 Quæcunque nomen ſidera
Accipient: certè patriis ſublimis ab aſtris,
 Auguſte Princeps, deſpicis
Sub pedibus nunc fata tuis, ſortemque tuorum,
 Et ſceptra curas regia,
Et, ſi certa fides, ſi veri doctus Apollo
 Vatum ſecundat omina,
Jam mixtus Superis calidâ prece Numinis iras
 Franges; & auri ſæcula
Prima Tago referes, (qui nunc malè decolor undas
 Cruore cognato trahit)

Et conſanguineos in mutua fœdera Reges,
   Amica pacis fœdera,
Reſtitues, ac bella procul (quà Boſporus audax
   Ignota committit freta)
Vertet ab Heſperiæ populis in cornua Lunæ,
   Votis tuis motus Deus.
Tunc repetet Solymas arces, & ſigna profanis
   Avulſa Thracum poſtibus
Romuleas latè victrix ſuſpendet ad aras
   Bellantis Europæ manus.
Hæc tua nunc pietas, &, adhuc dum vita manebat,
   Jurata promittit fides.

AD NATALEM RONDININUM.

De Philautiâ fugiendâ.

QUi ſua cœcus amat, ceu natos cercopithecus
   Amore veſano fovet,
Et necat amplexu, formam admiratus & ora
   Ridenda, viſu & turpia;
Audiat exemplum ſacri miſerabile vatis,
   Aurita qui Thracum potens
Saxa movere ſono, blandâ prece carminis ima
   Ditis refregit atria,
Non exorato portas adamante rigentes
   Ingreſſus: ut raptam ſibi
Eurydicen ſuperis Proſerpina redderet auris,
   Lyræ ſonantis præmium.
Reddita jam fuerat conjux, cùm ponè ſequentem
   Jurata contra fœdera,

Reſpi-

Reſpicit infelix Orpheus, & quam nimis ardet,
Amando perdit conjugem.
Triſtia Narciſſi quis funera neſcit, & ignes?
Quem fontis umbra lucidi,
Et ſterilis decepit amor, dum prendere vultus
Imo repercuſſos vado
Sollicitus, viſæ tabeſcit imagine formæ
Amator imprudens ſui.
Ergò cave, quiſquis ſimili veſanus amore,
Apollinari laureâ
Carmina digna putas, nugis quæ plena canoris,
Sed caſſa rebus parturis
Iratis Muſis. Tantum ſitis improba laudum
Suadere amat dementiæ.
Non eadem nobis es, RONDININE, monendus,
Ocelle gentis Italæ,
Noſter amor, qui jura licet divina piorum
Perfuſa doctrinâ Patrum,
Et Latii veteres, & Graiæ Palladis artes
Claudas capaci pectore;
Non ideò temet vanus miraris, ut ales
Superba Junonis ſolet
Pandere laudatæ gemmata volumina caudæ
Ad diſcoloris Iridis
Invidiam. Quin ipſe gravis tua carmina cenſor,
Linenda cedro carmina,
Exigis ad limam, non dedignatus amici
Senſum atque mentem exquirere
Ingenui: nec theta nigrum quandoque recuſas,
Aut pollicis verſi notam.
Sic Venuſinorum ſermonum candidus audit
Judex Tibullus, & ſuos

Naſoni ſolitus recitare Propertius ignes,
  Arbitrio illius ſtetit.
Sic & Apelleas Lyſippus ſæpe tabellas
  Colore vivo perlitas,
Signaque Lyſippi ſpirantia doctus Apelles
  Curâ recognovit pari.
Nempe minùs peccat, præbere fidelibus aurem
  Quicumque præceptis amat.
Nec metuit Bavios, qui ſeſe, judice recto,
  Caſtigat erroris reum.
Ingenium quicumque ſuum pluris facit æquo,
  Non æſtimandus poſteris,
Aut tineis epulas, aut ſcombris debet amictum,
  Ridenda vulgi fabula.

AD D.

GUILIELMUM FURSTENBERGIUM,

Fratrem ſuum, Canonicum Trevirenſem, Paderbornenſem & Monaſterienſem, Româ per Galliam, ubi Marſiliæ portu ob peſtilentiæ ſuſpicionem prohibitus, Telone ſuſceptus, & Lugduni gravi poſtmodùm morbo tentatus fuit, in Germaniam ad ſuos proficiſcentem, An. M. DC. LVI. *Non. Novemb.*

Ergone Tyrrhenum volitanti per mare puppi,
  Et impotentibus Notis
    Credulus, ire paras?

Nec

Nec fœdas hyemes, nec monſtra natantia ponto,
Nec ſaxa palles naufraga?
Quin etiam fidei
Immemor antè datæ, Romam fugis, atque ſodales,
Et fratris, ô vitâ mihi
Frater amabilior,
Deſeris amplexus votis tua vela ſequentis,
Ne ſævus illis Africus
Ingruat, aut Boreas.
Verùm age, quando fugæ certam jâm nulla morari
Mentem queunt ſuſpiria,
Oceanive minæ,
I felix, longùmque vale, celeremque carinam
Regant benigna ſidera
Fratribus unanimis
Tyndaridæ, pelagique potens Neptunus eunti
Irata componat freta,
Nereïdumque chorus
Adſit, & alma Thetis, dum ventis uſque ſecundis
Sparſas per æquor Stœchadas,
Phocaïcoſque ſinus
Attigeris. mora nulla: petas tunc ſoſpite curſu
Optamus urbem, quam celer
Alluit hinc Rhodanus,
Illinc lentus Arar. Sed quid præſaga futuri
Siniſtra fata mens timet?
Sit, precor, augurii
Vana fides, meritiſque tuis votiſque tuorum
Permota, ſpes Germaniæ
Numina reſpiciant.

Hinc infelici poſitas in rupe Gebennas
    Prætervolabis, & juga
        Plurima ſideribus

Proxima tranſgreſſus, deſcendes flumine Rheno
    Beata demum patriæ
        Arva videre tuæ,

Arva olim proavis regnata, & cæde Latinâ
    Conſperſa, quà Varus gravi
        Stratus ab hoſte jacet.

Quos ego nunc plauſus audire? quot oſcula caris
    Diviſa amicis, intimæ
        Quas videor lacrimas

Cernere lætitiæ teſtes? quæ gaudia fratrum
    Terrâ marique devium
        Fratris iter reducis,

Et res optantûm noſtras, Italûmque labores,
    Et facta ALEXANDRI inclyta
        Noſcere? quæ dubiis

Narrabis meliùs rumoribus, ipſe fidelis
    Spectator: ut pulsâ fame
        Finibus Auſoniæ,

Illius auſpiciis opulento Copia cornu
    Bearit urbes, & redux
        Frugibus arva Ceres:

Ut nunc conſiliis præſentibus, impiger Hydræ
    Qualis renaſcentis caput
        Amphitryoniades,

Infeſtam Latio peſtem premat inclytus Urbis
    Servator, hinc & patriæ
        Audiat uſque Pater:

Nec tamen has inter curas, terrâque marique
Cretæ laborantis piam
Mittere rebus opem
Ceſſet, & Europæ convertere bella furentis
In regna latè barbara
Thracis; & exitium.
Hæc & plura tuis memorans, nec vota ſilebis·
Romæ precantis jam diu
Egregio juveni
Virtutis patruæ veſtigia ſacra legenti,
Decus Latinæ Purpuræ,
Et meritos titulos.
Intacti ſiquidem mores; animuſque benignus,
Ac vena dives ingenI,
Cultaque Pieriis
Artibus, & Themidos ſtudiis; ac ſub lare ſancto
Nutrita mens; & indoles
Vivida CHISIADÆ
Spem faciunt, curas partito ac pondera mundi;
Longos ALEXANDRO fore
Et ſine nube dies.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum Poëmata Fürſtenbergica nunc iterum auctiora in lucem typis noſtris prodeant, benevole Lector, ipſa nos Monumenta Paderbornenſia, ejuſdem auctoris fetus perelegans, admonere quodammodo, & exigere videntur, ut quæ antehac fuerunt ſeorſum edita, jam unà cum his Poëmatis publicemus: Nam etſi horum Monumentorum inſcriptiones ex hiſtoria Romana, Francica, & Saxonica, ut vides, ſint contextæ, quia tamen earum argumentum verſu conveſtitur, &, Hiſtoriam à Poëticâ non multùm diſtare, ſed hæc duo gemina affiniaque eſſe, ac ſolo propemodum rhythmo inter ſe diſcrepare, *ſentit Floridotus apud Agathiam nobilem hiſtoricum, par eſſe duximus præſenti Poëmatum libello illas annectere. Quodſi verò adjectæ inſcriptionibus notæ, ob brevitatem fortè obſcuræ, ac nimis jejunæ tibi videantur, eruditiſſimum auctoris commentarium conſulas velim, quo jam denuò ſeparatim à nobis edito, Monumenta Paderbornenſia illuſtravit, nec patriæ antiquitatis, quàm gloriæ ſuæ perennius exegit monumentum. Vale.*

ALISO ROMANUS.

MEMORIÆ. SACRUM

SIQUIS. [1] ALISONEM. VESTIGAS. FORTE. SICAMBRIS
IMPOSITUM. DRUSI. GRANDE. NERONIS. OPUS
QUO. STETERUNT. AQUILÆ. POPULIS. QUO. ROMA. SUBACTIS
JURA. DEDIT. SIGNIS. PERNICIOSA. SUIS
HUC. PROPERA. [2] PAGO. VICINO. NOMEN. ET AMNI
HÆRET. ADHUC. PRISCIS. NOBILE. TEMPORIBUS
LONGA. DIES. FOSSAS. LATE. COMPLEVIT. ET. HOSTIS
MOENIA. VICTRICI. DIRUIT. ALTA. MANU
FAMA. SUPERSTES. ERIT. SCRIPTORIBUS. AUCTA. LATINIS
DONEC. ALISONIS. LUPPIA. CRESCET. AQUIS

FERDINANDUS, DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

ALISONEM. ROMANORUM. CASTELLUM. CONTRA SICAMBROS, A. NERONE. CLAUDIO, DRUSO. AD. LUPPIÆ. ET. ALISONIS. CONFLUENTES. POSITUM. RERUM. GESTARUM. GLORIA. CELEBERRIMUM. DIOECESI. SUÆ. VINDICAVIT. ET. PATRIÆ. ANTIQUITATIS. ILLUSTRANDÆ. STUDIO

M. H. P

1 Velleius Paterculus lib. 2. Tacitus lib. 2. Annal. Dio Caſſius lib. 54. hiſt. Rom.

2 ELSEN pagus hodiedum celebris, Paderbornæ vicinus, Dioni Caſſio l. 54. Ἐλίσων dictus. Philipp. Cluverius lib. 3. antiquæ Germ. cap. 9. Iſac. Pontan. lib. 1. Geldr. Joan. Horrion Soc. JESU in Panegyr. Paderborn. l. 2. cap. 9. aliique.

FONTES LUPPIÆ.

MEMORIÆ. SACRUM

[1] LUPPIA. ROMANIS. ANNALIBUS. INCLYTUS. AMNIS
NEC. MINUS. IN. FRANCA. NOBILIS. HISTORIA
HIC. ORITUR. NOMENQUE. DEDIT. FAMAMQUE. NERONUM
QUO. SITA. MAJORIS. [2] CASTRA. FUERE. LOCO
ET. QUEM. CONCILIO. PRO. RELLIGIONE. VOCATO
SAXONIÆ. CAROLUM. [3] TER. CELEBRASSE. FERUNT
DEVENERARE. SACRUM. FLUVII. CAPUT. HOSPES. ET. ALTE
CELATIS. NILI. PRÆFER. ORIGINIBUS
QUI. LICET. INNUMERIS. TUMIDUS. PETAT. AMNIBUS. ÆQUOR
FONTE. TAMEN. MAJUS. LUPPIA. NOMEN. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. LUPPIÆ. FLUMINIS. IN. DITIONE. PADERBORNENSI. SURGENTIS. ROMANI. EXERCITUS. HIBERNIS. ET CAROLI. M. CONCILIIS. CELEBRATOS
M. H. P

1 Mela lib. 3. cap. 3. Tacit. annal. l. 2. & hiſt. 5. Strabo. l. 7. Dio Caſſ. l. 54.
2 Velleius Paterculus l. 2. cap. 105. Juſtus Lipſius in Velleium, n. 194. Bœclerus in eundem. Cluverius l. 3. Germ. antiq. c. 49. nunc LIPSPRING vocatur.
3 An. 776. an. 780, & an. 782. vita Caroli M. apud Pithæum. Aſtronomus. Regino, aliique Francicæ hiſt. ſcriptores.

CLADES VARIANA.

MEMORIÆ. SACRUM

EN. UBI. ROMANÆ. CLADIS. MONUMENTA. SUPERSUNT
VARUS. ET. ARMINIO. STRATUS. AB. HOSTE. JACET
ET. [1] CAMPO. IN. MEDIO. NOTUM. VICTORIA. NOMEN
SERVAT. ADHUC. NOSTRIS. INCLYTA. TEMPORIBUS
AUSPICIIS. RAPUIT. PUBES. GERMANA. SECUNDIS
IMPERII. [2] GEMINAS. NOBILE. PIGNUS. AVES
DESINAT. EUPHRATES. PARTHOS. MEMORARE. TRIUMPHOS
CLARIOR. EST. CÆSO. LUPPIA. QUINCTILIO
RAPTA. JOVI. LATIO. [3] CRASSI. SPOLIA. ILLE. PEREMPTI
REDDIDIT. HIC. AQUILAS. [4] OBTINET. USQUE. SUAS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

VARIANÆ. CLADIS. PÆNE. EXITIABILIS. ROMANIS. CÆSARE AUGUSTO. AD. TEUTOBURGIENSEM. SALTUM. INTER. AMISII. ET. LUPPIÆ. FONTES. ARMINIO. DUCE. A CHERUSCIS BRUCTERIS. MARSIS. ET. CONTERMINIS. GENTIBUS. ILLATÆ.

M. H. P

1 WINTFELD, campus victoriæ. Juſtus Lipſius in notis ad Taciti Annal. lib. 1. n. 211. aliique.
2 Cuſpinianus in vit. Cæſar. in Octavio Auguſto. Ulricus Huttenus de Germ. non degeneri.
3 Suetonius in Octavio Auguſto cap. 21. aliique complures.
4 Florus lib. 4. cap. 12. *ſigna & aquilas duas adhuc barbari poſſident.*

SALTUS TEUTOBURGIENSIS.

MEMORIÆ. SACRUM.

[1] TEUTOBURGENSIS. SALTUS. LOCA. VASTA. PERAGRANS
PAULISPER. COEPTUM. SISTE. VIATOR. ITER
HIC. RAPTAS. AQUILAS. CLADIS. MONUMENTA. LATINÆ
INVENIES. VARI. RELLIQUIASQUE. DUCIS
EGIT. ET. HIC. CELEBREM. [2] THIETMALLO. TESTE. [3] TRIUMPHUM
SAXONICAM. CAROLUS. DEPOPULATUS. HUMUM
UT. MERITO. DUBITES. ROMANA. CÆDE. CRUENTO
ARMINIO. MAJOR. NUM. SIT. HABENDUS. HONOS
SAXONIS. AN. CAROLO. VICTORI. SÆPIUS. HOSTEM
FREGIT. HIC. INDOMITUM. CONTUDIT. ILLE. SEMEL

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

SALTUM. LATINIS. TEUTOBURGIENSEM. OSNEGGUM. FRANCIS. APPELLATUM. QUINCTILII. VARI. LEGIONUMQUE TRIUM. TUMULO. ET. CAROLI. M. VICTORIA. DE. SAXONIBUS. PROPE. THIETMALLI. AN. DCC. LXXXIII. REPORTATA NOBILEM. POSITO. HOC. MONUMENTO. ILLUSTRAVIT

1 Tacitus l. 1. Annal. Lipſ. in not. 2:1. Ortelius in theſauro Geographico. Althamerus in Tacit. de morib. Germ. Horrion l. 2. Panegyr. Paderb. c. 9.
2 DETHMOLD Comitum Lippienſium ſedes, beneficium Eccleſiæ Paderbornenſis.
3 Eginhardus de vita & geſtis Caroli Magni. Vita Caroli M. apud Pithæum, aliique complures. Cluverius l. 2. antiq. Germ. cap. 19.

FONTES AMISII.

MEMORIÆ. SACRUM

ILLE. EGO. SUM. [1] AMISIUS. SURGENS. HIS. FONTIBUS. AMNIS
OLIM. ROMANA. NOTUS. IN. HISTORIA
QUI. CENTUM. DELABOR. AQUIS. COMITATUS. IN. ÆQUOR
ANTE. PERERRATIS. URBIBUS. ET POPULIS
NUNC. CAPUT. OCCULTUM. RIMATUS. VALLE. SUB. IMA
FERNANDUS. NIVEO. CONDECORAT. LAPIDE
AT. TIBI. NESTOREI. MERITIS. PRO. TALIBUS. ANNI
LÆTAQUE. PERPETUO. TEMPORA. VERE. FLUANT
ET. NOMEN. FERNANDE. TUUM. SIC. CRESCAT. EUNDO
AUCTA. VELUT. NOSTRÆ. GLORIA. CRESCIT. AQUÆ.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. AMISII. ROMANIS. NOTISSIMI. FLUMINIS. IN DITIONE PADERBORNENSI. NASCENTIS
M. H. P

HOSPES. VIVE. TUÆ. SORTIS. MEMOR. EN. EGO. PARVIS
NOBILIS. HIC. ORIOR. FONTIBUS. AMISIUS
ET. POSTQUAM. FLUVIIS. INGENTIBUS. AUCTUS. IN. ALTUM
VELA. TULI. VASTO. MERGOR. IN. OCEANO
SIC. UBI. PRINCIPIIS. MORTALIA. TENUIBUS. ORTA
CREVERUNT. MAGNIS. AUCTIBUS. INTEREUNT

1 Mela lib. 3. cap. 3. Strabo lib. 7. Ptolemæus lib. 2. c. 12. Plin. l. 4. cap. 14. Tacit. l. 1. & 2. Annal. aliique.

DELBRUGGIA,

Ultima veterum Bructerorum ſedes.

MEMORIÆ. SACRUM

BRUCTERUS. HÆC.[1] COLUIT. LOCA. FOETA. PALUSTRIBUS. UNDIS
QUOD. NUNC. INDIGENIS. NOMEN. UT. ANTE. MANET
HIC. VARUM. INFESTO. GERMANICUS. AGMINE. CÆSAR
[2] ULTUS. ET. HOSTILES. DEPOPULATUS. OPES
VICINAM. DRUSO. GENITORI. CONDIDIT. [3] ARAM
ET. TULIT. AUSONIIS. MANIBUS. INFERIAS
POST. [4] UBIUS. FERRO. PARITER. GRASSATUS. ET. IGNI
OBRUTUS. HIC. MAGNA. CLADE. REPENTE. FUIT.
VICTAQUE. TERGA. FUGÆ. DEDIT. ET. SUA. SIGNA. RELIQUIT
INCLYTA. VIRTUTIS. BRUCTERE. SIGNA. TUÆ.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

DELBRUGGIIS. VETERUM. BRUCTERORUM. ULTIMIS. QUOS GERMANICUS. CÆSAR. VARIANÆ. CLADIS. ULTOR. BELLO PERSECUTUS. QUANTUM. AMISIAM. ET. LUPPIAM. AMNES INTER. HAUD. PROCUL. TEUTOBURGIENSI. SALTU. VASTAVIT. COLONIENSES. VERO. CLIVIIQUE. PADERBORNENSIBUS INFESTI. ACCEPTA. INSIGNI. CLADE. AN. MCCCCX. XV. CAL. DECEMB. ILLUSTRARUNT. OB. FORTITUDINEM. EORUM. AC FIDEM. REIP. PRÆSTITAM

M. H. P

1 Cluverius l. 3. antiq. Germ. c. 13. Joan. Horrion Panegyr. Paderb. l. 2. c. 11.
2 Tacit. Annal. lib. 1. cap. 60. 61. 62.
3 Tacit. Annal. lib. 2. cap. 7. Horrion in Panegyr. Pad. cap. IX.
4 Gobelinus Perſona in Coſmodromio, ætat. 6. cap. 91.

VISURGIS.

MEMORIÆ. SACRUM

EXERAT. AMISIUS. STERILES. CAPUT. INTER. ARENAS
ET. PADERÆ. SOCIAS. LUPPIA. JACTET. AQUAS
SOLUS. EGO. PATRIAS. CLARISSIMUS. AMNIS. AD. ORAS
NAVIBUS. EXTERNAS. PORTO. VISURGIS. OPES
NEC. ME. BELLA. MINUS. CELEBRANT. ADVERSA. 1 QUIRITUM
QUAM. QUÆ. PER. 2 FRANCOS. GESTA. FUERE. DUCES
SED. QUOTA. PARS. RERUM. SUPERARET. ROMA. TUARUM
AUT. QUISNAM. ARMINII. NOSCERET. ARMA. MEI
NI. MIHI. QUAM. 3 TACITUS. SCRIPTOR. DEDIT. INCLYTUS. ILLI
REDDITA. CORBEIÆ. MUNERE. VITA. FORET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

IN. RIPA. VISURGIS. ROMANORUM. FRANCORUM. ET. SAXONUM. BELLIS. NOBILISSIMI. AMNIS. DIOECESIN. PADERBORNENSEM. INTERFLUENTIS. E. REGIONE. HERISTALLI. SAXONICI
M. H. P

1 Velleius Paterculus. Tacitus. Dio Caſſius.

2 An. 555. per Clotharium Regem Francorum. Geſta Francorum epitomata, cap. 27. Gregor. Turonenſis lib. 4. cap. 10. Aimoinus lib. 2. cap. 27. An. 630. per Dagobertum & Clotharium ejus patrem, Reges Francorum. Geſta Francorum epitomat. cap. 41. Aimoin. lib. 4. cap. 18. Sigebertus in Chronico. An. 721. per Carolum Martellum. Ado Viennenſis. Annal. incerti auctoris apud Pithæum. An. 743. per Carolomannum Martelli filium. Othlonus lib. 1. c. 44. vitæ S. Bonifacii apud Serarium. Concil. General. tom. XVII. Pariſiis edit. pag. 441.

3 *Nam quinque ejus primores Annalium libri inventi Corbeiæ, quod Monaſterium ad Viſurgim eſt, atque illinc deprremptum verè hunc theſaurum Quæſtor quidam Pontificius ad magnum Leonem detulit, donatus ab eo aureis quingentis.* Juſtus Lipſius ad lib. 2. Annal. Taciti. num. 34. Idem in diſpunct. Notar. Cod. Mirandulani.

REMA
AD CONFLUENTES WARNÆ & VISURGIS,
Pagus Ravensbergici Comitatûs.

MEMORIÆ. SACRUM

INCLYTA. FRANCORUM. FASTIS. UBI. [1] WARNA. VISURGIS
AMNE. RECEPTA. SUÆ. NOMINA. PERDIT. AQUÆ
SAXONE. [2] PIPINUM. FUSO. SPECTAVIT. OVANTEM
[3] REMA. TRIUMPHALI. FERRE. TROPÆA. MANU
[4] HILDIGARIQUE. NECI. VICTRICIA. CASTRA. SECUTI
FRANCIGENAS. MOESTIS. ILLACRYMARE. MODIS
FORTIS. ET. EXEMPLO. [5] CAROLUM. [6] GENITORIS. [7] AVIQUE
SAXONICÆ. VALIDAS. FRANGERE. GENTIS. OPES
TALIBUS. ILLUSTRIS. TITULIS. PLUS. REMA. SUPERBIT
QUAM. QUOD. RHEMORUM. [8] NOBILE. NOMEN. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

REMÆ. AD. CONFLUENTES. WARNÆ. ET. VISURGIS. SITÆ PIPINI. EJUSQUE. FILII. CAROLI. M. FRANCORUM. REGUM SAXONICIS. EXPEDITIONIBUS. AN. DCCLIII. ET. AN. DCCLXXXIIII CELEBRIS. PAGI. MEMORIÆ

M. H. P

1 WARNA. Poët. Anon. WARANA. Vita Car. M. apud Pithæum. WAHARNA. Adelm. WAGARNA. Annal. Franc. apud Reub. VIRHARNA. Annal. Caniſii. WAAHNA. Regino. nunc WERNE vocatur.

2 An. 753. Annal. incerti auctoris apud Pithæum, aliique.

3 REMEN nunc appellatur. olim RIMIA. Vit. Caroli M. apud Pithæum. Regino. RIMI. Adelmus & Annal. Franc. apud Reuberum. RHIME. Ado Viennenſ. Annal. Caniſii. RIMEE.

4 Colonienſis Archiep. Annal. incerti auctoris apud Pithæum. Annal. Fuldenſes, Adelmus, Regino.

5 Annal. Franc. apud Reub. Vita Caroli M. apud Pithæum. Annal. Caniſii.

6 Pipini. An. 745. 753. 758. Annal. incert. auct. apud Pithæum. Annal. Fuldenſ. apud Freherum. Annales Francici apud Reuberum.

7 Caroli Martelli. An. 721. 737. Annal. incert. auctoris apud Pithæum.

8 Henricus de Hervordia, l. 2. cap. 69. citatus ab Henrico Meibomio in notis ad Irminſulam Saxonicam.

E R E S B U R G U M
A D D I M O L A M.

M E M O R I Æ. S A C R U M

HOSPES. 1 ERESBURGI. PRÆRUPTAM. CONSPICIS. URBEM
ANTIQUA. CELEBREM. RELLIGIONE. LOCUM
2 MARTIS. IBI. QUONDAM. SIMULACRO. NOBILE. FANUM
SAXONIÆ. COLUMEN. PRÆSIDIUMQUE. FUIT
QUOD. LEO. VASTATUM. CAROLI. VICTRICIBUS. ARMIS
3 SACRAVIT. VERO. RESTITUITQUE. DEO.
MANSIT. ET. HOC. NOSTRÆ. GENTI. DUM. BARBARUS. HOSTIS
AUGUSTUM. 4 NOSTRO. TEMPORE. VERTIT. OPUS
NONNE. GIGANTEOS. MERUIT. RENOVARE. TRIUMPHOS
QUÆ. MANUS. IN. SUPEROS. HOC. FUIT. AUSA. NEFAS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

ERESBURGI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI. FIRMISSIMI OLIM. SAXONUM. PROPUGNACULI. NEC. MAGIS. FRANCORUM. ARMIS. ET. IRMINSULÆ. EXCIDIO. QUAM. EJUS. LOCO A. CAROLO. M. EXSTRUCTI. A. LEONE. III. P. M. DEDICATI BELLO. AUTEM. SUECICO. FUNDITUS. EVERSI. TEMPLI. RELIGIONE. CELEBRIS. MEMORIÆ

M. H. P

1. Aſtron. apud Reuberum. Annal. Francici & vita Caroli M. apud Pithæum, aliique Franc. hiſt. ſcriptores. Henricus Meibomius de Irminſula Saxonica. hodie STADTBERG.
2 Widekindus Corbeienſis lib. 1.
3 Baronius. Annal. Eccleſiaſt. tom. 9. ad annum Chriſti. 799.
4 An. 1646. 24. Septemb.

BRUNISBERGA PROPE HUXARIAM.

MEMORIÆ. SACRUM

ARX. UBI. BRUNONIS. CIRCUMSPICIT. ALTA. LATINI
MILITIS. INFECTAS. [1] CÆDE. VISURGIS. AQUAS
SAXONES. HIC. AMNEM. [2] CAROLUM. TRANSIRE. PARANTEM
NEQUICQUAM. TELIS. IMPEDIERE. SUIS
SED. DARE. VERSA. FUGA. VICTORI. TERGA. COACTI
CESSERUNT. TOTUM. FLUMINIS. IMPERIUM
LITORE. NUNC. ILLO. REGNAS. CORBEIA. SACRUMQUE
[3] HUXARIÆ. DICIT. JUS. PADIBORNA. TUÆ
QUÆ. SI. POSTERITAS. SERVASSET. FOEDERA. NUNQUAM
RELLIGIO. SCISSIS. PLANGERET. ORBA. COMIS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

BRUNISBERGÆ. NOBILI. IN. DIOECESI. PADERBORNENSI. ET DITIONE. CORBEIENSI. LOCO. UBI. CAROLUM. M. TRAJECTU. VISURGIS. PROHIBERE. FRUSTRA. CONATI. SAXONES AN. DCC. LXXV. FUSI. FUGATIQUE. FRANCIS. CESSERUNT

M. H. P

1 Velleius Patercul. lib. 2. hiſt. *amnis mox noſtra clade nobilis tranſitus Viſurgis.*

2 Vita Caroli M. & Annal. incerti auct. apud Pithæum. Annal. Caniſiani. Aſtron. Adelmus. Annal. Fuldenſes. Regino. Poëta anonymus apud Reinerum Reineccium.

3 Libellus de tranſlatione S. Viti, & inſtitutione novæ Corbeiæ. & Chron. Corbeienſe poſt notas ad Widikindum à Meibomio editum

BOCA AD LUPPIAM.

MEMORIÆ. SACRUM

BOCA. VETUS. CAROLO. MEMORABILIS. HOSPITE. PAGUS
LUPPIA. QUAM. RAPIDIS. PRÆTERIT. AMNIS. AQUIS
[1] ANGARIOS. VIDIT. PACEM. VENIAMQUE. PRECANTES
SUPPLICITER. FRANCO. SUBDERE. COLLA. JUGO
OBSIDIBUSQUE. DATIS. JURANDO. JURE. PACISCI
OBSEQUII. STABILEM. TEMPUS. IN. OMNE. FIDEM
ANGARIÆ. GENS. VICTA. SACRO. LÆTARE. TRIUMPHO
QUEM. CAROLUS. DE. TE. RELLIGIOQUE. TULIT
[2] SI. SUB. REGE. PIO. LIBERTAS. GRATIOR. EXSTAT
SERVITIO. MAGIS. ES. LIBERA. FACTA. TUO

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

BOCÆ. CELEBRI. OLIM. PAGO. UBI. CAROLUS. M. FRANCORUM. REX. ANGARIOS. DATIS. OBSIDIBUS. ET. JUREJURANDO. FIDEM. OBSEQUII. FIRMANTES. AN. DCC. LXXV. IN. DITIONEM. ACCEPIT. ET. A. SANCTÆ. MEMORIÆ. BADURADO. PADERBORNENSI. EPISCOPO. RELIQUIÆ. B. LANDOLINI. CONF. QUAS. EX. CAMERACENSI. DIOECESI. ILLUC. TRANSTULERAT COLLOCATÆ. FUERUNT

M. H. P

1 Vita Caroli M. apud Pithæum. Aſtron. Adelmus. Regino. aliique hiſt. Franc. ſcriptores.
2 Claudianus in 2. conſul. Stiliconis lib. 2.

DESENBERGA PROPE WARBURGUM.

MEMORIÆ. SACRUM

DESENBERGA. GRAVES. QUÆ. FINIBUS. ARDUA. CATTOS
LÆTAQUE. WARBURGI. DESPICIT. ARVA. JUGO
PARUIT. IMPERIO. [1] CAROLI. CUM. FRANCUS. ADEGIT
SAXONA. DEGENERI. VERTERE. TERGA. FUGA
VICTA. DEHINC. CESSIT. [2] SUEVIS. HOSTILITER. ARMIS
HENRICUS. PATRIAS. CUM. LACERARET. OPES
NUNC. JACET. INDIGNA. LATE. COLLAPSA. RUINA
ARX. VETUS. ET. RERUM. GLORIA. SOLA. MANET
QUIS. NISI. MENTIS. INOPS. FACTIS. EXTENDERE. FAMAM
NEGLIGAT. IPSA. VIDET. SI. QUOQUE. SAXA. MORI

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

DESENBERGAM. ARCEM. IN. MONTE. COGNOMINE. OLIM MUNITISSIMAM. QUAM. CAROLUS. M. PRÆSIDIO. FRANCORUM. FIRMAVIT. SAXONES. AN. DCC. LXXVI. FRUSTRA. OPPUGNARUNT. HENRICUS. IV. CÆSAR. AN. M. LXX. OCCUPAVIT HODIE. VERO. EPISCOPI. ET. PRINCIPIS. PADERBORNENSIS BENEFICIO. NOBILIS. SPIGELIORUM. FAMILIA. POSSIDET POSITO. HOC. MONUMENTO. EXORNAVIT

1 Regino. lib. 2. Chron. Fabricius lib. 2. & 4. origin. Saxonicarum.
2 Lambertus Schaffnaburg. Ægidius Gelenius in pretioſa hierotheca. p. 120.

PADERÆ FONTES.

MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. FONS. PADERÆ. MEDIA. SURGENTIS. IN. URBE
DUCO. VETUS. MAGNI. NOMEN. [1] AB. AMNE. PADI
MARTE. DIU. ANCIPITI. CAROLUS. CERTARE. COACTUS
2 DELEGIT. CASTRIS. CONCILIISQUE. LOCUM
3 JUSSIT. ET. HIS. UNDIS. LUSTRATAM. SUBDERE. GENTEM
SAXONICAM. VERO. COLLA. SUPERBA. DEO
4 HIC. LEO. ROMANA. DEDUCTUS. AB. URBE. SACELLUM
5 SACRAVIT. PRIMUM. RELLIGIONIS. OPUS
HIC. SEDES. LONGO. FUIT. ORDINE. DEINDE. SECUTIS
TERRARUM. DOMINIS. INCLYTA. [6] CÆSARIBUS
7 VIRGINIS. HIC. CONJUX. VIRGO. CUNIGUNDA. MARITI
ACCEPIT. MERITIS. REGIA. SERTA. COMIS
VASTUM. ALIUS. SUBEAT. SEPTENA. PER. OSTIA. PONTUM
NOBILIUS. NULLUS. ME. CAPUT. AMNIS. HABET

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTES. PADERÆ. CASTRIS. COMITIIS. ET. FREQUENTI IMPERATORUM. REGUMQUE. GERMANIÆ. ET. FRANCIÆ. HOSPITIO. AC. REGIA. S. CUNIGUNDÆ. CORONATIONE. CELEBRATOS

M. H. P

1 Gobelinus Perſona in coſmodromio. ætat. 6. cap. 38.
2 An. 777. 783. 785. 786. 799. Eginardus in Vit. Caroli. M. Aſtron. Vit. Ludovici Pii apud Pithæum, aliique.
3 Vit. Caroli M. apud Pithæum. Annal. Fuldenſes apud Freherum.
4 Annal. Fuldenſ. Vita Caroli M. Aſtron. Regino, aliique.
5 Vit. S. Liborii apud Bollandum cap. 11. Vit. B. Meinwerci apud Browerum. Gob. Perſona in Coſmod. ætat. 6. cap. 38. Crantzius Metropol. lib. 1. cap. 11.
6 Magnum eorum catalogum vid. in notis Monumentorum Paderbornenſium.
7 Adelboldus de rebus geſtis S. Henrici apud Gretſerum. Vitæ S. Godehardi, S. Bernwardi, B. Meinwerci apud Browerum. Chron. Hildeſienſe inter ſcript. hiſt. Franc. tom. III.

DRIBURGUM
Olim Iburgum appellatum.

MEMORIÆ. SACRUM

SEU. ME. DRIBURGUM. VETERI. SEU. NOMINE. DICAS
[1] IBURGUM. MERITIS. LAUS. MANET. ÆQUA. MEIS
SAXONIS. [2] UT. FERHIBENT. MUNIMEN. GRANDE. VETUSTAS
IMPOSUIT. NOSTRIS. MOENIA. CELSA. JUGIS
PRÆSENTIS. CAROLUS. PRECIBUS. DONATA. LEONIS
[3] QUÆ. PADERÆ. SACRO. SUBDIDIT. IMPERIO
VENA. ACIDÆ. TANTUM. ME. NUNC. UBERRIMA. LYMPHÆ
NOBILITAT. VARIIS. SÆPE. MEDENDO. MALIS
SI. MIHI. LONGA. DIES. PRIMOS. SUBDUXIT. HONORES
SERVAT. ADHUC. NOSTRUM. QUÆ. FUGIT. UNDA. DECUS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

DRIBURGI. OLIM. IBURGI. ANTIQUI. SAXONUM. MUNIMENTI. A. CAROLO. M. EXPUGNATI. S. HATHUMARO. EPISCOPO PADERBORNENSI. EJUSQUE. SUCCESSORIBUS. CUM. OMNI AGRO. ET. DITIONE. LEONIS. III. P. M. PRÆSENTIS. ROGATU DONATI. ET. SALUBRITATE. ACIDULÆ. HODIE NOBILIS. MEMORIÆ.

M. H. P

1 Gob. Perſona coſmod. ætat. 6. cap. 38. Crantzius lib. 1. Metrop, cap. 11. literæ antiquæ. Vid. not. Monumentorum Paderb.

2 Hermannus Hamelmannus de antiq. Weſtphalia ex Peucero. Theodoricus Engelhuſius in Chronico. Gerhardus Cleinſorgius in Annal. MS. Weſtphaliæ. ad an. 776.

3 An.799. Gob. Perſ. coſmod. l.c. Crantzius l.c. Bruſchius & Kerſenbrochius in catalog. Epiſ. Paderb.

LUDA AD AMBRAM.

MEMORIÆ. SACRUM

HIC. UBI. LUDA. VETUS. JUCUNDÆ. MARGINE. RIPÆ
URBS. SEDET. ET. CULTOS. [1] AMBRA. PERERRAT. AGROS
[2] AMBRONES. HABITASSE. FERUNT. QUOS. CIMBRICUS. OLIM
MILITIÆ. SOCIOS. TRAXIT. IN. ARMA. FUROR
ILLIS. 3 ARMINII. SUCCEDENS. ARCE. PROPINQUA
GENS. TENUIT. VALIDA. SCEPTRA. CHERUSCA. MANU
4 ANNUA. DEINDE. PIO. CAROLUS. SACRA. MORE. FREQUENTANS
NASCENTEM. COLUIT. SUPPLICE. VOCE. DEUM
ET. 5 SCHIDROBURGUM. PROPIUS. DUM. SAXONA. BELLO
FULMINAT. HOC. POSUIT. FRANCICA. CASTRA. LOCO
HÆC. OLIM. DECORI. FUERINT. NUNC. PROXIMA. LUDAM
CONCELEBRAT. NOTÆ. VENA. SALUBRIS. AQUÆ.

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

LUDÆ. AD. AMBRAM. PERANTIQUÆ. AMBRONUM. ET. CHERUSCORUM. SEDI. CAROLI. M. CASTRIS. IN. QUIBUS. AN. DCCLXXXIV. CHRISTI. NATALEM. EGIT. ET. PYRMONTANÆ. ACIDULÆ. VICINITATE. CELEBRATÆ.
M. H. P

1 Aſtron. Adelmus. Vita Caroli M. apud Pithæum. Annal. Caniſii. Regino. Poëta anonymus, aliique. nunc EMMER vocatur.
2 Reinerus Reineccius de origine Myſorum. Piderit. in Chron. Lippienſi part. 1. cap. 6.
3 Winckelmannus in notit. vet. Weſtphaliæ. lib. 1. cap. 8. Stangevolius in Annal. Weſtphaliæ. Pideritius l. c.
4 Vit. Caroli M. apud Pithæum. Annal. Caniſii. Regino.
5 Adelmus. Aſtronomus, Poëta anonymus. nunc SCHIDER, ſeu brevius SCHIER appellatur, prædium Comitum Lippienſium.

TROPÆA CAROLI M. FRANCORUM REGIS,

In campo Sintfeld.

MEMORIÆ. SACRUM

NUNC. UBI. FERTILIBUS. LATE. FLAVESCIT. ARISTIS
TAM. CERERI. GRATUS. QUAM. SPATIOSUS. AGER
OLIM. CAMPUS. ERAT. QUO. PRÆLIA. [1] SAXO. MINATUS
FRANCORUM. SIGNIS. OBVIA. SIGNA. TULIT
SED. VICTUS. CESSIT. TITULO. VICTORIA. DONAT
[2] MOENIA. VICINO. CONSPICIENDA. JUGO
SI. MARATHON. [3] PERSIS. NOMEN. FATALE. PEREMPTIS
MILTIADÆ. JACTAT. CLARA. TROPÆA. DUCIS
GLORIA. MAJOR. ERIT. CAROLI. QUI. PARCERE. VICTIS
MALUIT. HOSTILI. QUAM. JUGULARE. MANU

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG.

CAROLO. M. FRANCORUM. REGI. SAXONIBUS. IN. CAMPO SINTFELD. AN. DCC. XCIV. SUBACTIS. ET. TERTIA. EORUM PARTE. ALIO. TRADUCTA. DE. RELIGIONE. CHRISTIANA. ET PUBLICA. TRANQUILLITATE. OPTIME. MERITO

M. H. P

1 Aſtron. Adelmus. Annal. Fuldenſ. Vita Caroli M. & Annal. incerti auctoris apud Pithæum. Regino. Poëta anonymus, aliique.
2 WUNNENBERG oppidum diœceſis Paderbornenſis, ad agrum SINTFELD pertinens, & in colle ſitum.
3 Cornelius Nepos in Miltiade. Juſtinus l. 2. c. 9.

HERISTALLUM SAXONICUM,
in ripa Viſurgis.

MEMORIÆ. SACRUM

SEU. TE. CÆRULEUS. PLACIDO. VEHIT. AMNE VISURGIS
SIVE. FACIS. TERRA. CARE. VIATOR. ITER
PARVA. MORA. EST. FAMÆ. RELEGAS. MONUMENTA. VETUSTÆ
ET. PRECOR. HÆC. PAUCIS. CARMINA. SCRIPTA. NOTIS
MAGNUS. [1] HERISTALLO. CAROLUS. DUM. SAXONAS. URGET
HIC. POSITIS. CASTRIS. NOMEN. HABERE. DEDIT
[2] LEGATOS. HIEMANS. HIC. REGIA. DONA. FERENTES
AUDIIT. ET. [3] NATOS. JUSSIT. ADESSE. SUOS
HIC. COEPTAM. RETULIT. FATO. MELIORE. CATHEDRAM
[4] AD. VITREAS. PADERÆ. LENE. FLUENTIS. AQUAS
NON. TAMEN. OMNIS. HONOS. ABIIT. QUIN. ÆMULA. FRANCO
CERTAT. HERISTALLI. GLORIA. SAXONICI

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

HERISTALLI. SUI. IN. RIPA. VISURGIS. CAROLI. M. HIBERNIS PIPINI. ET. LUDOVICI. FILIORUM. EJUS. CONVENTU. HUNNORUM. ET. ASTURIÆ. GALLECIÆQUE. REGUM. LEGATIONIBUS AN. DCCXCVII. CELEBRATI. MEMORIÆ. POSUIT

1 Aſtron. apud Reuberum. Adelm. Vita Caroli M. apud Pithæum. Poëta anonym. nunc HERSTELL appellatur.
2 Annal. Francici apud Pithæum. Regino.
3 Aſtron. Vita. Caroli M. apud Pithæum. Adelmus. Regino.
4 Henricus de Hervordia. Chron. Mindenſe à Meibomio editum.

VVEVELSBURGUM,

Prope Bodecam Monaſterium S. Menolphi.

MEMORIÆ. SACRUM

ECCE. WEVELSBURGI. SAXO. FUNDATA. VETUSTO
ARX. QUÆ. TURRITUM. TOLLIT. AD. ASTRA. CAPUT
INDOMITIS. OLIM. PATRIAM. DEFENDIT. 1 AB. HUNNIS
DAMNA. DEDIT. PATRIÆ. NEC. SEMEL. ILLA. SUÆ
QUANDO. FEROX. ARMIS. 2 FRIDERICUS. SÆVIIT. HOSTIS
NON. IMPUNE. TAMEN. QUÆ. TULIT. 3 ARMA. NEPOS
SIC. VARIAS. EXPERTA. VICES. DOMINOSQUE. FREQUENTES
SUBDIDIT. IMPERIO. SE. 4 THEODORE. TUO
FORTUNATA. NIMIS! SI. QUAS. NON. LÆSERAT. HUNNUS
INTACTAS. SINERET. 5 GOTTHICUS. IGNIS. OPES

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ. SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS. COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG.

WEVELSBURGUM. VETUSTISSIMUM. AB. HUNNORUM. GERMANIAM. DEVASTANTIUM. MEMORIA. CASTELLUM. A. FRIDERICO. ARNSBERGÆ. COMITE. INSTAURATUM. ET. MUNITUM. A. COMITIBUS. WALDECENSIBUS. AD. ECCLESIAM. PADERBORNENSEM. TRANSLATUM. A. BURANIS. DYNASTIS TUM. BENEFICII. TUM. PIGNORIS. LOCO. DIU. POSSESSUM. A THEODORO. EPISCOPO. ET. PRINCIPE. PADERBORNENSI. RECUPERATUM. ET. A. FUNDAMENTIS. EXSTRUCTUM. A. SUECIS. INCENSUM. A. THEODORO. ADOLPHO. EPISCOPO. ET PRINCIPE. PADERBORNENSI. MAJORI. EX. PARTE. RESTITUTUM. POSITO. HOC. MONUMENTO. EXORNAVIT

1 Gob. Perſon. coſmodrom. ætat. 6. c. 8. Crantzius Metrop. l. 6. cap. 9.
2 Gob. Perſon. l. c. Crantzius l. c. Ægidius Gelenius in S. Engelberto lib. 3. cap. 42.
3 Conradus Comes Arensbergenſis à Bernardo 1. Epiſ. Paderb. prælio victus occubuit; an. 1143. Ægid. Gelenius l. c. aliique.
4 An. 1589. 9. Aug.
5 An. 1646. menſe Maio.

DESERTUM SENDÆ,

olim Sinedi appellatum.

MEMORIÆ. SACRUM

DESERTOS. [1] SINEDI. TRACTUS. HUMILESQUE. MYRICAS
QUI. PERAGRAS. TUTUM. CARPE. VIATOR. ITER
NON. HIC. INSIDIAS. NON. MILITIS. ARMA. TIMEBIS
QUÆ. SECURA. QUIES. ARCET. ET. ALMA. THEMIS
APTA. QUIDEM. PECORI. DEEST. ET. PASTORIBUS. UMBRA
RARAQUE. POPULEAS. VENTILAT. AURA. COMAS
ATTAMEN. HIC. APIBUS. DULCEM. GREGIBUSQUE. MINISTRAT
UNDA. FREQUENS. POTUM. PABULA. GRATA. SOLUM
ET. CAPUT. AMISII. MEDIIS. HINC. EXIT. ARENIS
ILLINC. UBERIBUS. LUPPIA. SURGIT. AQUIS
NUNC. ETIAM. VIDEN ? UT. CELEBRET. LOCA. VASTA. COLONUS
SOLLICITARE. RUDEM. VOMERE. DOCTUS. HUMUM
OMNIA. SIC. VINCIT. LABOR. IMPROBUS. OMNIA. CONTRA
AGRICOLIS. PESSUM. SEGNIBUS. IRE. SOLENT

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

IN. DESERTUM. SENDÆ. OLIM. SINEDI. APPELLATUM. NOVIS COLONIS. CUM. PUBLICO. COMMODO. DEDUCTIS
M. H. P

1 Hujus deſerti meminerunt diplomata Caroli M. Oſnabrugenſibus an. 804. Ottonis III. an. 1001. S. Henrici an. 1002. & an. 1003. Paderbornenſibus data. vid. notas ad monumenta Paderbornenſia,

FONS RESONUS,

Vulgo Bullerborn, prope Becam veterem, pagum diœceſis Paderbornenſis.

MEMORIÆ. SACRUM

TEUTOBURGENSIS. SILVÆ. RADICIBUS. ORTUM
QUÆ. TRAHIT. ET. RESONIS. NOMINA. DEBET. AQUIS
ARTE. SCATENS. [1] MIRA. PELAGI. NUNC. MORE. FREMENTIS
ÆSTUAT. ALTERNA. NUNC. SILET. UNDA. VICE
ET. PEDE. DECURRIT. LIQUIDO. DUM. PROXIMA. SENSIM
PER. CAVA. LABENTEM. SAXA. RESORBET. HUMUS
MOX. EADEM. VIRES. SUBTER. TELLURE. RECENTES
COLLIGIT. ET. LARGAS. AUCTA. REFUNDIT. AQUAS
NE. JACTES. ARETHUSA. TUI. MIRACULA. FONTIS
SOLA. ETIAM. NOSTRAS. FAMA. LOQUETUR. OPES

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. FONTEM. BULLERBORN. PROPE. BECAM. VETEREM. MIRA NATURA. PRÆDITUM. ET. FREQUENTIBUS. PRINCIPUM. ET NOBILIUM. VIRORUM. CONVIVIIS. EXCUBIIS. ET. EXPERIMENTIS. OLIM. CELEBRATUM

M. H. P

1 Vid. Mollerum l. 5. de Rheno. pag. 217. Leonardum Thurneſſerum l. 1. c. 1. de aquis. Joan. Horrion l. 2. panegyrici Paderb.alioſque.

FONS PADULUS,

Ante Neuhuſium, conſuetum Epiſcoporum & Principum Paderbornenſium domicilium.

MEMORIÆ. SACRUM

FONS. EGO. SUM. PADULUS. NITIDIS. ARGENTEUS. UNDIS
PURIOR. ELECTRO. FRIGIDIORQUE. GELU
OLIM. VIX. PECORI. NOTUS. NUNC. ARIDA. FEBRI
NOSTER. FERNANDI. PROLUIT. ORA. LIQUOR
UNDE. MEO. PRINCEPS. RECREATUS. MUNERE. CLAUSAS
MARMORIBUS. GRATO. CARMINE. SIGNAT. AQUAS
NE. MIHI. CASTALIOS. LATICES. OPPONE. NEC. UNDAM
BELLEROPHONTEI. CARE. VIATOR. EQUI
ILLA. ETENIM. DOCTIS. INSPIRAT. VATIBUS. ÆSTUM
HÆC. LEVAT. ET. MEDICAM. LYMPHA. MINISTRAT. OPEM

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AQUA. FONTIS. PADULI. IN. FEBRIS. ARDORIBUS
RECREATUS. P. C. AN. M. DC. LXV

ACIDULA [1] SMECHTANA.

MEMORIÆ. SACRUM

NON. EGO. VICINIS. DUBITEM. CONTENDERE. NYMPHIS
TANTA. LICET. NOSTRÆ. COPIA. DESIT. AQUÆ
FRIGIDIOR. GLACIE. CERTE. MEA. NECTAR. ACORE
UNDA. REFERT. VITRO. SPLENDIDIORQUE. FLUIT
UTILIS. ET. CALIDO. JECORI. STOMACHOQUE. DOLENTI
ET. PRÆSENS. ÆGRIS. RENIBUS. AUXILIUM
PRINCIPIS. HINC. PATRUI. PRINCEPS. EXEMPLA. SECUTUS
FERNANDUS. PATRIÆ. MAXIMA. CURA. MEÆ
MARMOREO. POTAS. ORNAVIT. MARGINE. LYMPHAS
ADDIDIT. ET. GRATA. CARMINA. DUCTA. MANU
TU. MERITI. CONTRA. MEMOR. ILLIUS. USQUE. LIQUORES
ARENTI. SITIENS. QUI. TRAHIS. ORE. MEOS
POCULA. FERNANDI. FAC. LIBES. PRIMA. SALUTI
INCOLUMIS. PADERÆ. QUAM. DABIT. ILLE. SUÆ

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

Ad. memoriam. accepti. beneficii P.C. An. M. DC. LXIX

NAUSEAT. AUT. SIQUIS. CALET. HINC. BIBAT. ÆGER. OREXIN
NOSTRA. FACIT. STOMACHO. PELLIT. ET. UNDA. SITIM
NECTAR. ACORE. VITRUM. SPLENDORE. ET. FRIGORE. BRUMAM
EXSUPERAT. MEDICÆ. NEC. CARET. ARTIS. OPE

1 Vid. Tabernæmontanum in ſuo aquarum theſauro cap. 59. & notas ad monumenta Paderbornenſia.

ACIDULA DRIBURGENSIS.

MEMORIÆ. SACRUM

HIC. EGO. VISCERIBUS. MAGNÆ. PRORUMPO. PARENTIS
LARGA. SALUTIFERÆ. VENA. PERENNIS. AQUÆ
DOCTA. GRAVI. MORBO. RENES. ET. FÆCE. LIENEM
ET. TUMIDUM. FLAVA. BILE. LEVARE. JECUR
ET. TORPENS. ACIDO. STIMULANTE. LIQUORE. PALATUM
TÆDIA. VENTRICULO. PELLERE. FAUCE. SITIM
QUI. BIBIT. ERGO. MEOS. LATICES. ET. CIVIS. ET. HOSPES
INCOLUMIS. NOSTRIS. RITE. PRECETUR. AQUIS
MAGNUS. UT. HAS. ARMIS. CAROLUS. VICTRICIBUS. UNDAS
SAXONICO. FERTUR. SUPPOSUISSE. PADO
SIC. FERNANDE. TUO. DECORATÆ. MUNERE. LONGO
TEMPORE. TE. SALVO. SUB. TUA. JURA. FLUANT

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. ACIDULAM. DRIBURGENSEM. SALUBRITATE. MEDENDISQUE. CORPORIBUS. NOBILEM. COMMODIUS. HAURIENDAM EDUCTA. HUMIDO. SOLO. ARBORIBUSQUE. CONSITA. AD DEAMBULANDUM. VIA. ET. FONTIS. CELEBRITATI. ET PUBLICÆ. UTILITATI. CONSULUIT

AN. M. DC. LXX

OLDENBURGA IN MONTE FURSTENBERG,

Prima Baronum de Furſtenberg in Weſtphalia ad Ruram ſedes.

MEMORIÆ. SACRUM

FURSTENBERGIACÆ. TITULIS. ARX. INCLYTA. GENTIS
OLDENBURGA. TUUM. QUÆ. MODO. NOMEN. HABET
SIVE. LOCI. DECUS. ANTIQUUM. SEU. NOMINE. PRIMOS
INDICAT. HOC. ALTÆ. NOBILITATIS. AVOS
HIC. STETIT. HOSTILI. BELLORUM. SÆPE. TUMULTU
[1] DIRUTA. PRINCIPIBUS. SÆPE. [2] REFECTA. SUIS
NUNC. DESERTA. JACET. PRÆCLARÆ. GLORIA. STIRPIS
USQUE. RECENS. LONGA. POSTERITATE. VIGET
SIC. MEA. DOCTRINÆ. PRECOR. ET. VIRTUTIS. AVITÆ
LAUDE. VELUT. [3] GEMINA. STET. TRABE. FULTA. DOMUS

FERDINANDUS. DEI. ET. APOSTOLICÆ SEDIS. GRATIA. EPISCOPUS. PADERBORNENSIS COADJUTOR. MONASTERIENSIS. S. R. I. PRINCEPS. COMES. PYRMONTANUS. ET. LIB. BARO DE. FURSTENBERG

AD. ILLUSTRANDAM. HOC. ETIAM. IN. LOCO. MAJORUM SUORUM. MEMORIAM. ET. POSTEROS. AVITÆ. VIRTUTIS EXEMPLO. INCITANDOS

M. H. P

1 An. 1180. à Philippo Archiepiſ. Col. 1254. à Simone Epiſ. Paderb. 1295. ab Eberhardo Com. Marcano. 1309. ab Henrico Archiep. Colonienſi. 1311. ab Engelberto Com. Marcano. 1345. à Godefrido Com. Arnsbergenſi, & Adolpho Com. Marcano. vid. notas ad Monument. Paderborn.

2 An. 1219. à S. Engelberto Archiep, Colonienſi. 1276. à Siffrido Archiep. Col. 1307. ab Henrico Archiep. Col. 1312. ab Henrico Archiep. Col. & Ludovico Haſſo Epiſcopo Monaſterienſi. vid. not. ad Monum. Paderb.

3 Alluditur ad binas Oldenburgicas trabes in aureo ſcuto rubentes, à prima uſque origine Baronibus Furſtenbergiis uſitata inſignia.

POEMATA
JOANNIS ROTGERI
TORCKII,
PRÆPOSITI MINDENSIS,
& Canonici Paderbornenſis ac
Monaſterienſis.

AD
FERDINANDUM
FURSTENBERGIUM,

De ſeceſſu Tiburtino.

O Jucunda quies! ô blanda papavera ſomni,
Et pia Lethæis frons medicata vadis!
Callida nocturnas oculis properare tenebras,
Dum mediis cælo ſol calet altus equis.
Vidimus hanc tacito tua ſpargere tempora ſucco,
Et geminas unâ condere nocte faces.
Fuſus eras, memini, vitreas Anienis ad undas,
Curva quibus gelidum vallis opacat iter.
Officioſa ſalix Phœbi ſummoverat ignes,
Pictaque nativum ſtruxerat herba torum.
Denſa ſoporifero nutabat ſilva ſuſurro,
Miſcebantque leves amnis & aura jocos.
Et volucrum liquido ſuetarum fluminis alveo
Mille dabant varios guttura mille ſonos.
Talis in Actæis juvenis Theſeïus umbris
Concidit, hirſutos ſternere feſſus apros.
Talis & avectum ſopor eſt complexus Iülum,
Didoni ſtrueret cùm Venus alma dolos;
Et benè cognatos ſimulante Cupidine vultus
Idalias premeret languidus ille roſas.
Aſt ego nunc amnem, tua nunc vigil ora tuebar:
Nunc in Callimachi verſibus omnis eram:

Nunc mihi fingebam maturas ſolibus uvas
  Ad gelidos fontes prætereuntis aquæ,
Purpureoſque avido ducebam gutture ſuccos.
  Sæpè mihi tales dent mea fata dies.
Quærat avarus opes, petat ambitioſus honores:
  Sit procul à tanto noſtra furore quies.
Quid, miſer, auriferi medio tibi proderit Hermi
  Gurgite Tantaleam ſemper hiare ſitim?
Quid Siculas valles, montique propinqua Veſevo
  Mille boum gemitu vertere rura juvat;
Horrea ſi creſcens tibi rumpit & ilia meſſis,
  Teque ſimulque tuas arca flagellat opes?
Aurea ſollicito tibi ſpumant pocula Baccho,
  Et vigiles noctes lectus eburnus habet.
Priſca quies tacitis nemorum ſe condidit umbris,
  Et colit anguſtos vita beata lares.
His mea pauperies populo ſecreta latebris
  Regales animo divite vincet opes.
Sed neque longævis nemoralis Aricia lucis,
  Nec liquido cepit me vetus Alba lacu.
Inclyta Romulidûm quondam Præneſte voluptas
  Nunc ſitit, & nudis horret ubique jugis.
Explicat urbanos opulentia Tuſcula luxus,
  Sed nimiâ adſcitus diſplicet arte decor.
Tiburis Herculei nobis juga candida rident:
  Stat mea judicio, Flacce, Camœna tuo.
Hîc veniunt ſegetes, veniunt feliciter uvæ:
  Autumno hîc gravidus divite gemmat ager.
Hîc non falſa ſuis oleagina ſilva colonis
  Palladios colles & juga ſumma tenet.
Ipſa quoque aſperitas, & rupibus inſitus horror,
  Temperat ingenium deliciaſque ſoli.

Quid

Quid loquar ut nitidas Anio pellucidus undas
    Volvat, & electro purior arva riget?
Jamque vago curſu & lapidoſâ exercitus irâ
    Mollior Herculeos lambere geſtit agros.
Et veluti flabris criſpatum lenibus æquor
    Compoſitæ repens otia ludit aquæ,
Cùm ſubito lapſu barathrum ruit omnis in imum,
    Condendum inferno jam Phlegethonte putes.
Rorantes canâ latrant aſpergine cautes,
    Et furit horribili ſpuma Aniena ſono.
Mox vaſto exeſi ſorbetur montis hiatu,
    Præcipitatque trucem per cava ſaxa fugam.
Trunca jacent ripis ſæcli monumenta vetuſti,
    Et premit informes alta ruina domos.
Hæc Mœcenatem ſpirant, hæc rudera Flaccum,
    Rudera Pieriis deveneranda ſacris.
Hîc illa imperio Romani par lyra mundi
    Subdidit Italico carmina Graia jugo.
Hac obſcura ſpecu ſtimulante Sibylla caleſcens,
    Numine fatidicum ſæpè canebat epos.
Excitus hiſce adytis venit in præcordia Vatum,
    Fervor, & acceptis ignibus oſſa calent.
Parte aliâ vaſtæ ſemeſa cadavera molis
    Sparſa per Argeos conſpiciuntur agros:
Quâ tua magnanimâ labor improbus arte coëgit,
    Fucine, per dociles ire fluenta vias:
Auſus & obſtantis perrumpere viſcera montis,
    Roma peregrinis ut frueretur aquis.
Hîc utinam æſtivos liceat mihi condere ſoles,
    Veſanus Latios cùm leo torret agros!
Icariique canis vapor atrox incubat Urbi,
    Et ducunt mœſtæ funera crebra viæ.

Hinc reducem, inverſo ſignis pluvialibus anno,
  Excipiat modico Roma beata lare:
Et procul à ſtrepitu fumoque volubilis aulæ
  Claudantur tacito gaudia noſtra ſinu.
Sic placidis annis, & amœno carperer ævo,
  Et fluerent niveâ ſtamina noſtra colo.
Sed quid agis? tibi vana miſer quid ſomnia fingis?
  Quid rapido jactas irrita verba Noto?
Te ſua Hyperboreus revocat ſub plauſtra Bootes,
  Sæva Lycaonii te manet axis hiems.
Sæpè dies ſolidos patriis pulſabere nimbis,
  Sæpè rigens glacie, vel nive canus eris.
Cocta Ceres Tiburtino ſuccedet Iaccho,
  Spumosâque cadet fæce peremta ſitis.
Parva queror: fugimus Phœbumque novemque Sorores,
  Et mea Pegaſeus deſeret ora latex.
Jam mihi Perrhebi nemora evaneſcere Pindi,
  Jam dubius condi nube videtur apex.
Caſtaliis mihi triſte Vale jam redditur antris,
  Mœſtaque ſupremæ vocis imago redit.
Nubiferas gradiar ſine te, FERNANDE, per Alpes,
  Dimidiâque animæ parte carebo meæ.
Quàque ſacras vidi quercus, monteſque moveri,
  Me linquet Clariæ vox tua miſta lyræ.
NATALISQUE tui cultiſſima Muſa Latinas
  Quàm procul heu noſtrâ tendet ab aure fides!
Docta FAVORITI nobis muteſcet arundo,
  Tritaque bucolicis labra canora modis.
Fata reluctantes rapiunt, ducuntque volentes:
  Non moror, auſteram ſpontè vorabo viam.
Vos remanete, quibus pronâ ſors annuit aure
  Molliter in gremio poſſe cubare ſuo.

Vivi-

Vivite felices, ævumque agitate ſerenum,
Quæque vehit veſtras, provehat aura rates.
Divus ALEXANDER, Superûm juſtiſſima cura,
Orbis amor, Romæ vita decuſque ſuæ,
Vincit ut eloquio, ſic Neſtora vincat & annis,
Utque beat juvenes, vos beet ipſe ſenes.
Me mea fata trahant, caſus retrahantque per omnes,
Me ferus Arctoo demetat enſe furor.
Me petat ipſa ſuis glacialis rictibus Urſa:
Lætus ALEXANDRO ſoſpite cuncta feram.
Cùmque ſevera meos evolverit Atropos annos,
Lætus ALEXANDRO ſceptra tenente cadam.
Soſpite ALEXANDRO mea molliter oſſa cubabunt,
Atque favilla levi noſtra premetur humo.

IN FUNERE SIDRONII HOSSCHII E SOCIETATE JESU.

O Noctis æternæ atque Erebi pudor,
Crimen Deorum, lurida carnifex
Mundi ruentis, quam tot atro
Sæcla juvat vacuare penſo!
Quæ ſæva Erinnys, quodve odium vetus,
Fameſve magnorum improba funerum
Te concitavit in verendum
SIDRONII caput immerentis?
Fatum ſerenæ molliter aureum
Nebant Sorores. Dum propior Deo
Poëta nil mortale cantans
Tænarias tremefecit umbras.

Arrexit aures Orcus, inertior
Styx hæſit, ingens continuit canis
Rictus trifauces, & Megæræ
Viperei ſiluere crines.
Tu ſola funeſtam rabiem intimis
Coquens medullis, diceris inclytum
Plutone deprecante ſtamen
Sacrilegâ ſecuiſſe dextrâ.
Scelus peractum eſt. Magni Elegi tacent,
Nec par Tibullo gratia, ceu priùs,
Cantando jam Scaldim moratur
Præcipitem, lacrimiſque Moſam
Latè tumentem. Quin ſacra lugubri
Clamore Parnaſſi antra remugiunt,
Præcordiiſque excuſſa mœſtis
Per virides gemit aura lucos.
At victor orbes ſidereos premit,
Aurâque Divûm veſcitur HOSSCHIUS,
Et jura Minoïs ſevera
Deſpicit, invidiamque Parcæ.
Quid victa frendes? rumpere lividæ
Mortis ſatelles, rode manus reas,
Caputque nequicquam ſceleſtum
Tartareo Phlegethonte cela.
Præciſa Vatum vita repullulat
Ringente Averno. Non timet Atropon
Mens plena Phœbi, ſed ſuperbo
Fata ſiniſtra domat triumpho.

IDUS FEBRUARIÆ NATALIS FABII CARDINALIS CHISII.

PAnde natales Heliconis umbras
Dulcis Euterpe, fidibuſque miſtâ
Voce Pimplæo madidum lepore,
Dic, age, carmen.

Bina Parnaſſi juga gratulante
Annuant lauro, genitrixque docti
Fontis extundat cava largiores
Ungula ſuccos.

Ultimas brumæ fugientis IDUS
Phœbus æternis revehet quadrigis,
Prima naſcentis quibus ora CHISI
Vidit, & arſit.

Mox nitens frontis jubar, & coruſcos
Regii currus geminavit ignes:
Fluxit inversâ Ganymedis urnâ
Nectar & aurum.

Mater Heroum genitrixque Divûm
Ritè ſollemnem venerare lucem,
Sena, quæ magni tibi prima riſit
Conſcia partûs:

Adſtrepat lætis vagus Umbro lymphis:
Certet Umbroni Padus, & loquacis
Incolæ ſtagni geniale cantent
Carmen olores.

Mar-

Martiæ pubis Melite palæſtra,
Cladis extremæ mora, quam ruentis
Rebus Europæ propè plena Thracum
Luna minatur;

Hic dies ſemper tibi feſtus ære
Bellico flammas vomat innocentes,
Claſſis invictæ fremat omne ludis
Litus & æquor.

Canus Alpinâ nive Rhenus udos
Palladis ramo cohibens capillos
Juſta ſuadentem memoret ſequeſtrum
Otia pacis.

CHISIO puris Amaſis fluentis,
CHISIO ſegni putris Alpha ſtagno
Plaudat, & ſperni Mimigarda gaudens
Carmine Vatis.

Roma terrarum caput, una magnis
Tu pares reddis Fabiis honores.
Fallor? an creſcens latet in virenti
Maximus herbâ?

At Sibyllinos aperire libros
Mitto: ſecreto properet meatu
Ordo fatorum, tacitâ futurum
Nocte prematur.

AD PHILOMATHEN,

Germanos Nobiles ſuo exemplo ad politiorem literaturam ab aſperioribus ſtudiis revocantem.

DUdum madenti ſanguine Teutonum
Devota Marti ſprevit Apollinem,
Araſque Bellonæ cruentas
Poſthabitis coluit Camœnis,
Abrepta ſævo pectoris impetu,
Germana pubes. Per fera prælia,
Per arma, per cædes ruebat,
Præcipiti velut Iſter undâ,
Mactanda vanæ victima gloriæ.
Sic gentis ortum, ſic genus inclytum
Probare, ſic pulcrâ decebat
Morte ſuas animare ceras.
Altùm ſilebant Aöniæ fides,
Dum delicatum tendere barbiton
Devitat, imbellique plectro
Mollia ſollicitare fila,
Aſſueta ferro dextera nobilis:
Dum militari tempora laureâ
Virent, triumphaleſque ſuadet
Othryadis truculenta Sparte
Semper legendas diſcere literas.
Phœbi patebat Pierium nemus,
Et ſacra tractabat verenda
Vulgus iners, animæque viles,

Cùm

Cùm ſtirpis altæ dives honoribus,
Phœbi benigno non ſine nùmine,
Profectus extremis ab oris
Italiæ peregrinus Heros
Ad vaſta Rheni flumina, non ſuis
Rubentis undis, virgineam chelyn
Pulſare, percuſſiſque nervis
Caſtalios ſociare verſus,
Et ære triplo corda rigentia
Mollire cœpit non minor Orpheo,
Phœbumque Germanis ſerenum
Reſtituit, juveneſque Muſas.
Non indecorum eſt hoc duce & auſpice
Adire montis Gorgonei juga,
Specuſque doctas, & virentem
Fatidicis Helicona lauris.
Ad magna nati diſcite Nobiles
Æternitati ſcribere: diſcite
Aptare carmen, quod futuro
Poſteritas legat omnis ævo.
Plenum recepto pectus Apolline
Numquam obruendis nobilitat ſuam
Stirpem trophæis. Mors & ætas
Cuncta rapit: manet una virtus.
Videtis alto ſidera vertice
Ferire docti carminis alitem:
Videtis in quantâ triumphat
Philomathes celebratus aulâ.
Junguntur uno pectore Principis
Et Vatis artes: unica mens Jovem
Muſaſque miſcet, & capaci
Cuncta ſinu generoſa claudit.

Rum-

Rumpatur ater livor, & invidos
Corrodat ungues, dum pariter Tibi,
Vir magne, plaudit Urbs & Orbis,
Cujus onus geris alter Atlas.

Ad duos Sacri Romani Imperii Principes,

CHRISTOPHORUM BERNARDUM,

Epiſcopum Monaſterienſem, Adminiſtratorem Corbeienſem;

E T

F E R D I N A N D U M

Epiſcopum Padibornenſ. Comitem Pyrmontanum.

In Viſurgi flumine inter Corbeiam & Beverungam ratibus obviis convenientes, & navale convivium celebrantes, Anno M. DC. LXIII.

E L E G I A.

Viſurgis loquitur.

VEnit pulchra dies & priſco concolor auro,
Venit, & in noſtris lux nova fulget aquis.
Lux mihi fatidicis promiſſa è quercubus olim,
Sevit in Auſoniis quas DEUS ipſe jugis;
Impia cùm patrias rediit Dodona ſub umbras,
Oraque Chaonii conticuêre Jovis:
Aureus hinc illis color & cæleſtis origo,
Et caput ad ſuperas exeruêre faces;

Nunc

Nunc & adoranti fundunt oracula mundo,
  Quæ ſolum & unda tremunt, Styx pavet, aſtra probant.
Fauſta dies, quæ poſt ferri tot ſæcla, tot æris,
  Solibus antiquis æmula ſurgis, ave!
Aöniæ reſonate fides, reſonate Camœnæ,
  Clangite nunc hilares per vada noſtra tubæ.
Edite tympana rauca ferox & amabile murmur,
  Tympana belligeros ſueta ciêre viros:
Aſt ubi pax rediit pueriles docta lacertos,
  Tortaque Pygmæâ verbera ferre manu.
Macte puer torvo ore, ſuperciliوque virili,
  Martia cum rigidis pellibus æra quate.
Ut crepitant armatæ hyemes, nimbique ſonori,
  Grandine ſublimes percutiente domos;
Brachia ſic agili Corybantibus æmula pulſu,
  In numerum æriſoni tundite terga bovis.
Pax docet innocuos belli ſimulacra puellos,
  Martis opus teneras pax docet alma manus.
Innocuis canat illa tubis, innoxia mittat
  Fulmina, dum Bromii dulcia bella calent.
Chriſtiadum generoſa phalanx Germanica pubes,
  Obvia barbaricis enſibus atque rogis;
Impia tu noſtris Turcarum examina Nymphis,
  Tu prohibe Scythicas tempus in omne faces.
Sanguine Threïcium mare decolor augeat Iſter,
  Barbaraque ultrici corpora vectet aquâ:
Me juvat in nitidis liquor hic argenteus undis,
  Et ſpeculum ripæ lympha beata ſuæ.
Dicite io Pæan! nemoroſi applaudite montes,
  Plaude repercuſſis Nympha jocoſa ſonis.
Flumina quot piſces, quot habent mea litora frondes,
  Gaudia ridenti jam tot in amne natant.

Ecce triumphalem emittit Corbeia Phaſelum,
Inque ſinu noſtro dûlce reclinat onus.
Siſtite nunc rapidi curſus, adverſaque tantæ
Unda rati, placidum ſtans imitare lacum.
Ludite corniger per amœna cacumina cervi,
Ludite ſecuræ per mea luſtra feræ.
Provehitur pulchrâ juvenum comitante catervâ,
Invicto fulgens enſe, pedoque Pater:
Qui rabidas Erebi furias, nigroſque tumultus,
Tiſiphoneſque comam, Cerbereaſque jubas,
Exilium ſacris patriiſque minantia Divis,
Noctis in æternæ compulit ire chaos:
Cùm rueret cæco præceps Mimigroda tumultu,
In Phlegethonteos interitura rogos.
Cingat honoratos victrici fronde capillos
Nympha, cui dulces laurus opacat aquas;
Nos Tua civili redimîmus tempora quercu,
Servatis decet hæc civibus umbra caput.
Sed propiore Deo præcordia noſtra caleſcunt:
Vah! mihi fatorum nunc adyta alta patent.
Majus opus, Vir magne, moves, majoribus auſis
Laudis inacceſſum culmen adire paras.
Danubius ſua vincla quatit, tuaque invocat arma,
Liber ut Euxinis immoriatur aquis.
Chriſtiadum Thracumque acies, infernus & æther
Concurrunt, pugnas orbis uterque ciet.
Cerno cruentatos immenſo ſanguine campos,
Magnaque demerſos flumina ſiſtere equos;
Cerno truci rabidos letho immugire tyrannos,
Dum ſubit admorſam ſpiritus ater humum.
Quis tibi tunc animus, quod magni pectoris œſtrum,
Qualis erit ſacro mentis ab igne calor?

Odryſiam cupies Aquilæ ſubmittere Lunam,
  Et fera Cæſareo ſubdere colla jugo;
Romaniſque Aſiam Europæ committere ſacris,
  Et rapta æterno reddere templa DEO.
Aſt aliter viſum Superis: pax mira coïbit,
  Solvet & incuſſo barbara regna metu.
Creſcit in oppoſito laurus Tibi cardine mundi,
  Perpetuæque viret laudis amœna ſeges.
Magnus in Arctoï ſtabulatur litore Ponti,
  Quem timet omne ſolum, quem tremit unda, Leo;
Quem neque finitimæ valuerunt perdere gentes,
  Nec tot ab Heſperiis arma virique plagis;
Incubat immenſo nunquam ſaturabilis auro,
  Et vigil avectas undique ſervat opes.
Ibis in exertos pugil imperterritus ungues,
  Ibis in arrectas Marte ſtupente jubas;
Oraque, terribili ſeſe pandentia rictu,
  Tot bellatorum cæde cruenta virûm.
Plura tenebroſâ caligine fata recondunt,
  Et jubet ad molles Muſa redire modos.
Obvius Heroï fluit Heros amne ſecundo,
  Noſter amor, Paderæ gloria, & Amiſii:
Quem præceps Anio, quem Liris, & Arnus, & Umbro,
  Et Tiberis Nymphis invidet ipſe meis.
Jamque Duces medio coëunt in flumine, ſacras
  Fidus amor dextras jungit, & unda rates.
Fraterno geminæ coaleſcunt fœdere mentes,
  Hic mihi jam Pollux, hic mihi Caſtor erit.
Æmula ſi patriæ dant illi tempora plumæ,
  Navibus hi noſtris candidiora dabunt.
Ergo coronati convivia ferte phaſeli,
  Ferte tubas, lituos, tympana, vina, dapes.

Ro-

Robur amicitiæ veteranus firmet Iacchus,
Qui pleno in mediis ore bibatur aquis.
Teutonicos aliter vetat uſus condere ſoles,
Cùm feriunt magni fœdera ſanctà Duces.
Cantatum ſatis eſt. Citharæ ſuccedite noſtræ
Æriſonæ pelles, clariſonæque tubæ:
Alternis certate choris, movet arma Lyæus,
Prælia dum fervent, claſſica læta ſonent.
Ad numeros cyathi moveantur, & ora frequentent,
Et natet in cyathis vita ſaluſque Ducum,
Utraque feſtivis reſonet clamoribus alnus,
Et referat madidas garrula ripa preces:
Vivat ALEXANDER, vivat LEOPOLDUS, & omnes
Qui tantos Reges Pontificeſque creant.
Vocibus his colles & ſaxa canora reſultent,
Sic hilarem ducant orgia fauſta diem;
Donec inexhauſto Phœbum ſubducat Iacchò,
Frangat & everſos Luna maligna ſcyphos:
Intereà mihi fatidico quod pectore prurit,
Intempeſtivo num licet ore loqui?
Attamen hæc tacito bibet auris pauca ſuſurro
Principis invicti, quem Mimigroda colit;
Hic Salomon Tibi, Magne David, cùm fata vocabunt,
Hic tibi Pompilius Romule mitis erit.

AD FERDINANDUM

Epiſcopum & Principem Padibornenſem, Comitem Pyrmontanum.

DE ACIDULA PYRMONTANA.

COlle ſub umbroſo patulis quæ proſilit arvis
Pyrmontana tui me tenet unda ſoli,
Unda ſalutiferis irrorans hauſtibus artus,
Et jecoris rabidam nata levare ſitim,
Fæcibus & lentis tumidum expurgare lienem,
Eſuriemque pigro reddere ventriculo,
Corporibus morbos, animis depellere curas,
Parcarumque breves ſiſtere docta colos.
Miramur rapidum generoſi fluminis œſtrum,
Et murmur reſonans, vimque furentis aquæ;
Cui ferrugineus vapor incubat, ac velut æſtu
Ignis inardeſcens frigida lympha micat.
Crederet Ætnæos tibi Nympha ſubeſſe caminos,
Ignotum carpens forte viator iter.
At mihi dulce gelu per viſcera perque medullas
Serpit, & incluſo liberat igne jecur.
Talis erat priſco ſæclis fulgentibus auro
Captata innocuâ lympha beata manu,
Cum lucri furor, ac dominandi ſæva libido
E Stygiis nondum proſiliiſſet aquis;
Nativas cùm ſylva dapes, humus herbida ſomnos
Præbuit, & faciles antra dedêre lares.

Hîc

Hîc quoque nonnulla eſt ævi melioris imago,
  Cultus & antiquis mos revireſcit avis.
Eſt procul hinc luxus, fatuæque ſuperbia vitæ,
  Oblita eſt blandos aulica Suada dolos.
Obſidet hîc nullus Magnatum limina faſtus,
  Suſtinet exiguâ Dux habitare casâ.
Aurea libertas pictis ſpatiatur in arvis,
  Et caput attollit ſemiſepulta Fides;
Rident prata, nemuſque, ſerenus ridet & æther,
  Candidus & læto ridet in ore jocus.
Dulcis, ave, FERNANDE, tuis à fontibus: hîc Te
  Promptior irriguo gutture Muſa canet.
Hîc Aganippæos videor mihi ducere ſuccos,
  Hunc tetigit campum Bellerophontis equus.
Fontibus Aönides gaudent Vateſque canori,
  Muſa quoque in fontes ingenioſa tua eſt.
Quis caput Amiſii, Paduli quis noſceret undas,
  Si tua pro Nymphis muta Camœna foret?
Marmora docta tibi naſcentia flumina debent,
  Flumina carminibus nobilitata tuis.
Attamen imber edax abolebit, & atra vetuſtas
  Marmora: poſſe mori carmen & unda negant.
Sit tibi carminibus, ſit par tibi fontibus ætas,
  Ut tibi vena fluit, ſic tua vita fluat.
Vena fluit placido dulcique ſimillima rivo,
  Currat inoffenſo vita beata pede.
Vena poteſt vivo minùs exareſcere fonte,
  O utinam vitæ lex foret illa tuæ!
Sed quia lethiferi ſtant jura adamantina fati,
  Aurea Te ſerus veſper in aſtra vehat.

AD

Sereniſſimum Ducem Brunſvicenſem ac Luneburgenſem

JOANNEM FEDERICUM,

PARAPHRASIS PSALMI CXXVII.

Quam optimus Princeps ſecretiori ſcrinio dignatus eſt, neque multò pòſt Vatem exoptatarum nuptiarum nuntio beavit.

SÆpe fallacis vaga fauſtitatis
Vota deludit jocularis umbra,
Par levi vento, volucrique conſi-
millima ſomno.

Beati omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis ejus.

Muſa tu veram mihi dic beatæ
Semitam vitæ: quater ille felix
Quem DEI ducit timor æviternas
Callis ad arces.

Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit.

Magne dux acres tua per labores
Sceptra, quæ vibras, bene conſecute
Herculis ritu, cluis invidendâ
Sorte beatus.

Uxor tua ſicut vitis abundans: in lateribus domûs tuæ.

Si tui conſors generoſa regni
Uxor accedat, (nimis heu moraris!)
Prole formosâ veluti racemis
Vitis abundans:

Si Tibi lætam ſoboles beata
Ambiat menſam, veluti novellæ
Æmulum pingui decorant Venafro
Tybur olivæ.

Filii tui ſicut novellæ Olivarum: in circuitu menſæ tuæ,

Iſta ſors juſtum manet ac tenacem
Principem veræ fidei, timentem
Regis æterni dominantiumque
Principis iras.

Ecce ſic benedicetur homo: qui timet Dominum.

Ille felices tibi præſtet annos,
Ille te pulchrâ faciat parentem
Prole, venturos tibi donet ante
Fata nepotes.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ.
Et videas filios filiorum tuorum: pacem ſuper Iſraël.

AD FONTEM MELLITUM
ACIDULÆ SMECHTANÆ,
in Diœceſi Paderbornenſi.

FOns in umbroſo venerande luco,
Jam diu Phœbo ſacer, ac Saluti,
Qui levas feſſum jecur, & palato
Mella propinas
Atticis longè potiora ſuccis,
Quos per Hyblæos ſtudioſa colles
Turba formoſi populata florem
Condidit anni.
Montis intonſi decus & voluptas,
Cujus extremo pede, bullienti
Proſilis æſtu, gravis è metalli
Divite venâ;

Principem ſerva mihi FERDINANDUM,
PATRIÆ PATREM, tua concinentem
Nobili plectro, tua mella pleno
Ore bibentem.

HYMNUS
DE SANCTO JOSEPHO.

VIrginis purâ nive purioris
Nate mirando generate partu,
Virginis Sponſum canimus beatæ,
Accipe carmen.
Hic enim cuſtos nivei pudoris,
Virginem ſervans thalamum, tuæque
Matris intactum ſine labe florem
Virgo Maritus.
Te caro factum ſine patre VERBUM
Vidit in cunis, tenerumque dulci
Strinxit amplexu, roſeiſque fixit
Oſcula labris.
Mox per horrendos furialis enſes
Regis, infantum tepidos cruore
Te neci diræ fugiens ademit
Nocte ſilenti.
Indè per duros aluit labores
Te velut fabrum faber, atque vaſti
Fabricatorem ſua vidit orbis
Ligna dolantem.
Lætus exacto moriturus ævo,
Te tenens dextrâ, Dominamque lævâ,
Oribus ſacris animam legentes
Fata peregit.

Hujus exaudi prece nos, tuique
Scribe mi JESU gregis, & frequenti
Labe pollutam meliore vitam
Morte corona.
Vivat æternùm Triados beatæ
Laus, honor, virtus, decor, & poteſtas;
Cælitum plaudat chorus, ac triumphet
Omne per ævum.

AD
AUGUSTINUM FAVORITUM,
De diverſoriis Herivordiæ civitatis Weſtphaliæ.

QUas mea delicias, quæ diverſoria quæris
Weſtphala terra ferat? Rem paucis accipe. Nuper
Me Mindâ egreſſum vetus urbs Herivordia primis
Excepit tenebris poſt lubrica multa viarum.
Nox & hyems, laſſique artus & venter inanis,
Proxima cauponis me tecta ſubire jubebant,
Haud inhonorato fungentis munere; namque
Caupona hîc Patrum eſt, non vilis cura popelli.
Officioſus adeſt, meque introducit in ædes,
Mox hypocauſtum aperit: Nioben habitare putares,
Cella tot hæc pueris, tot erat differta puellis.
Hæc ululat, rident aliæ, crepat hic nate fiſsâ,
Cogitur hic ſomnos agitatis ducere cunis,
Mille alii crepitus, clamores mille ciebant.
Aufugio ſtomachans, & ſola cubicula poſco.
Ut libet, hoſpes ait: vaſtam me ducit in aulam,
Squalidam & informem, nec egentem pulveris atri.

Pendula de muris aulæa pararat Arachne.
Frigore torquebar; longo tandem excita flatu
Emicat, atque atrum fuligine flamma caminum
Corripit. accurrunt: ingens imponitur igni
Cacabus, ut mihi Vulcanum ſimul atque camino
Defendat; vix jam ſtomachum voceſque tenebam.
Interea veluti ſponſum opperiente culinâ
Fervet opus, multum ſtrepitûs, rerum nihil. urget
Me rabioſa fames: plures latraverat horas
Ventriculus, cùm menſa tripes parva atque rotunda
Ponitur ante focum, modicis illata patellis
Fercula procedunt, pultes, fumoſaque perna,
Nigrum fertur olus nigro farcimine cinctum,
Accedit gallina recens jugulata, nec illam
Hoſpes erat doctus vivam merſare Falerno,
Dura fatigabat dentes miſerumque palatum.
Neſcio quid cœnam claudebat quiſquiliarum.
At miſeram Sabaia ſitim cruciabat, & acris
Vappa inſtar veteris frontem caperabat aceti.
Ipſa mihi jam feſſa malis patientia ſomnum
Corporis atque animi ſuadebat mite levamen.
Hoſpita tum lento, ceu Junonis ſacra ferret,
Ingreditur, ſuſpecta gerens mihi lintea, paſſu.
Ah! inquam, propera mihi lectiſternia mater,
Aurea; reſpondens multis ambagibus illa
Præfatur, veluti pro Roſtris, ſe & ſua laudans.
Inde pari inceſſu, qualis cùm corpore tectum
Molitur teſtudo ſuum, procedit, opuſque
Aggreditur, multa ancillæ præcepta ferebat:
Quæ dum fortè moras plus juſto ſedula rumpit,
O ſtolidum caput! aiebat: nonne hoc tibi centum
Edixi vicibus? properas nimis, omnia turbas.

At mihi prorumpens turbabat viſcera bilis.
Tandem compoſitis magno molimine ſtratis
Expediunt ſcopas: mediis quid noctibus ædes
Verritis? exclamo; ſic fas eſt, hoſpita lentâ
Voce refert, mundis laribus proceres decet uti.
Denſa pavimento nubes it in aëra tetri
Pulveris, hæc nares atque ora oculoſque manebat
Munditiës tortura meos. O denique dulcis
Poſt mala tanta quies! O blanda inſomnia Tybur,
Et juga Telegoni, & Triviæ nemus, Itala Tempe,
Albanosque lacus, & dulcem ante omnia Romam!
Mox & ALEXANDRUM referentia, qualis in alto
Conſpicuus ſolio pedibus devota ferentes
Oſcula, & imperium majeſtatemque trementes
Chriſticolas blando alloquio vultuque ſereno
Excipit, & voces facili bibit aure precantûm.
Ludite tam dulci me ſemper imagine noctes,
Dum procul Italiâ, procul Urbe Urbiſque Parente,
Weſtphalicæ ſedes me cauponæque tenebunt.

PLANCTUS
IN FUNERE
ALEXANDRI VII.
PONT. OPT. MAX.

QUalis in molli periturus herba,
Fata cùm claudent oculos, iterque
Vocis, extremas olor ad querelas
Ora reſolvit,

Qua-

Qualis & fluxos recinens amores
Ipſa fleviſti miſerante Lesbo,
Ultimum poſthac tacitura Sappho
Incipe carmen.
Occidit, (crebri perimunt in ore
Verba ſingultus, geminoque ſalſæ
Fonte labentes, nivis inſtar, undæ,
Vere ſolutæ:)
Occidit Mundi Pater ImperIque
Maximi cuſtos, decus omne blandis
Lesbidum chordis, cytharæ voluptas
Unica noſtræ.
Impares Muſæ, (niſi docta vobis
Additur Sappho) lyricique Vates
Quotquot atratum canitis per orbem
Jungite queſtus.
Ah! ALEXANDER, tua quò receſſit
Candidi vultus nitido decori
Mixta majeſtas, oculiſque vibrans
Fulgor acutis?
Læta quò frontis ſpecies amaris
ImperI nunquam violata curis,
Par & Orphæis fidibus beatæ
Gratia linguæ?
Quò pium, conſtans, placidumque pectus
Pluribus dignum dare jura Mundis,
Et ſimul Muſis & Apollini gra-
tiſſima ſedes?
Ultimæ lugent tua fata gentes,
Frigida longè poſitæ ſub Arcto,
Quæque flammantis propiore ſolis
Axe caleſcunt.

Flens

Flens & æternæ monimenta famæ,
Urbis Auguſtæ decora alta, priſcas
Cæſarum moles imitata divûm
Sacra tropæa.
Ipſa te peſtis procul effugata,
Et fames, & Mars, & amicus auri
Ambitus Ditis reverentur imi è
Sede profunda.
Ah ALEXANDER mea lux! quid ultra
Noſtra teſtudo ſua fila tendet?
Auribus blandi quibus obloquentur
Carmina nervi?
Viximus dulces cytharæ, ſupremus
Barbiton rumpat dolor, ut vorantes
Pallidos artus & inane corpus
Augeat ignes.

AD
FERDINANDUM
Epiſcopum & Principem Paderbornenſem, Coadjutorem Monaſterienſem, &c.
ODE
De Driburgi deliciis & ſuæ Celſitudinis laudibus.

TEutonum ſaltus, acidaſque noſtræ
Fontium venas repetunt Camœnæ,
Et per umbroſos nemorum receſſus
Frigora captant,

Tinnulis blandè fidibus canentes
Inter argutas volucrum querelas,
Calle ſaxoſo fugientis inter
Murmura rivi.
Adſtrepunt lenes Zephyri ſuſurri;
Fluctuans denſis ſeges alta ſpicis
Annuit, picto variata rident
Gramina flore.
Mille dum laudes Tibi FERDINANDE,
Lesbiæ concors modulis Puellæ
Grata teſtudo canit icta noſtræ
Pollice Muſæ.
Ut Driburgenſi decori eſt popello
Pinguibus naſcens faba multa campis,
Et ſacri fontis liquor, & vetuſti
Rudus Iburgi.
TE Tuis ſummum decus eſſe terris,
Omnis hic cantat chorus, omnis ætas,
Et cavæ rupes, & amicta flavis
Meſſibus arva.
Nempe TE crebras vigilante noctes,
Et Tuis pacem redimente curis,
Tutus & pagos ſopor & quietas
Occupat urbes.
Otium gaudens agitat juventus,
Otio felix fruitur ſenectus,
Carpit immunes pecus otioſum
Suaviter herbas:
Quæque fallaces alibi per artes
Sanguinem plebi Patribuſque paſſim
Ebibunt, vafræ bene TE ſecantur
Judice lites.

Quæ-

Quæque veſanis animos potentum
Semper irritat ſtimulis voluptas,
Omnibus ventri placitura quærens
Pabula terris:
Nec peregrino ſatiata Baccho;
Nec mari vaſto, aut ſtabulis ferarum,
Blanda TE peſtis fugitat, Tuâque
Exulat aulâ.
TE juvant cantus, citharæque Phœbi,
Et ſuſurrantes Heliconis umbræ,
Et coronatæ TIBI feſta præbent
Gaudia Muſæ.
O Sacrum Regni decus! O Deorum
Vita! quæ ſævis potior triumphis,
Orbe terrarum feret ac Olympo
Judice palmam.

AD
FERDINANDUM
Epiſcopum & Principem Paderbornenſem, Anno M. DC. LXI.

Ne artem Poëticam fortunæ ac dignitati ſuæ indecoram exiſtimet.

QUalis in fulvo peregrinus auro
Splendor Eöi lapidis coruſcat,
Et repercuſſum tremulo laceſſit
Lumine Phœbum;

Ta-

Talis auguſto in ſolio renidet
Fœdere inſigni ſociatus altis
Barbitos ſceptris, & Apollinari
Inſula lauro.
Gaudet argutæ fidibus Camœnæ
Læta Majeſtas, gravidamque curis
Explicat frontem, populoſque blando
Temperat ore.
Largus ingentes animare grandi
Spiritu Heroas, Deus ipſe Regum
Corda facundos agitante Vates
Concitat æſtu.
Teſtis inſani domitrix profundi
Principis magni lyra, fabuloſi
Thracis irridens remorata pronos
Carmina rivos,
Quæ per undoſum ſine fraude Pontum,
Calle ſiccato, ſolidos utrimque
Vitreâ muros imitante lymphâ
Mille phalanges
Duxit, & rurſum coëunte fluctu,
Nereum ſacrâ feriente virgâ,
Obviis hoſtes temerè inſecutos
Obruit undis.
Senſit horrendo furiatus œſtro
Fila Jeſſææ cytharæ Tyrannus
Sæpe pacato pepuliſſe ſævum
Pectore Ditem,
Fila regali modulata dextræ,
Quâ Giganteæ data plaga fronti,
Quâ Philiſtæo cecidere fuſæ
Pulvere turmæ.

Gen-

Gentis ô noſtræ Pater atque Princeps,
Sanguis Heroum, geniale ſummo
Perge ALEXANDRO, ſenibuſque ſæclis
Pangere carmen.
Invidi dentes canis, irritoſque
Sperne latratus, velut obſtrepentes
Attidum nidis reſonans canoris
Sylva paludes.
Dum Quirinales tibi, Tuſculæque
Annuant lauri, Paderæque flavus
Tybris, & præceps Anio, Thetiſque
Omnibus undis
Plaudat, & Phœbus *juveneſque Muſæ*,
Horridum bellis, & adhuc calentem
Sanguine Arctoo, atque iterum ruentem in
Prælia Martem,
Dulcibus captum modulis amœnâ
Valle reclinent, ubi ſæva blandus
Tela furetur ſopor, ac inermes
Vinciat artus.
Sic Tibi puri ſine nube ſoles,
Sic ALEXANDRO nova ſæcla priſco
Rideant vultu, domituſque Romam
Mundus adoret.

AD

Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Præſulem

VALERIUM MACCIONIUM,

Epiſcopum Marrochinum.

ODE.

NUlla te mentis rabies avaræ
Exigit, fulvum ſapienter aurum
Spernis & gemmas, date Præſul atris
Candide Mauris.

Altior ſacrum tibi cura pectus
Igne cæleſti coquit, ut peruſtos
Ire Gætulos cupias, & Afras
Viſere Syrtes.

Impio fretas Mahomete gentes,
Grande Divini pretium cruoris,
Victimas diri miſeraris Orci
Ire ſub umbras.

Tanta te ſtrages populi ruentis
In tenebroſos Phlegethontis ignes
Urit, & ſanctum tibi cor acerbo
Vulnere findit.

Parvulæ talis jecur & Tereſæ
Flamma ſuccendit, properantis almâ
Morte venalem Libycis in oris
Quærere laurum.

Vidit

Vidit invicto generoſiorem
Regulo, & Paulis, animæ tenellæ
Prodigam infantem DEUS, & ſereno
Ore renidens,
Siſte ferventes, animoſa virgo,
Impetus, dixit: mea te pharetra
Dulcibus telis gravis, incruento
Fine beabit.

AD
HORTENSIUM MAURUM,
SERENISSIMI PRINCIPIS
GEORGII WILHELMI,
Ducis Brunſvicenſis ac Lunæburgenſis,
Familiarem.

ODE.

NE ſalebroſos tibi ſit labori
Maure venando peragrare ſaltus,
Et per abſtruſos nemorum receſſus,
Præpete curſu
Conſequi cervos, pavidaſque damas,
Et ſues ore ignivomo timendos;
Geſtit hibernos ita noſter Heros
Condere ſoles,
Imbrium, & canæ patiens pruinæ,
Et vagos Cauri glaciantis amnes,
Dum laborantes nivium pererrat
Pondere ſilvas.

Dulcis excelſo eſt animo canum vis,
Dulce latratu reſonare montes,
Dulce ſetoſum furialis apri
Figere pectus.
Sanguinis clari generoſus ardor
Æſtuat venis, & amat periclum:
Inclyta aprugno cecidere dente
Fulmina belli.
Teſtis eſt Thracum domitor Serinus
Tot cruentatus rapidis Scytharum
Cædibus, diro à ſue qui peremptus
Occubat umbris.
Maximum nobis ſoror alma Phœbi
Principem ſerva, tege tu ruentis
In feras carum latus, impetuſque
Siſte feroces
Mentis auguſtæ; Pylios ut annos
Patriæ vivat Pater, ac triumphet,
Vive tu noſtræ memor & Camœnæ
Maure, valeque.

AD FERDINANDUM

Epiſcopum & Principem Padibornenſem, Coadjutorem Monaſterienſem, Comitem Pyrmontanum, &c.

ODE.

LUſimus veſtros latices, & umbras
Tuſculi quondam, mea vita, colles,
Teque clamoſis Anio ruentem
Luſimus undis.
Muſa nunc celſæ mea ſervit arci,
Quam Padus circumfluit, ac Aliſo
Blandiens hortis, & utrâque creſcens
Luppia Nymphâ.
Qualis Alcmenâ ſatus expetitos
Proſilit cunis puer ad labores,
Et Gigantæos animoſus infans
Exerit artus;
Luppiæ tales Paderæque fontes
Editi magnæ gremio Parentis
Mox rotas verſant, Cereremque conterentia ſaxa.
Altius ducens genus è nivoſis
Montibus, multas Tibi, FERDINANDE, admurmurat grates, tua quem Camœna
Dixit, Aliſo.
Hi pererrantes tua rura lætas
Educant herbas onerantque menſas

Terga ſtellatis maculoſa trutis
Dapſilis hami
Fraude deceptis; ſcatet his per omnes
Lympha convalles, Tua quà refulget
Jura ſubjectis veneranda reddens
Inſula terris.
AmisI fontes Tibi, Dimolæque
Tractus, & centum famulantur amnes,
Ipſus undarum Tibi ſervit omni
Mole Viſurgis.
Hîc ubi lætos Beverunga montes
Veſtit, & ſilvis tegit aut ariſtis,
Qui Tuas inter mihi dulcè ridet
Angulus oras.
Hîc decet nigras ſepelire curas,
Hîc juvat fractas reparare vires,
Hîc placet vernos mihi Te canendo
Condere ſoles.
Sapphicos Phœbo Polyhymniâque
Luctor invitâ properare verſus,
Parce defeſſam lyra ſtulta riſu
Rumpere Lesbon.

POEMATA
POSTUMA
NATALIS
RONDININI,

ALEXANDRO VII. P.O.M.

ab Epiſtolis ad Principes.

ELOGIUM NATALIS RONDININI.

NATALIS RONDININUS, ingenii & morum, & fortunæ ornamentis, in paucis quos noſtra tulit ætas, illuſtris ac memorabilis fuit. Eo genere Romæ natus, à quo ſumere ſibi potuit omnia, quibus ipſe ſe, & ſuos clariores faceret. Nam neque avitæ illi res & imagines defuerunt, quas ad exemplum intueretur aſſiduè; neque alta accenſaque laudis ſtudio indoles, quæ directis viis euntem impelleret ad faſtigia præmiaque Virtutum. Verùm mihi conſilium non eſt funebrem laudationem, quam meretur, inſtituere. Naturam & artem, magiſtras optimas, imitabor, quæ res magnas & varias in anguſto nonnumquam exhibent. In annulo gemmam geſtaſſe fertur Pyrrhus, in quâ novem Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia. Sylla Dictator traditione Jugurthæ ſemper ſignavit. Punctis omnia veriùs, quàm lineis deſignabantur, cùm idoneus ſitus ac ſtatus attribui in tam arcto ſpatio nulli poſſet. Referam & ego ſimiliter in has pagellas de Rondininis contractè aliquid & exiliter, magno inter me & cælatores diſcrimine, quòd hi corporum tantùm diſpendio res ſuas effingant; ego animorum atque virtutum.

GENUS ſuum Rondinini ad Cribellos referunt,

 no-

nobiliſſimam apud Mediolanenſes familiam. Ut unum pro multis dicam, abhinc annos propè quingentos honoribus, clientelis, opibus abundans, Urbanum III. Pontificem Maximum orbi dedit. In gentili parmâ hirundines præferunt, teſſeram ſive ex cognomento, ſive ex eventu natam; cribra præterea, demiſſæ à Cribellis originis, & nobilitatis inſigne. Diverſa quidem his & illis appellatio, nec eadem ſemper habitationis ſedes: ſed nimirum & fluvii interdum, quaſi alii à ſe ſint, non idem ſervant nomen, quibus eadem tamen ſunt fontium capita, idem aquarum ſplendor. Neque ſi ſurculus in aliud ſolum depangitur, non ab eodem à quo revulſus eſt ſtipite genus ducit. Mediolano in eam Italiæ regionem, cui via Flaminia nomen fecit, traductos, Faventia primùm excepit, deinde Roma, ingeniis aliunde adventantibus apertiſſima & perhoſpitalis. Et habet hoc illa princeps urbium & terrarum, ut communis omnium patria dici & eſſe velit; non ignara, ut conſtituta olim ſit, ut aucta, ut coalita ex variis quaſi elementis in unum corpus, advenis fortuitò coëuntibus in civitatem acceptis. Extulere Rondininos duo, pacis & belli artes: quarum utra plus illis ad gloriam valuerit, nihil attinet definire. Satis conſtat neque ſapientiæ fortitudinem, neque fortitudini ſapientiam dignitate cedere. Patrem habuit Natalis Alexandrum, virum eximiâ in agendis rebus prudentiâ, & præter generis ſplendorem, omnibus elegantiorum literarum diſciplinis excultum. A Natale avo ſuo nomen accepit. Is primus è ſuis ſedem rerum & fortunarum ex illâ, quam dixi, Italiæ Ciſpadanæ parte, Romam tranſtulit in comitium ac forum orbis terrarum. Ad tractandas res natus videbatur, naturâ æquè ac diſciplinâ conſultus. Quæ optavit, videri potuit aſſecutus omnia, non quòd

quòd poſſideret, ſed quòd eâ eſſet moderatione animi, ut nihil appeteret; ſuus ſemper, nulli obnoxius, ab honorum ſtudio alienus, virtute quàm ejuſdem præmiis ornatior. Cujus rei fama, cùm graviſſimorum munerum adminiſtrationem plurimi peterent, Summos Pontifices in illum primò non petentem, deinde ut inclinata ad quietem ſtudia viderunt, etiam recuſantem convertit. Clementis VIII. juſſu, Romani fori diſciplinam ſuo ſplendori nitorique reſtituit: recîdit corrupta, integra roboravit, ſtabilivit antiquos & convenientes tribunalium majeſtati mores. Ad annum uſque centeſimum, grande mortalis ævi ſpatium, vitam protulit; ſummâ ſemper dignitate, nullâ auctoritatis imminutione. Neque enim omne vinum, neque ætas omnis, vetuſtate vigorem exſpirat. Viguit animo & corpore vir moderatiſſimus, uſque eò, quoad opus ipſa ſuum eadem, quæ coagmentaverat, natura diſſolveret. Legationes, alterum togatæ ſapientiæ munus, & nobilitatis ornamentum, famam quoque Rondininis confecerunt. Nicolaus, multiplici rerum cognitione, & uſu, & ſingulari eloquentiâ præditus, apud Venetos Legati munere perfunctus, ampla negotia tractavit, ſummòque in honore habitus eſt. Eò majori illud ponendum in laude, quòd non alibi diligentiùs Legatorum dicta factaque obſervari dicant, ac propterea Venetiæ optima habeantur palæſtra, è quâ prodire Legati quàm inſtructiſſimi poſſint. Laudat Nicolaum Marcus Guazzus in Commentariis ſuis vernaculâ Italorum linguâ conſcriptis, qui è privatis eruditorum ſcriniis & bibliothecis nondum exierunt. Bartholomæi Rondinini prudentiæ & fidei oblata eſt tempeſtas difficillimi temporis, quo Cardinales aliquot coïtione temerè Piſis factâ, Julii II. Pontificis Maximi auctori-

ctoritatem labefactatum ibant. Erat is è S. Dominici familiâ, Theologiæ & Juris Pontificii ſcientiſſimus: præerat ſummâ cum poteſtate Congregationi Tuſciæ à S. Marco nominatæ, atque unà cum viris aliquot doctrinâ conſilioque pollentibus per idem tempus Piſas ſe receperat. Stabant pro Cardinalibus Reges quidam: ſpargebant in Pontificem criminosè multa: ruebant contrà in illos Pontificia fulmina, tamquam facti à Romanâ Sede divortii reos. Magnæ erant in illis fluctibus jactationes animorum, offenſiones in vulgus magnæ, in tantâ præſertim partium contentione atque dignitate: Piſis in primis, ubi res gerebatur, & in partes vocabantur Clericorum & Religioſorum hominum ordines. Sub initium, quid ſequerentur, conſtituere ſatis Piſani non poterant. Ad Bartholomæum (tanta erat viri apud omnes auctoritas) cauſam detulere, in ſententiam, quamcumque is ingrederetur, conceſſuri. Hæc dum gerebantur, potentes intereà ac factioſi ſollicitare optimum Patrem, primò molliùs, gratiæ & honorum certâ ſpe; deinde acerbè, multa ac metuenda minitando, ut irritati ſolent animi ſtomachum poſt perditas blanditias effundere vehementiùs. Sed ad labefactandam fidem ſpes & metus excellenti animo juxtà valent. Nihil igitur ille obnoxiè dicere, propalàm obviàm ire obſtinatis conſiliis, adverſarios vi argumentorum verecundiâque percellere: nutantes erigere, ſtantes confirmare: Pontificem eorum, quæ gerebantur, certum facere. Quod ipſi totique Cœnobio invidiæ & obtrectationi fuit, ac propè capitale. Nam etſi occultis viis literæ mittebantur, fieri tamen non potuit, quin earum aliquæ, tamquam hoſtiles manubiæ, ab urbis Præfectis interciperentur. Abſterſit periculi metum, quicumque is fuit, Cardinalium repentina diſceſſio,

ceſſio, Mediolanum conciliabuli ſui ſedem deligentium, ſive quòd cauſæ ſuæ admodum inviſos haberent Piſanos, ſive quòd hæc urbs adverſus Pontificia arma minùs tuta videretur, feſſa quatuordecim annorum recenti bello, & jam Gallicus equitatus in urbem intromiſſus hoſtilia feciſſet. Magnam peperêre Bartholomæo laudem Piſanæ res, qui cùm deinde vitâ conceſſit, non ſui tantùm reliquit apud omnes deſiderium, ſed, quod potiùs eſt, præclaram ſanctimoniæ famam. Bellicus quoque labor Rondininos illuſtravit. Materiam dedit converſio rerum ac perturbatio, cùm Romani Pontifices in Galliâ ſe haberent. Quæ inter potentiores certamina tum exarſerint, quæ viſa fuerint cælo terrâque prodigia, dici vix poteſt. Concuſſa eſt inteſtino bello Italia: belli non alia cauſa, quàm lubido dominandi: florentiſſimæ urbes, tamquam vacuæ poſſeſſiones, armis occupatæ: Carrarii Patavium, Mantuam Paſſerini, Canes Scaligeri Veronam, alii alia ſibi aſſeruerunt. Nicolaus Laurentii, ſcriba populi Romani, incertum ſtolidior an ambitioſior, in Tribuniciam poteſtatem ac jus Imperatorium invaſit, in eamque ſpem venit homo vaniſſimus, poſſe ſe multitudinem eludere in illis ſuis cogitatis furoribus inani jactatione libertatis. Ludovicus Bavarus injuſſu Romani Pontificis Joannis XXII. pro Imperatore ſe gerens Romam adiit: adverſus illum nefario conſilio alium Pontificem legit, ab eoque Imperii ſumſit inſignia. Deflagravit in monte Cælio Laterana Baſilica: cometæ, ſolis defectiones, peſtes, annonæ penuria terrori & exitio fuerunt. Tanto ſtetit Pontificem alibi quàm Romæ degere. In hac atrocitate temporum, armorumque licentiâ, conſilium, bellicamque virtutem, & in Romanos Pontifices fidem probavere Rondinini: Replicare memoriam annalium Latinè atque Italicè ſcriptorum,

ptorum, è quibus res eorum peti poſſunt, magni eſt operis, certè non hujus inſtituti aut loci. Nec poſteaquàm Pontifices Romam remigrarunt, cum Italis debellatum fuit. Eugenius IV. Pontifex Maximus bellis undique premebatur, ut vix ei reſpirandi facultas eſſet. Piccininus copiarum dux, Pontifici infeſtus, ingenio & armis ferox, populabundus vexabat Italiam: quidquid Mincio, Atheſi, Benaco & Sebino lacubus alluitur, magnâ ex parte ſubegerat. Per Æmiliam deinde Flaminiamque belli fragor intonuit. Bononia, Forum Cornelii & Livii, Ravenna, aliaque Pontificiæ ditionis oppida, ipſum etiam Picenum armis ejus inſeſſa. Victoriarum curſum cohibuit Boldrinus Rondininus, pugnandi æſtu cum ſuis mediam perfringens hoſtium aciem, vitæque periculum poſt virtutem habens. Nec defuit fortuna virtuti. Piccininum cepit, & Manfredo Faventino Regulo captivum duxit, ſive belli ludibrium, ſive victoriæ pompam. Vetera illa: hæc recentia. Joſephus Rondininus, Natalis noſtri germanus frater, belli ſacri incenſus cupidine, honorariæ militiæ rudimenta apud Venetos poſuit. Sicum Turcico ſervitio preſſum obſidebant, oppidum apud Illyricos in ſinu Scardonico, in conſpectu irrumpentis freti ad montis radicem poſitum, atque arce firmatum. Primus huc illum impetus rapuit, laboris æquè ac periculorum avidum. Inde ad Cliſſam admotus exercitus, quæ creditur Diocletiani fuiſſe patria, ab eo Diocletia dicta, & adhuc priſcæ appellationis extremum neſcio quid viſa retinere. Neque enim commentitium videtur, ſi Cletiam in Cliſſam degeneraſſe quis dixerit, poſt frequentes incurſiones barbarorum, urbibus æquè ac rerum nominibus multam labem inferentium. Quæ lacinia videri poſſit huic narrationi inconcinniter attexta,

niſi

niſi fortè, quando in hujus urbis mentionem incidimus, meminiſſe etiam juvet, unde homo immaniſſimus obſcurique generis ad Imperium emerſerit, qui Chriſtianam fortitudinem eò illuſtravit magis, quò acriùs ad illam opprimendam incubuit. Urbs in rupe naturali ſitu munita, capta ſæpiùs amiſſaque, cùm denuò ex Turcis recepta eſt, bellicis Rondininum præclarè exercuit. Mox enim Venetorum Senatus, honoris causâ, eum in Cretam ampliorem Martis campum evocavit, externaque Candiæ urbis munimenta ejus fidei virtutique commiſit. Exacuit generoſi juvenis animos data provincia, ut fermè prima militiæ præmia. Quam dum ſtrenuè ſuſtinet, Turcæ per obſcurum noctis, magno, ut ſolent numero, pari ferociâ illum adorti ſunt: tantoque ardore pugnatum fuit, ut valla ſauciis dilapſiſque propugnatoribus pænè nudata occupataque ſint. At ea res malè mox Turcis vertit haud ſanè inultis. Voce namque & manu Rondininus terrorem in hoſtem revocans, audaciam in ſuos, magnâ ſtrage barbaros propulit: dumque acriùs, ultràque quàm tutum erat, cedentes inſequitur, muralis tormenti glande proſtratus, ruinarum more, quæ ſuper id quod oppreſsêre franguntur, victor occubuit ingenti luctu ſuorum, anno M. DC. XLIX. VII. Idus Septembris; non illâ utique ætate tollendus, quippe qui annum ſecundum & viceſimium vixdum excederet, & admiratione militaris indolis in ſe veteres quoque milites converteret. Hæc aliaque habuit Natalis in paternâ domo bellicæ togatæque virtutis decora, quibus ad laudem accenderetur. Nec minorem in pectore aluit flammam memoria rerum maternarum. Felix Sachia ejus mater, perquàm illuſtri loco nata, majores habuit Vectiani in Liguriâ, aliorumque quæ circà ſunt oppidorum dominos, armis

ac

ac literis inclytos. Utriſque clarus fuit Laudivius Sachias, miles Hieroſolymitanus, & ut ingenii cultum in militari viro agnoſcas, Nicolao V. Pontifici, bonarumque artium fautori optimo maximo apprimè carus; electus quem cubiculo ac familiaritate æſtimaret. Alter Laudivius (ſunt quippe nominum æquè ac decorum retinentes familiæ) Felicis Sachiæ pater fuit. Conjuge è vivis ereptâ, primùm in Conſilii Pontificii conſeſſu advocationis jus adeptus eſt, deinde quatuor Pontificum præclaris judiciis commendatiſſimus vixit. Sub Clemente VIII. Curiæ Apoſtolicæ ærario pro Tribuno; ſub Paulo V. Pontificio Patrimonio pro Legato fuit: ab hoc etiam Epiſcopus Montis Faliſci creatus: à Gregorio XV. miſſus ad Venetorum Rempubl. Nuntius: ab Urbano VIII. admotus iterùm ærario, dein Pontificii Palatii Præfectus, poſtremò in ampliſſimum Cardinalium Collegium ſecundâ eorum nominatione cooptatus. Paulum Æmilium, Laudivii hujus fratrem, per varios quoque honorum gradus ad purpuram, ac propè altiùs evexit parta prudentia uſu rerum maximarum. Cùm adhuc adoleſcens in literis emineret, ac deinde juris cognitione primus inter æquales eſſet, & apertiore in dies famâ noſceretur, venit in ſermonem gratiamque Clementis VIII. Is in Cubicularios intimos eum retulit, quæ fuit ad res graviores quædam quaſi proluſio: pòſt ſignandis gratiæ cauſis cognitorem adhibuit: in Apoſtolicâ Curiâ delegatæ à ſe juriſdictionis judicem eſſe juſſit: inter Pontificii Conſilii Notarios, Participantes appellant, gratis allegit: Nuntium ad Catholicum Hiſpaniarum Regem extra ordinem miſit: tandem Cardinalem creavit, ſuo judicio dignè, ac merebatur, magnificèque laudatum. Cùm enim ejus merita breviter car-

carptimque repeteret, Juriſperitum ſanctiſſimo Purpuratorum Patrum Senatui à ſe adjungi dixit nulli ſecundum. Ergò illi jam purpurâ donato Pontifex ſumma quæque & arcana committere: conquieſcere in illius prudentiâ & fide: illum æſtimare ac diligere impensè. Amorem exiſtimationemque augebant quotidiana negotia proſperè expeditèque confecta. Inter hæc animus illi erat multâ humanitate temperatus, &, quo nihil eſt ad conciliandos homines accommodatius, beneficus ac liberalis. Faliſcorum Eccleſiam cùm regendam ſuſcepiſſet, inaugurationis ſollemnia Pontifex ipſe pro ſuo erga illum ſtudio in Lateranenſi Baſilicâ peregit: mox Epiſcopi munus Congregationis Concilii Tridentini Præfecturâ cumulavit. Tantâ ſapientiæ & integritatis famâ cùm floreret, & in Clementis VIII. locum ſucceſſor eſſet ſubrogandus, dignus habitus fuit, qui in Comitiis Vaticanis ſuffragia omnium mereri & ferre poſſet. Ita ſenſit ac ſcripſit Cardinalis Peronius literis ad Henricum IV. Galliæ Regem à ſe datis. At, quæ eſt rerum humanarum inconſtantia & brevitas, non multò utique longiùs in Pontificatu victurus fuiſſet, quàm, qui illum adeptus eſt, Leo XI. ſiquidem hic v. Kalend. Maii, ſeptimo & viceſimo ab electione die; ille prid. Kal. Junii, eodem uterque anno, quatuor tantùm & triginta dierum intervallo (juvat enim, ut pauperes tenuis ſummæ, ita per anguſti temporis rationem exactiùs inire) vitam unàque honores terminarunt. Videri poſſet alter Paulus Æmilius, Alexandri Rondinini & Felicis Sachiæ filius, hereditate adiiſſe avi & avunculi ſui purpuram, ſi ut fortunæ, ſic animi bona ad alios pervenirent. Sed & illum ſua virtus, ſua in Remp. Chriſtianam merita in Cardinalium Collegium aggregarunt. Adeò perennis ac pro-

pria eſt huic familiæ claritas & amplitudo, rarâ prorſus felicitate. *Una Pherenice*, ut memorat Plinius, *quæ filia, ſoror, mater Olympionicarum:* opprimit mentionem memoriamque laudis hujus Felix Sachia, filia, mater, cognata Cardinalium. *Una familia Curionum, in quâ tres continuâ ſerie Oratores exſtiterunt*: plus eſt, unam eſſe, quæ totidem habeat conſiliarios & judices orbis terrarum. *Una Fabiorum, in quâ tres continui Principes Senatûs*: majus, tres ex unâ in eum Senatum adſcitos eſſe, qui non modò Regum, quod aiebat Cyneas, verùm etiam Dei Divorumque conſeſſum referat. Sed me rerum maximarum inter ſe comparatio longiùs ferat: nunc ad narrationis ordinem venio. Felix Sachia Alexandrum Rondininum conjugem ſuum anno ætatis ejus primo & quinquageſimo adhuc ævi immaturum amiſerat, liberis novem relictis, cùm tota domus onus ejus eſſe cœpit. Quamquam hi orbi putandi non fuerunt matre incolumi, non ſpectatæ tantùm probitatis, ſed etiam doctrinæ feminâ. Quod Sempronio Graccho Cornelia; Martia Hortenſio; id Alexandro fuit Sachia. Nullo præceptore, ut docilitatis atque ingenii magnitudinem videas, ad diſcendas Latinas literas uſa eſt, ſibi dux & magiſtra, & antiquitatis tam profanæ quàm ſacræ diligens indagatrix. Curam igitur in liberorum inſtitutione eò majorem poſuit, quò & ipſa accuratiùs honeſtarum artium ſtudiis pueritiam, adoleſcentiamque excoluerat. Paulus Æmilius, & Joſephus, alter in purpurâ, alter in ſago, ut jam dixi, oſtenderunt quid benè provideque nutrita indoles poſſet. Laura non tam in matris gremio, quàm ſermone educata, politiores etiam literas animo complexa eſt, & ipſa inter Lælias, & Licinias, & Mutias, & ſiquæ præterea parentibus ſuis doctrinâ & eloquentiâ reſponderunt,

no-

nominanda. Præceptoribus uſa eſt Tarquinio Gallutio, & Alexandro Donato, viris è Societate JESU, eruditione & editorum Operum famâ notis. Sollicitam inſtituentium diligentiam merebatur provocabatque eminens illius ingenium. Quod ipſa deinde ita exercuit & expolivit, ut poſt illos, quorum præceptis informata eſt, fortaſſe etiam cum illis legi & placere poſſet. Certè Cardinalis Bentivolus, cùm ſuam de Bello Belgico hiſtoriam Latinè ac perpolitiſſimè verti cuperet, eamdem illi commendavit, ac tradidit. Sed defugit hanc operam virgo, non tam declinatione laboris ac ſtudii, quàm modeſtiæ curâ. Sermo ac ſtilus illi cultus ac nitidus, in quo nullus ambitiosè putidèque quæſitus color. Neque enim ignorare poterat deformari orationem plus æquo affectatam, perinde ac corpora, ſiquis vulſa atque fucata muliebriter comat, fœdiora fiunt ipſo formæ labore. Superſunt adhuc nonnulla ejuſdem tam ſolutæ quàm numeris ligatæ orationis præclara monumenta, ex quibus facilè apparet, compluribus eam viris dubiam eruditionis palmam fuiſſe facturam, ſi literis, quàm religioni vacare maluiſſet. Humanis quippe rebus valere juſſis, inſtitutum S. Tereſiæ ſecuta, in cœnobium ſeſe abdidit, ubi ſanctè religioſèque, in quo ſunt omnia, vitam etiamnum, quod & diu faciat, exigit rerum divinarum contemplatione dulcem atque tranquillam. Atque hactenus pauca è multis, velut faces in funere, præire juſſimus: nunc ſequatur ipſe, cui funus ducitur. Quæ ad ejus genus pertinent, ad eum quoque pertinere exiſtimavimus. Nam etſi ea quæ ipſi non fecimus, noſtra non ſunt; noſtra tamen, ſi in magnâ generis claritate ſplendorem habent, hoc ipſo majora eſſe neceſſe eſt. Ita Luciferum ceteris ſtellis clariorem eſſe novimus, quòd hæ in tenebris tantùm, ille oriente

etiam ſole ſtationem teneat, luceatque. Annum ætatis nonum attigerat Natalis Rondininus, cùm Alexandrum parentem ſuum luxit. Dabat jam tum ingenii jucundi & elegantis ſpecimen iis in literis, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet. Ex ephebis egreſſus, Bononiam ſedem ac magiſtram Philoſophiæ habuit, longè iis diſſimilis, qui ex Academico tantùm otio licentiam uſurpant. Ipſe toto animo ac ſtudio ad laudem incumbere: audire magiſtros, ab iis audiri: intelligere, ſe in veſtibulo ſcientiarum omnium ſtare; in earum deinde adyta penetrandi ſpem nullam fore, niſi ingenium hîc priùs diligenter exercuiſſet. Nec Mathematicas diſciplinas negligendas putavit, ut ſcilicet ad rem militarem, ſi ad hanc fortè animum adjunxiſſet, paratior inſtructiorque eſſe poſſet. Et quamvis aliò conſilia verterit, totumque ſe Deo dederit, jucundos tamen & utiles de rebus bellicis miſcebat ſermones in loco, non quales eorum ſunt, qui debellaturi videntur ſuper menſâ Alexandrum, imperiti rerum. Hauſerat partim è præceptionibus aliorum, partim ex hiſtoriis, quæ ad ordinem legeſque militiæ pertinent: quis caſtrorum locandorum ſitus: quæ inſtruendæ aciei formæ, ac varietates: quæ cingendarum urbium deſcriptiones: quando cum hoſte conſerendæ manus: quando quieſcendum. Aliquot pòſt annis Bononiâ in Urbem reverſus Theologiæ & Juriſprudentiæ operam dedit, hanc etiam publicè interpretandi donatus facultate. Exin ſollemne illud ſuum ſemper tenuit, ut lectiſſimis quibuſque auctoribus volutandis tempus daret. Atque ut ſe oblectant qui ad celebrium fluviorum capita conſiſtunt, eorum præſertim qui auriferas arenas ſecum vehunt; ita jucundiſſimum illi erat ad ſanctorum Patrum lectionem accedere, è quibus videret

aurea illa promanare ſapientiæ flumina, unde & ſitim poſſet explere, & rivos deducere. Otii quoque ſui partem ad ſacram & profanam hiſtoriam contulit. Hanc ille oblectationem honeſtiſſimam utiliſſimamque ducere: hinc petere dicta, facta, conſilia publicè privatimque ſalubria: quam alii prudentiam agendo experiendoque, ille ſedendo legendoque comparare: ipſam in adverſis aliorum caſibus miſericordiam jucundam putare. Huic ſtudio finitimum fuit ſacra, ritus, leges, inſtituta gentium obſervare, etiam barbararum. Erat igitur illi memoria velut ærarium opulentiſſimum, è quo eruditionis ſuæ divitias opportunè depromeret. Accedebat his Latinarum literarum amor & cultus, &, ſine quâ nullus eſt ad vitam communem ſtudiorum fructus, eximia in ſcribendo dicendoque venuſtas & copia. Interdum poëtico incaleſcens afflatu carmen ſcribebat veterum genio, puris verbis lectiſque ſententiis. Vel eâ causâ ſeceſſus in Umbriâ apud Eminentiſſimum Principem fratrem ſuum Paulum Æmilium Rondininum Cardinalem, Aſſiſii Epiſcopum, gratiſſimus illi accidit. Parentavit hîc Sidronio Hoſſchio è Societate JESU Poëtæ cultiſſimo, dulcibus & expolitis elegis; receptûs ſui amœnitatem allato de ejus morte nuntio corrumpi queſtus. Paucula quidem ejus poëmata, quæ velut naufragii reliquiæ ad nos pervenerunt, publici juris fecimus: ſed lectorem ſi non laſſabunt, explebunt tamen, & plura fient ſæpè relegendo. Literariam ſupellectilem ut augeret, in Græciam quoque navigavit, hoc eſt, ad ſcriptores Græcos animum appulit: Neminem, dictitans, ſine hoc præſidio abſolutum aliquid in iis artibus, quæ ad humanitatem pertinent, conſequi poſſe: Veteres Romanos eloquentiæ ſuæ opes omnes è Græciâ in Italiam convexiſſe: illius linguæ opulentiam & ſuavitatem

tem nullius interpretis oratione repræſentari: illam Byzantio in Italiam, unde totos ſeptingentos annos exulaverat, ab hominibus nobiliſſimis olim reductam fuiſſe; mox à doctiſſimis quibuſque arreptam generoſo contentoque ſtudio: turpe nunc Romanæ juventuti fore Muſas Atticas in bibliothecis jacere neglectas & ſitu obſoletas. Tot tamque valentibus inductus cauſis invigilabat in his ſtudiis, veneratque illi in morem non ſolùm lectitare libros Græcos, verùm etiam Græco ſermone cum Deo loqui. Excultum literis animum ornabant caſtiſſimi mores. Crederes Pudicitiam ipſam ab ejus latere numquam diſcedere, & animi corporiſque velut templi Deo dicati æditúam eſſe, quæ profanum aliquid aut immundum eò inferri non ſineret. Mira illi erga amicos fides, & in obſequio comitas: ſermo ingenuus, & ab omni fuco alienus: plus in animo benevolentiæ & officii, quàm in verbis, theſaurorum more, quibus plus eſt opum in receſſu, quàm in ſuperficie oſtentationis. Sacerdos, & in Vaticano templo Canonicus ſacris operabatur fermè quotidie, ad eumque Numinis cultum dignam afferebat templis & aræ contactu probitatem. Tantâ virtute ſapientiâque inſtructum aſcivit Alexander VII. Pontifex Maximus in aulam ſuam, in quâ velut in regno ſuo virtus eſt, eumque ſibi ab Epiſtolis ad Principes ſcribendis eſſe voluit publicâ Urbis gratulatione. Quâ integritatis, & prudentiæ, eloquentiæque laude munus ſuum adminiſtraverit, ſupervacaneum ſit dicere. Non deerunt decora ingenia, quæ cùm ad tempora Alexandri VII. dicenda venerint, hiſtoriæ ſuæ inſerent quas illius ingenio elucubratas literas de rebus graviſſimis ad Principes dedit. Sed ecce dum tanto Pontifici ſe quotidie probat magis, & in Romanâ luce non amorem ſui tantùm, ſed etiam admirationem movet,

ſu-

ſupremus illum dies occupat, majorumque rerum ſpem, quæ in curſu erat, intercipit. Lubet hîc coronidis loco apponere, quæ de præmaturâ ejus morte ad Jacobum Wallium ſcripſit Illuſtriſſimus Ferdinandus Furſtenbergius: non quòd me deficiant verba, (quamquam & illa in tam acerbo caſu deficiunt) ſed quòd hæ literæ exſtare laudarique mereantur profeſſione pietatis. Sic igitur habent:

Noli, mi Walli, plures à Natali Rondinino noſtro epiſtolas exſpectare. (& dederat cùm ſæpè aliàs, tum ſeptem antè diebus, quàm fatalis eum morbus corriperet, ita elegantem, & uberem, & officii plenam, ut eam dictaſſe ipſa videri poſſet Humanitas.) IV. *Non. Septemb. quindecim dierum febri, heu dolor! conſumptus eſt, tantâ nobilitate, virtute, eloquentiâ, ac doctrinâ juvenis, ut meritò ſæculi noſtri Phœnicem quis appellet. Nondum triceſimum ætatis annum attigerat, & jam tum omnes antiquos quà profanos, quà ſacros ſcriptores legendo pervaſerat. Dici non poteſt, quantum ex ejus morte dolorem S. D. N. ceperit. Amici omnes mœrore contabeſcunt: ego tam moleſtè ejus deſiderium fero, ut ne in parentum quidem morte plus hauſerim acerbitatis. Omnia amicitiæ officia ægroto præſtiti, ſemper affui, animam agenti aſtiti, & benè precatus ſum, oculos defuncto clauſi, & acerbiſſimis adhuc lacrimis ereptum proſequor. Ubi dolor parùm remiſerit, forſan Muſis me meis ſolabor: tu quoque moleſtiæ mihi partem tuis abſterge.*

Multis ille quidem flebilis occidit:
Nulli flebilior, quàm mihi.

Mecum illi tam arcta conſuetudo ex ſimilitudine animorum ac ſtudiorum coorta intercedebat, ut Caſtorem & Pollucem diceres, utinam alternâ morte redimendos. Sed quid ego longiùs dolori meo ac lacrimis indulgeo?

 Du-

Durum, ſed levius fit patientiâ,
Quidquid corrigere eſt nefas.

His epiſtolam, non lacrimas meas finio. Romæ VI. *Id. Sept.* M. DC. LVII.

Natus eſt Natalis Rondininus anno M. DC. XXVIII. XIII. Julii: exceſſit M. DC. LVII. II. Sept.

EPITAPHIUM
NATALIS RONDININI.

D. O. M.

NATALI. RONDININO. ROMANO
ALEXANDRI. FIL. PAULI. ÆMILII. CARDINALIS. FR.
PIETATE. INGENIO. ERUDITIONE
ROMANÆ. JUVENTUTIS. FACILE. PRINCIPI
QUI. XXVII. ANNUM. AGENS
AB. ALEXANDRO. VII. PONT. MAX.
PRÆFECTUS. EPISTOLIS. AD. PRINCIPES
OPERAM. SUAM. PONT. SAPIENTISSIMO. ITA. PROBAVIT
UT. MOX. AB. EO. CANONICATU. VAT. BASIL. AUCTUS. FUERIT
NOVA. IN. DOMESTICAS. IMAGINES. DECORA. ILLATURUS
NISI. MAJORA. INDIES. DE. SE. POLLICENTEM. REPENTINA
VIS. MORBI. IN. IPSO. ROBORE. ÆTATIS
REIP. ERIPUISSET

FELIX. ZACCHIA. FILIO. DULCISS.
CONTRA. VOTUM. SUPERSTES. P.

OBIIT. ANNO. M. DC. LVII. ÆTATIS. SUÆ. XXX

IN FUNUS
SIDRONII HOSSCHII,
E SOCIETATE JESU.

Cùm triſtem de ejus obitu nuntium accepiſſet Aſſiſii in Umbriâ, ubi cum fratre ſuo Paulo Æmilio Rondinino S. R. E. Cardinale, Aſſiſii Epiſcopo, morabatur.

DUm ſecunda ſuis me detinet Umbria campis,
Umbria ſilvoſis ardua verticibus;
Auraque vere novò Zephyris impulſa ſerenis
Molliter argutis obſtrepit in foliis;
Diffunditque animum ruris conſpecta voluptas,
Hei mihi, quos luctùs nuntia fama tulit!
Ut nihil in terris liquidum eſt! ut Numina ſæpè
Dulcibus admiſcent rebus amaritiem!
Hoſſchiades, (quid nunc faciles in carmina Muſæ,
Quæque erat ingenio laurea parta, juvant?)
Hoſſchiades, quo ſe tantùm jactabat alumno
Belgica Romanis æmula nominibus,
Quantùm, quæ Latio Cyrenen provocat ore,
Umbria Callimacho facta ſuperba ſuo;
Ille decus Vatum, letò præreptus iniquo eſt,
Dum canit, & gratâ ſidera voce tenet.
Sic ubi ſenſit olor gelidæ ſuccumbere morti
Lumina, vicinas præcinit exequias.
O nemora, ô dulces, quos hæc habet ora, receſſus,
Doctarum ſedes hoſpita Piëridum,

Vos eritis teſtes, ut mors hæc funditus omnes
Surripiat noſtro delicias animo.
Nec me jam verni capiat clementia cæli,
Nec varium terræ fertilis ingenium.
Hîc videas molli clivoſos tramite colles;
Difficiles illic ad juga ſumma vias.
Illic ſaxa inter fluvio Clitumnus amœno
Proſilit: hîc niveos integit umbra lacus.
Clitumnus, quo non Cereri, non alter Iaccho
Gratior, & niveo, qui bibit inde, gregi.
Oppida nunc miror crebris ſuccreſcere ſilvis,
Et nemora antiquas inter opaca domos.
Nunc miror poſitas altis in montibus arces,
Quæque in ſubjectâ mœnia valle latent.
Hîc gelida invitat decedere ſolibus umbra,
Quà crepitante levis deſilit unda pede:
Hîc, quæ rugoſo ſervent in cortice fagi,
Ludere, quæque canat dux gregis inter oves.
Sed nihil iſta juvant: me tantùm flere ſub antris,
Et magnâ manes voce vocare juvat.
Siqua fides noſtris tangi quoque fletibus umbras,
Credibile eſt Vatem, Cynthia, fleſſe tuum.
Quique unà tumulo teneri conduntur amores,
Non ignes, ſolitas non habuiſſe faces.
At tacitos juxta cineres qui labitur amnis,
In mare turbatis mœſtior ibat aquis:
Et, quales olim cognati in funere Vatis,
Solvebat multis inferias lacrimis.
Conſuetæque viæ, & læta inter gramina ripæ
Immemor, oblitum ſæpè retorſit iter.
Quis tibi, Moſa pater, mœſto ſub gurgite ſenſus,
Hæc propior nam te cura premebat, erat?

Cùm rapidas tecum Vahalis confunderet undas,
Confuſas unà miſcuit & lacrimas.
Heu pater infelix, qui dum volvêris, amara
Perpetui luctus in mare ſigna feres.
Nec jam auro, & lætâ præcinctum tempora myrto
Excipiet tectis Oceanus genitor.
Sidroni intereà, ſeu te nova gaudia cælo,
Seu te culta tenet Vatibus ora ſacris:
Si te tangit honos, & adhuc ſunt carmina curæ,
Nec toto ceſſit pectore noſter amor:
Aſpice, quem ſtatuat tumulum tibi Roma, quod inde
Judicium de te poſteritatis erit.
Non omnis moriere: tui pars maxima vivet,
Et cineri merces magna futura tuo eſt.
Mœrenti Chiſius dum te ſub pectore condit,
Non poteras tumulo nobiliore tegi.

FERDINANDO FURSTENBERGIO

Muſas Philomathis juveniles auctiores cultioreſque in lucem proferenti.

TAndem reviſunt aureum jubar ſolis
Muſæ Philomathis: gratulentur, & plaudant,
Queis & labores, & pericla, quæ terris
Marique ſubeunt, aut ſevera curarum
Lyrâ ſubinde tibiâque ſolari
Inceſſit ardor. Quem ſequantur, hîc cernunt.
Hæc ille, ſeu dum præliantibus fertur
Per alta ventis, quà fretum Cyclopeis

Fervens

Fervens cavernis aſtra verberat fluctu,
Seſeque mox reſorbet & ſuas iras:
Sive arduis dum nubibus caput cinctas,
Nivibuſque numquam non jacentibus canas
Volat per Alpes: feſſa namque votorum
Europa curſus urget, atque opem poſcit:
Hæc ille, dum Mars fas nefaſque permiſcet,
Unàque peſtes ceteræ diem invadunt,
Et clade tumidus decolorque [1] Viſtillus,
Albiſque, & uno haud nomine in mare irrumpens
Miratur ire Rhenus haud ſuos fluctus,
Et ſpes in illo magna nititur pacis:
Hæc ille, tanta mente dum ſedet moles,
Hæc ille cecinit, ſicubi fatigatum
Suis ſub antris frigidâque lucorum
Umbrâ virentûm recreavit Euterpe,
Seu Dorium quid, ſive Barbarum mallet.
Sed ille, curas fallere, ac ſibi tantùm
Intuſque gaudens canere, nil petens ultrà,
Non puncta famæ, polliceſque laudantûm,
Feliciumque præmium libellorum,
Imbuta cocco lora, regias chartas,
Pictum umbilicum, luteamque membranam,
Araneoſo juſſerat ſitu turpes
Latêre, tenebris abditos inacceſſis
Tot elegantis ingenI ſacros fetus.
Heu dura patris juſſa! tam legi digna,
Tam læta cultu Muſa, tot venuſtatum,
Tot & jocorum non nocentium mater
Sic deliteſcat involuta deformi
Silentio, nocteſque carpat æternas,

Squa-

1 Viſtillus idem qui Viſtula Plinio lib. 4. cap. 14.

Squalens, iners, ignota? Non tua id ſivit,
FERNANDE, pietas, indoleſque Phœbeas
Attollere artes nata, cui, Poëtarum
Plaudente cœtu, literarios faſces
Submittet olim Roma, quæque nunc profers,
Debebit ordo ſerus eruditorum.
Tu namque Patris atque Apollinis plenus,
Suis latebris erutæ ſinum pandis,
Fœdâque primùm temporum levas tabe,
Dein & nitorem, & gratiam, & decus formæ
JUVENILE adauges, & frui jubes cælo.
At vos edaces, noxium genus, blattæ,
Abigenda longè lævibus lues chartis,
Alibi repoſtam quærite in cibum prædam;
Seniumque turpe paſcite, aut putres libros,
Quos rugæ, & ætas, & ſitus fatiſcentis
Capſæ peredit, aut teredinum morſus.
Perennitatem Phœbus his licet Muſis,
Tripliceſque canum ſpondeant Deæ nomen,
JUVENILE nunquam concidet decus formæ.

AD CHOREAM,

fontem Tiburtinum, in vicinum Anienem influentem.

CHorea Naïadum pulcerrima, Chorea lento
  Seu celeri graderis per cava ſaxa pede;
Vortice ſeu placido lymphas revoluta reſorbes,
  Provocet ut rauco gurgite murmur aves.
Nempe tuâ captum formâ niveiſque lacertis,
  Vicinum fama eſt incaluiſſe Deum;
Sæpiùs & traxiſſe imo ſuſpiria corde,
  Atque auxiſſe ſuis flumina de lacrimis;
Donec & ipſa Dei longos miſerata dolores,
  Æternos pacta es cærula Nympha toros.
Siſte fugam nemoris Dea, quà propè porrigit umbras
  Quercus opaca altis ambitioſa comis.
Nullæ hîc inſidiæ, non cæco commodus hoſti
  Trames, & occultâ conditus arte dolus.
Quin Satyri procul hinc, procul hinc agreſtia Fauni,
  Quæ tegat intonsâ numina fronde nemus.
Illa tamen properat duro obſequioſa marito.
  Sollicitat timidos heu quoque cura Deos!

In malum Poëtam, cujus verſibus inſomnem noctem traduxerat.

HEu malè quid merui? nam quæ me Numinis ira
Vexat, ut ex oculis exulet uſque ſopor?
Roſcida ſeu redeat, ſolemque Aurora reducat,
Seu præceps altò nox ruat Oceanò;
Me tamen inſomnem Eöo de litore Phœbus,
Inſomnem ſero veſpere Luna videt.
Quæ commiſſa luo? quo læſus crimine tantùm
Sævis? quid meritum, languide ſomne, fugis?
Ah! vos impuri, vos infeſtiſſima vatis
Carmina, vos metuit territa nempe quies.
Vos malè compactis pedibus, numeriſque ſolutis,
Heu miſeris vel adhuc auribus obſtrepitis!
Phœbe pater, ſi ritè tuis adolevimus aris,
Et dedimus ſanctis annua tura focis:
Sic intacta ſacros præcingat laurea crines,
Æternùm vireat ſic tua cura nemus:
Urantur permitte tuis mala carmina flammis,
Sic læſo cecidit victima quæque Deo.

IN
DIONYSII PETAVII

obitum, & reſtitutam ab ipſo temporum rationem.

JAm ſpatiis dimenſa ſuis revolubilis ætas
Per te ibat, numeris currere docta ſuis;

Im-

Immeritum cùm te, PETAVI, ſuſtulit: error
Quem tu corrigeres hic ſuper unus erat.

AD
AUGUSTINUM FAVORITUM,
remiſſis auctori pro vitreo poculo hendecaſyllabis.

AUguſtine, novem decus Sororum,
Atque idem pater elegantiarum,
Idem flos & ocelle literarum,
Qui me pro vitreo ſcypho impolito
Donaſti hendecaſyllabis politis:
Quales vel faceret meus Catullus,
Vel ſiquis melior fuit Catullo,
Si quiſquam melior fuit Catullo.
Nam me continuo die bearunt,
Ac tot tædia peſſimi dierum
Æſtatis ſitientis abſtulerunt.
Quòd ſi munera noſtra deputantur
Tanti, jam cyathos venuſtiores
Quæram, & pocula puriore vitro.
Tu contrà, ut ſemel excidêre, mittes
Puro carmina puriora vitro.

AD STEPHANUM ABBATEM GRADIUM.

Cùm ALEXANDER VII. *Pontifex Maximus renuntiatus eſſet.*

SI mihi quæ dextro tibi numine ſæpè vocantur
    Auxilio blandi carminis Aönides
Dictarent, quod nec ſeris venientibus annis
    Oblito doctorum effluat ex animo;
Nec præſens ætas, atroque imbuta veneno
    Infelix auſit deterere invidia,
Supremæque favillæ, & nigri funeris expers
    Effugiat taciti temporis inſidias;
Docte GRADI, mihi quem dulces ante omnia Muſæ
    Junxere, & puro pectore culta fides,
Et facilis vis eloquii, quæque aurea mentem
    Formavit dictis Attica Suada ſuis:
Non ſperem titulos, non laudes ire per omnes
    Maximi ALEXANDRI, aut inclyta facta virûm;
CHISIA queis ſtat fulta DOMUS, quos vivida virtus
    Extulit, aut propior ſideribus pietas.
Nam cui vel tantum præſens facundia, tantum
    Idem hominum dederit Cælicolûmque potens;
Egregias laudes, æternaque facta referre
    Ut queat, & meritis verſibus æquiparet;
Ille etiam, quà deſertas Libye invia terras,
    Brachiaque Europe porrigit Oceano,

Anguſto quas divulſas abſorbet hiatu ,
  Et brevis Herculeo dividit unda freto ,
Quos malè contemſit præceps audacia fines ,
  Nil metuens vetitas leti aperire vias ,
Enumeret , quot vicinæ tundantur arenæ
  Fluctibus , everſas cùm ciet Eurus aquas ;
Aut quot vere novo ſubmittat Dædala flores
  Aura Cytheriacis incola litoribus.
Quis dicat Tuſcas latè data jura per oras ,
  Æquoraque Herculeæ ſuppoſita ſpeculæ ?
Aut Macereti molli ſurgentia clivo
  Mœnia , & antiquis addita tecta jugis ?
Heroüm tellus olim fecunda , vel armis
  Vel pace egregium qui peperere decus :
Nunc tenues ibi relliquiæ vix nomina ſervant ,
  Lentaque paſtoris fiſtula cogit oves.
Indè tamen miſſi , qui cæli ingentia templa ,
  Et Divûm cœtu limina concelebrant.
Felices turres , queis olim pauper arator ,
  Et ſalvis faciat frugibus agricola.
Ecquis opes , cœnaſque Deûm , quà ſe atria tollunt
  CHISIA , Pompeiis æmula porticibus ;
Quas ſubterlabens miratus Tybris ab amne eſt ,
  Credita dum celeres gaza moratur aquas ;
Eque imo ſilvas ſpeculatur , & aurea tecta ,
  Et pictos luſus , ô Galatea , tuos ,
Artis opus miræ , pelago quam ſemifer omnis
  Tritonum inſequitur , Nereïdumque chorus :
Ecquis regifico conſtructa altaria luxu ,
  Et ductas Libyco è marmore pyramidas ;
Quæ ſub ALEXANDRO priſcum monumenta nitorem
  Ceperunt , ac turpe exuerunt ſenium.

Tot

Tot curas inter, terrarum & publica vota,
  Non hæc præteriit provida mens animi.
Quin & Niliacos moles imitata labores
  Cæſtia, par tumulis, barbara Memphi, tuis,
Hoc rerum Domino vaſtis egeſta ruinis,
  Non debet fatis triſtibus interitum.
Nec ſolùm antiqui redeunt hoc Principe mores;
  Antiquum ſed cum moribus omne decus.
Sit clarus licet ille, & quà ſol aureus exit,
  Et quà ſe canæ Tethii reſtituit;
Illius & latè referat nomenque decuſque
  Cognatas inter Naiadas Eridanus:
Eridanus, cujus cycnos hoc fama canente eſt
  Attonitos mediis conticuiſſe vadis:
Quæque viris armiſque potens ſiſtentia contra
  Inſula deſertæ litora ſtat Libyæ,
Et Moſa, & fumans civili ſanguine Rhenus
  Ingentes titulos & benefacta ferant:
Non reticenda tamen, functi æternas quibus ipſi
  Heroës grates pro ſtudiis ſolüunt.
Ille vel in teneris cùm jam pubeſceret annis,
  Atque ætas primum vivida ver ageret;
Poſtquam animo ſibi regnandum peragraverat orbem,
  Ortaque de primis omnia ſeminibus,
Et propiore Deum ſpectaret lumine, quantùm
  Mortales fas eſt tendere contrà oculos,
Multa ſatis luſit: norunt ſilvæque lacuſque,
  Muſcoſiſque cadens Arbia pumicibus;
Quæque viri indignum lugens Cornelia fatum,
  Hoſpitii teſtes numina poſcit opem.
Nec curas inter, JUVENILIA carmina Muſas,
  Dimiſit feſſi delicias animi.

Adfuerunt ſemper faciles ad juſſa Sorores;
Et quamvis medio tenderet ille mari,
Alpibus & quamvis, Alpes illæ, & mare ſævum
Fontibus & ſacris antetulere jugis.
Et loca nunc culto relegebant ſingula verſu,
Nunc fera damnabant munera militiæ.
Quin ſcrutaretur dirum cùm viſcera ferrum,
Et leti inficeret pallidus ora color;
Qualis Mæandri ripis, aut Aſia cycnus
Dum ludit pennis per vada purpureis,
Pectora transfixus, liquido de gutture voces
Elicit, ac gemitus litora pulſa iterant,
Inſpectans cælum, & triſtes ſolatus amicos,
Lenibat numeris vulnera flebilibus.
Intereà trepidum verſans ſub corde timorem
Adſtabat Divis vota ferens Pietas:
Et nunc muta metu, miſero nunc perdita luctu,
Tendebat ſupplex brachia Cælitibus,
Ne feſſis olim miſſum ſuccurrere rebus,
Ante ſuum raperet mors violenta diem.
Sed jam pone metum Pietas: en Maximus Orbem
Soſpes ALEXANDER temperat imperio.

AD SERENISSIMUM GENUENSIS REIP. DUCEM AUGUSTINUM CENTURIONEM,

cùm primùm novi Magiſtratûs faſces attolleret, ſummâ ingeniorum contentione celebratos.

AUreus ut primùm nitidis emerſerat undis
Lucifer, & noctem vicerat illa dies,
Quæ tibi laurigeros, virtutis præmia, faſces
Detulit, & munus vidit iniſſe tuum,
Et patriæ res & curas, ſanctique Senatûs
Excepiſſe animis publica vota tuis,
Adfuit ad plauſus vaſti gens humida ponti,
Tyrrhenæ liquido Tethyos acta ſinu;
Formoſæ viſu facies, Drymoque, Thoëque,
Et quas prætereà longa referre mora eſt.
Quas inter patrio perculſus numine Proteus
Hæc Latiis fertur præcinuiſſe modis:
Macte animo: extulerint homines quæ maxima quondam
Geſſeris; at quæ dehinc, auguror, aſtra canent.
Dixerat: & plauſum juſſit dare protinus omnes
Quos habet unda Deos, quas habet unda Deas.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

NOx quamvis oculorum ignes premat atra nitentes,
Et condant ſomno lumina victa faces;
Lumina, quæ circùm caſti glomerantur Amores,
Et Pudor, & triplici Gratia nexa choro:
Nox tamen aſſiduis lacerat præcordia curis,
Imperat atque oculis irrequieta quies.
Nec priùs obrepet, qui laxet pectora, ſomnus,
Quàm ſternas capiti molle cor ipſe meo.

LUSUS PASTORITIUS.

DUrus Oryx torquere gravi ſeu ſpicula cornu,
Seu terrere leves per nemora alta feras:
Quem toties ſuccincta habili Dictynna pharetrâ,
Mirata eſt agiles inter Hamadryadas:
Cùm premeret cælo medium ſol igneus orbem,
Præberet laſſo cùm brevis umbra torum,
Multa inter quercus querulâ proluſit avenâ.
Obſtupuit doctos Nympha ſecuta modos.
Ipſæ etiam tacitis ſtupuerunt Naiades undis,
Ipſa etiam Arcadii fiſtula victa Dei.
Ille etenim nunquam ſacris vocalia lymphis
Antra, Meduſeos attigeratque lacus.
Sed quæ etiam indoctas ſilvæ docuere volucres,
A ſilvis didicit carmina durus Oryx.

PSYCHE, *ſeu fabula Papilionis.*

NYmpharum PSYCHE quâ non fuit altera totâ
Pulcrior Arcadiâ, cui cura nec ulla fluentem
Aut mulcere comam, aut tenues percurrere telas,
Miles erat Phœbes; voluitque inculta videri,
Et placuit. nemora & ſilvas nec gratior ulla
Attigit, aut montes venatu terruit ulla.
Jamque toros tædis ætas matura jugales
Spondebat: fugit illa faces & nomen amantis,
Seque odit, votoque dolet quòd forma repugnet:
Cùm natus Iapeto, quem PSYCHES mater eodem
Ediderat Clymene fortunatiſſima partu,
Attulit inventum cælo mortalibus ignem,
Nec benè digeſtam, & certâ ſine imagine maſſam,
In ſpeciem eduxit moderantûm cuncta Deorum.
Ille (fide majus!) lapidem vix admovet igni,
Paulatim letalis hiems de marmore cedit.
Vincula molleſcunt genuum, ſaxumque relinquit,
Vitaleſque vias & reſpiramina liber
Spiritus intus obit: vocis recluditur uſus:
Conatus loquitur. nil trunci reſtat in illo.
Miratur, tacitumque rogat PSYCHE inſcia fratrem:
Unde vigor lápidi? quæ tanta potentia flammæ?
Frater ad hæc contrà: Donum immortale Minervæ
Aſpicis: aſt alios Cypris tibi deſtinat ignes.
Jam diſtingue comas, & finge decentiùs ora.
Indoluit virgo, vetitamque agnoſcere flammam
Attentat propiùs: ſed enim, ceu concitus Auſtro
Per ſtipulas flavaſque furit Vulcanus ariſtas,
Atque alimenta ſuo præbet ſeges arida damno:

Sic inconceſſos ubi virgo contigit ignes,
In flammas abit, ac veluti è fornace profundâ
Ferventes trahit ore faces, & concipit æſtus.
Vix fratri cineres, & cognoſcenda ſuperſunt
Ipſius effigies, & quæ ferat oſſa ſepulcro.
Ille ſed exanimis properat, ſemiuſtaque membra
Componit tumulo, fumantiaque exta ſororis
Ambroſiæ ſuccis, & odoro gramine condit.
At flamma haud oblita ſui eſt, ſervatque vigorem
Ingeniumque ſuum, tumuloque erumpit, iterque
Dat volucri, variis quæ picta coloribus alas,
Nunc etiam vetitos demens circumvolat ignes,
Atque ſuas PSYCHE flammas, ſua damna, frequentat.

POEMATA
STEPHANI
GRADII,
ABBATIS

SS. Coſmæ & Damiani, Patricii Raguſini, & Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtodis.

DE
S. FRANCISCI XAVERII
INDIARUM APOSTOLI
miraculo, apud inſulam Tolum patrato.

INdia, gemmifero quæ lamberis æquore tellus,
Et matutini felix vicinia Phœbi:
Quæ vos inſolitâ cineres jactante procellâ
Squallor habet, quidve eſt, ſubitis quod motibus æther
Infremit, & pluviis cælum tonat omne favillis?
Præcipites video, totoque ex axe ruentes,
Flammarumque globos, liquefactaque fervere ſaxa,
Et cæcam piceâ volvi caligine noctem.
An Superis etiam infeſtos, cæloque minantes
Terrigenas hîc Ætna premit, ſævuſque Typhœus
Hîc quoque tentati pœnas perſolvit Olympi?
Aut iter ad Ditem patet hinc, Maneſque profundos,
Et vicina ſuas eructant Tartara flammas?
Nil horum. ſontes ultore ſed impetit igne
Victor ab Auroræ populis, & litore rubro
Xaverides, cujus nutu cæleſtia templa
Arma cient, nimbiſque fremunt, & militat ipſa
Ex adytis imis Tellus, iramque, minaſque
Commodat, immiſſoque diem contriſtat Olympo.
Quis tua tam ſubitus commovit viſcera turbo,
Sancte ſenex, tantos animo quæ ſuggerit æſtus
Immanis ſcelerum facies, mentemque benignam
Excutit, & placidos cogit dediſcere mores?

Uſque-

Uſquene ad exitium tua ſæviet ira nocentûm ?
An præſtat miſereri inopum, & ſuccurrere lapſis,
Nec terrorem ultra meritas extendere pœnas ?
Hæc ego, ſi noſtris aderunt tua numina cœptis,
Carmine non humilis referam memoranda Camœnæ.

Oceano in magno, primi ſub limine mundi,
Sol radiis terras ubi manè recentibus afflat,
Ardua ſublimi pelagus premit inſula dorſo,
Quam dixêre Tolum, felicibus inclyta lignis
Fortunatorum nemorum, fæcundaque glebis
Ditibus, & placido cæli lætiſſima vultu.
Fama eſt has (Libyci cum gens Hiſpana profundi
Intactas ſulcavit aquas, & credidit auris
Vela novis, aliumque viam patefecit ad Orbem)
Bellantem cælo, Superiſque auctoribus actum
Xaveridem tenuiſſe plagas: hinc ille profana
Numina, ſacrilego paſſim nigrantia fumo,
Expulit, immundiſque ignes extinxit ab aris.
Tum vitæ præcepta dedit, juſtumque, piumque
Conſtituit, cælique viam monſtravit, & inde
Demiſſum in terras, Divinæ & ſanguine prolis
Sancitum fœdus, lymphiſque ſalubribus omnes
Exterſitque animas, noxaſque, & crimina ſolvit.
Sed ſimul inde pedem partâ cum laude reflexit
Ultima viſurus rapidi cunabula Solis;
Ad mores iterum, & vitam revoluta priorem,
Gens infida novam pietatem abrupit, & aras,
Nuper quas Superis erexerat, eruit omnes,
Et colere impuri quidquid ritûſque profani,
Longa ſuperſtitio deceptum invexit in Orbem,
Inſtituit, ſcelerumque omnes effudit habenas.
Sic caſſa illa ſuo rectore, & remige puppis,

Gur-

Gurgite Neptuni deprenſa Aquilone tumentis,
Fluctuat arbitrio ventorum, hiemiſque protervæ,
Donec quaſſa ſinus, & verbere ſaucia crebro
Diſſilit; effuſum latè nant fruſta per æquor.
Nec tanti vindex commiſſi Hiſpana juventus
Defuit, irarum ſtimulos divinitus illis
Xaverides acuit monitus, ſociumque perîcli
Se dedit, hortatus meritas pro Numine læſo
Expeterent ferro ſcelerato à ſanguine pœnas.
Jamque mari placido, ventiſque ferentibus uſa
Claſſis adeſt, portuſque Toli tenet. Ilicet omne
Milite completur litus: fremit undique clamor
Damnantûm ſævos auſus, & dira minantûm
Supplicia, & validis properantûm ad vulnera dextris.
Cùmque propinquaret portis exercitus, & jam
Tela in conſpectu viſi diſtringeret hoſtis,
Extemplò crebris horrens mucronibus omnis
Apparet circùm tellus, prohibetque cruentis
Armatum tribulis veſtigia ferre per æquor.
Quod ſimul adſpexêre, ſtetit confuſa repentè
Agmine confuſo legio, greſſuque repreſſo
Nequicquam partes animum verſavit in omnes.
At non Xaverides; juſtâ nam concitus irâ
Continuò ad cælum palmas cum voce ſupinas
Extulit, & tali Superos eſt ore precatus.
Omnipotens Pater, æterno qui prælia nutu
Cuncta regis, cujuſque omnis ſub Numine Mars eſt,
Voſque ô bis-ſeni rerum tutela ſodales,
Relligio quibus alma ſtetit, pietaſque magiſtris,
Quique alii æternas meriti poſt funera palmas
Sidereæ proceres menſis accumbitis aulæ.
Si monitus veſtros, manifeſtaque ſigna ſecutus

Oceani

Oceani victor penetravi clauſtra tumentis,
Et veſtrum extremos portavi nomen ad Indos;
Sentiat his telis fera gens quàm Numina veſtra
Læſa nocent, dignas ſcelerum dent ſanguine pœnas,
Aut ipſi potiùs ſtolidum cæleſtibus armis
Cogite ad obſequium vulgus, nec deſit Eöo,
Heſperium clara eſt quæ gloria veſtra per Orbem.
Vix ea: cùm ſubitò cælum fremere omne tumultu,
Et ſpeciem liquidi nubes turbare ſereni:
Tum magis, atque magis maria acta tumeſcere, & altis
Audiri latè ventorum ſibila lucis.
Nec Tellus ſegnis ſtetit ima; ut fortè parandis
Seminibus, celeres inter feſtina miniſtras,
Æriſque, argentique opifex, aurique, ſedebat
Umbrarum in medio, ſuperi procul ætheris orâ.
Proximus hic Diti locus eſt, Stygiiſque cavernis,
Nec minùs immitis fornacibus æſtuat Orci.
Unde ſuos Veſevus apex, Lipareque vapores
Haurit, & æternis cælum ferit ignibus Ætna.
Hinc excîta minis cæleſtibus, expedit omne
In gentes Dea ſacrilegas, cæloque rebelles,
Turbinis inſtrumentum atri, rapidæque procellæ,
Et jubet ad ſuperas erumpere luminis oras.
Turbatum ſubitò cæca inficit Oceanum nox,
Et fœdam glomerant tempeſtatem ignibus atris
Infernè excîtæ peſtes; ruere arduus æther
Viſus, & extremâ mundus nutare ruinâ:
Tam ſæva in mediâ nimborum nocte flagrantes
Diſcurrunt atræ formidinis ora per auras.
Horrida diſciſſi miſcent incendia montes,
Fragminaque eructant ſcopulorum, atque obſita fumo,
Et pice, & immundo latè loca ſulphure fœdant.

Tum

Tum cinere, & pluviis murorum culmina circùm
Pumicibus campi plana increvêre tumentis,
Et facilis patuit ſummas aſcenſus ad arces.
Hæſêre attoniti tanto in diſcrimine cives,
Et mentes humilis ſtravit pavor. arma repentè
Projiciunt, rebuſque unum quod reſtat in arctis,
Pacem orant Superûm, crebroque exterrita plangunt
Pectora ſingultu. ſequimur te Magne Deorum
Quiſquis es, imperioque iterum parêre volentes
Ardemus. prohibe infandos à mœnibus ignes:
Parce humili turbæ, & propiùs res aſpice noſtras;
Siqua tuum Pater Omnipotens mortalibus ægris
Reſtituit pietas animum: tua ſancta ſuperſit
Qui colat, & noſtris imploret Numina ab aris.
His lacrimis flammæ ceſſêre, omniſque reſedit
Ætheris ira: redit facies ſua priſtina terris,
Exactæque diem nubes, ſolemque recludunt:
Et placido mitis Zephyri ſtrepit aura volatu.
Nec mora paciferis evincti tempora ramis
Matres, atque viri, & puerorum innoxia turba
Mœnibus erumpunt, & inermia pectora ſtrictis
Objiciunt armatorum mucronibus ultrò.
Tuque ô ſancte Heros, clamant, ſua crimina faſſis
Supplicibus, ſiqua eſt animo clementia, parce.
Pœnarum ſatis eſt, cælo exactore, ſuperque
Quod luimus, Superos irataque Tartara paſſi.
Ulterius ne tende odiis. ſtetit icta repentè
Hoc acies omnis viſu, cunctuſque remiſit
Pectoris ardor, hebent ſtupefactæ ad prælia vires,
Et piget ante pedes hoſti inſultare jacenti.
Xaverides ſed ſupra alios mitiſſimus omnes
Erigit abjectos, dictiſque affatus amicis,

Gratanti cives vultu, ſociosque ſalutat,
Et reducem extenſis Pacem obvius accipit ulnis.
  Salve ſancte Deûm interpres, clariſſime ſedis
Incola ſidereæ, & ſeu tu ſublimis Eöâ
Parte micas cæli, ſero ſeu Veſpere gaudes,
Quæ te cumque tenet ſummi plaga lucida mundi
Præbentem lætas Superûm concentibus aures,
Lætaque divino ſatiantem lumina vultu;
Hos tibi ſacratæ cantus ne deſpice Muſæ;
Et noſtris adſint ſemper tua numina votis.

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM, ALEXANDRI VII. P. O. M. *Cubicularium intimum.*

De artocreate Britannico.

CUm Tibi de tetricæ ſtudiis, Fernande, Minervæ
Mollia languebunt olim præcordia: ſi non
Aſpernaris ab Oceano miſſa uſque Britanno
Romanum ad luxum pinguis præcepta culinæ;
Accipe languenti quâ poſſis arte palato
Conſulere, & ſtomachi faſtidia vincere inertis.
De lactentis adhuc primùm cape clune juvencæ,
Aprique & leporis dorſo, quæ in fruſta minuta
Conciſa, & liquido diluta abdomine porcæ,
Jure natent, grandis pullus quo ferbuit, & quod

Bu-

Bubula diffuſis unxerunt oſſa medullis.
Accedant, turris tibi quas, corſque ima volucres
Educat, atque alis, & pelle, & pectoris alba
Carne dapem ſaturent; teneros ante omnia lactes
Adde memor, ſeu ſint agnis, ſeu mollibus hœdis
Avulſi; tereti nec te ficedula lumbo,
Nec te flaventi coturnix uda ſaginâ
Prætereat; terræ deſint nec tubera, ſi quæ
Provida non parcis ſtrinxêre tonitrua cœnis,
Cum pipere, & Siculæ dulci cum pulvere cannæ.
Hæc tu cuncta ſimul cautè, circùmque, ſupraque,
Eductæ in cameram Cereris teſtudine, claude,
Ovis, ac tenui molitus cruſta butyro,
Et croco, & Eöæ fragranti cortice ſilvæ.
Dein gravidam lento maſſam committe calori;
Anguſto validus quam torruit ignis in antro,
Excoctamque diu, multoque ardore rubentem
Extrahe, & in patinam compone; & ſic properata
Inter amicorum lætos ede fercula cœtus.

AD
VENEREM

Titiani artificio pictam, in ædibus Illuſtriſſimi D. Caſanattæ.

QUid tantum Caſanatta tibi meus, alma Dione,
Iſta quid illius tecta, lareſque placent?
Nec potiùs Golgoſque tuos, Amathuntaque lætam
Et Cnidon, & lucos incolis Idalios?
Neſcis qui vir hic eſt, quâ famâ notus in Urbe?
Qui mores, quali præditus ingenio?

Virtuti teneris rigidæ nutritus ab annis
Et doctæ aſſiduus Palladis in gremio.
Divitiis felix, auroque opulentus avito,
Et latè claris nobilis imperiis.
Nil nato, rebuſque tuis favet ille, tuaſque
Reſpuit invicto pectore delicias.
Cùm magni Dominæ Flavi ſedet arbiter urnæ,
Romani & mulcet jurgia cuncta fori.
Intrepidum ſectatorem rectique, & honeſti,
Nullæ animum ſordes, gratia nulla trahit.
Quæque ſolent puros hominum convertere mores,
Corruptum nullis ingenium illecebris.
Vile illi tua forma bonum, tua cingula ridet,
Et magè Cecropiæ Virginis igne calet.
Junoniſque ſupercilium, frontemque ſeveram,
Mirum quam crebris laudibus ingeminet.
Hinc vocat inſulſumque Jovem Martemque procacem,
Et Paridem tota damnat in Iliade.
Judiciumque illud, quo tu pulcherrima rerum es,
Increpat indignis, exagitatque modis.
Utque ipſos cauſas inter cognoſcere Divos
Audet, & invitæ reddere jura Stygi.
Inſtauraturum litem ſe muſſitat illam,
Quo formæ intereat fama decuſque tuæ.
Quoque tuis decedat honos altaribus, & te
Deſtituat Memphis, deſtituatque Paphos.
Quin & Alexandri jactat felicia ſummi,
Et furtis nimiùm tempora iniqua tuis.
Principe quo caſtis populis libet eſſe, pudetque
Diſſimiles Domini moribus eſſe ſui.
Nec tamen hæc tu tanta time, ſatis ille ſuperque
Alterius diſcit providus eſſe malo.

Parthenopæ Trojana ſuæ quia fata timebit,
Et charis alium civibus Æacidem.
Namque, ut homo eſt, magnæ nunquam Jovis ille ſorori
Palmam poſthabitâ Pallade ferre dabit.
Ut qui non tantùm ſceptroque, auroque movetur,
Ingenii quantum gaudet honore ſui.
Nonne vides dapis immemorem parcumque Lyæi,
In cunctas animum dividere hiſtorias
Naturæque, hominumque? Quis illo doctior artes,
Quas juveni Chiron tradidit Æacidæ?
Scire poteſtates herbarum, uſumque medendi,
Invitâque diu vivere Perſephone.
Quòd jecori officium, ſtomachoque, ut largus in orbem
Perpetuo ſemper flumine ſanguis eat.
Non ceſſat cauſas rerum explorare latentes,
Et noctes animo diſpicere, atque dies,
Quæ terram quatiat vis ima, quis impetus Euros
Concitet, in fluvios unde perennis aqua.
Nulli æquè ſua nota domus, quàm fortiter illi
Facta olim Graiâ barbaricâque manu.
Bellorum paciſque vices, cladeſque, neceſque,
Magnorumque graves Principum amicitiæ.
Virtutes, moreſque hominum, rituſque ſacrorum,
Terrarumque ſitus, fluminaque, & maria.
Quid tibi jam memorem, quanta hæc facundia, quantus
Neſtorei fundit ſpiritus eloquii?
Multaque ut orantem circumſtat ſuada, tuuſque
Mercurius docto multus in ore ſedet?
Præque illo amplexúſque tuos, atque oſcula temnit,
Cumque ſuo cælum nectare, & ambroſia.
Sed quod te moveat ſuper omnia, ſceptra ſuperba
Improbus in media vult quoque ferre Cypro.

An neſcis teneris illum dare jura puellis,
Juncta Palatino quas alit ora jugo?
Macerat has curis, jucundumque improbus arcet,
Ne miſerarum ætas florida ver agitet.
Nam tetricæ ſtudiis ſecretâ in Valle Minervæ
Per lanæ exercet dura miniſteria.
Et radiis cogit, rigidoque aſſueſcere penſo,
Staminaque aſſiduâ ferre, columque manu;
Ne ſegnis mores corrumpat inertia, neve
Mens vacet ad luſus deſidioſa tuos.
His animis, his ingeniis (ſcis ipſa) neceſſe eſt,
Nec dulcis Bacchus, nec ſit amica Venus.
Ergo hominem nunquam (ſi quid mihi credis) amabis,
Participemque tui nectaris eſſe voles.
Quin age, & ingrato te protinus eripe tecto,
Et ſine cum Muſis illum habitare ſuis.

AD NATALEM RONDININUM, S. D. N. ALEXANDRO VII. PONT. OPT. MAX.

ab epiſtolis ad Principes.

UNica Pieridum, Natalis, cura Dearum,
Cui Vaticani pervia
Interiora adyti penetralia fecit in alto
Firmata Virtus pectore,
Cujus ALEXANDRI quoties ſententia docto
Prodiit ab ore Maximi,

Nil

Nil eſt, quod Latium tumeat Cicerone, ſuiſve
  Facunda alumnis Græcia:
Clarus Apollineo me nunc à numine vertex
  Soractis antiqui tenet
Urbanæ ſtrepitum fugientem & jurgia turbæ,
  Juvatque de minantibus
In cælum ſcopulis illinc nemora alta, domoſque
  Ferarum opacas cernere,
Hinc variam cultu ſegetem, glebaſque Sabellis
  Exercitas ligonibus,
Et latè in Latios animum diſpergere tractus.
  Quàm læta vitis arduis
Fuſa cacuminibus virides hîc ſurgit in ulmos!
  Quàm flava ariſtis æquora,
Quàmque ferax oleæ collis! quàm lacte capellis
  Diſtenta ſemper ubera!
Quàm priſci mores hominum! quàm numine mulcet
  Auras benigno Jupiter!
Sed me non facies rerum pulcherrima, nec tam
  Amica Muſis otia,
Quàm veterum capiunt quæ paſſim ingentia Patrum
  Viſuntur hîc veſtigia,
SILVESTRI magni latebræ, quibus ille potentûm
  Vitavit enſes impios,
Haud paſſus periiſſe manum, quæ cuncta priorum
  Abominanda numinum
Unius adſperſu mendacia perdidit undæ.
  Quid Urbis & thalami fugam,
ROMANÆQUE [1] ſpecus memorem, contemtaque duro
  Præ ſilicis atri tegmine

1 S. Romana, Calpurnii Præfecti Urbis filia, cùm nuptiis deſtinaretur, divino monitu ad S. Silveſtrum in Soracte latentem fugit.

Sceptra [2] olim Ligeri latè dominata ſuperbo.
Salvete rupes aureæ,
Proxima Cœlitibus ſedes: ſalvete quietæ
Secura mentis gaudia.
Ut mihi jam Regum laqueata cubilia ſordent,
Aurata ſordent atria!
Nec moror extremus quidquid ſub divite fluctu
Hermuſque volvit & Tagus.
Sed me, ne veſtris reliquos in cotibus annos
Nemorum colonus exigam,
Aurea deſuetas redeuntia ſæcula in urbes,
Vetantque cum Sororibus
Juſtitia, & Pietas cœtus dignata frequentes
Certantium ſe candidos
Ad ſui Alexandri populorum fingere mores,
Et ſe probare ingentium,
In tanto faciles dederunt quæ Principe Divi,
Non immerentes munerum.
Ille ſibi rigidus, ſibi inexorabilis uni,
Nihil remiſſi in arduo
Pectore, nil patitur laxi, per dura laborum,
Curaſque rerum maximus,
Atque hominum gaudet Princeps audire Paterque.
Nemo obſequentis acrior
Fortunæ illecebras calcare, aut falce tremendæ
Neceſſitatis ultimæ
Immanes vultus animo ſpectare ſereno,
Orando nec præſentior
In Superûm iratis extinguere fulmina dextris.
Ahena non ſi vox mihi,

Non

2 Carolomannus, Caroli Martelli filius atque heres, antequam ſe ad Caſſini cœnobium conferret, Soractis montis ſecreto delectatus fuit.

Non centum ardenti reſonent ſi gutture linguæ,
Merentis ad præconia
Sim ſatis, & laudes valeam me effundere in omnes,
Per montium & quiſquam juga,
Per ſaltus, fluvioſque, ac devia rura vagetur,
Virtutis ut veſtigia
Jamdudum exoſæ terras fugientia captet?
Cùm, quanta fulget arcibus
Ætheris in ſummi, Divûmque in honore ſuperbit,
Se Vaticani in aureo
Explicuit ſolio, præſentiaque ora beatis
Fruenda dat Quiritibus.
Teſtis Hyperborei dominatrix Virgo profundi,
Quæ divitem tot inclytis
Regnorum ſpoliis, domitoque Aquilone tumentem
Contemnere auſa Regiam,
Hujus ab aſpectu properat ſplendeſcere lucis.
Quas tu frementis undique
Lætitiæ voces mirabere! qualia cernes
Fervere per urbem gaudia!
Supplice cùm Latias ſe poplite ſiſtet ad aras,
Summique prona Antiſtitis
Accidere ad ſacræ ſpectabitur oſcula plantæ,
Litoris Amazon Baltici;
Cujus ab invicto Germana per oppida Marte
Vibrata nuper fulmina
Arduus à tumulo ſtupuit ſeptemplice Tybris,
Nec ulla ſolam Palladis
Ægida belligeræ plauſu cum gentis, & auream
Tractare docta cuſpidem.
Sed placidas animum Divæ exercere per artes
Ponentis interdum horridam

Gorgona; perque hilares blandùm gradientis Athenas,
Doctoque Phœbi in pulvere
Primum Caſtalias inter decus ire puellas.
Hanc tu Boote ab ultimò
Anxia tollentem patriæ in caligine noctis
Meliorem ad Arcton lumina,
Imaque divinis uſtam præcordia flammis,
Æterne Vates, optimi
Inter Alexandri decora olim ingentia, plectro
Feliciore concines:
Cùm reſtincta brevî totum fera bella per orbem,
Centumque dices æneа
Cuſtodem Pacis cohibentia robora Janum,
Italiſque Thracem viribus
Infractum, & patriæ dejectum à culmine ſedis
Scythico latêre in angulo.

DE OBITU SIDRONII HOSSCHII E SOCIETATE JESU. AD FABIUM CHISIUM S. R. E. CARDINALEM.

SIqua juvant mutos cineres, ſi lumine caſſis
Jucundum quicquam manibus eſſe poteſt;
Multum habet egregii quòd gaudeat umbra Sidroni,
Nuper cognatis reddita ſideribus,

Ad

Ad cumulum, ô Princeps, decorum laudumque ſuarum,
Quòd deſiderio eſt nobilitata tuo.

IN
PHILOMATHIS
MUSAS JUVENILES.

VAtes optime, quotque literatos
Noſtra ætas tulit, aut tulit virorum
Plenior ſapientium vetuſtas,
Nulli conſilio, nec eruditæ
Largo flumine poſthabende linguæ;
Te facundia, literæque noſtræ,
Te ſuum Latiæ decus Camœnæ,
Lumenque eloquii vocant aviti.
Tuis en ſtudiis laboribuſque,
Linguæ gratia ſe leporque debet;
Debent munditiæ, elegantiæque,
Et puræ Veneres locutionis.
Per Te ab exilio, & malis tenebris
Priſca Suada redit, proculque ad imas
Rus & barbaries faceſſit umbras,
Ipſaque eſſe Latina Roma diſcit.

DIALOGUS LEPORIS ET MUSTELÆ.

Calumniatorum inevitabilem eſſe malignitatem.

ÆGypti ſævo fines urgente duello
Rex omnes Ptolomæus equos, omnemque elephantûm
Deſcribi numerum Pharios mandaſſe per agros
Dicitur, ut dociles calcaria ad aſpera plantas,
Arduaque aptarent turrita ad prælia terga.
Senſit ubi ſilvâ Lepus hæc delatus ab altâ,
Me miſerum, exclamat, quæ jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? quæ nox denſis ſatis abdat in umbris,
Cruraque compedibus gravibuſque imbellia telis
Pectora ſubducat, cui non præſens animus, nec
Bellorum ſtabiles ad munia dura lacerti?
Cui Muſtela: Quid eſt, inſane, quòd ilia vano
Singultu quatis? haud tu digna hoſtilibus auſis
Materies: fletu nimis ambitionis in iſto eſt,
Qui tibi non meritæ fingit diſcrimina ſortis.
Conditione tuâ majorem pone, miſelle,
Ex animo curam: tibi non à Marte, nec armis,
Sed metus à vilis tenui ſit dente moloſſi.
Quid ſi me, contrà ſequitur Lepus, eſſe elephantem
Fortè aliquis contendat, inertem ad fervida regis
Imperia, & medii ceſſantem in pulvere belli,
Et vocet in Scyri latitantem litore Achillem,
Exigat & meritas ignavo à ſanguine pœnas?

Donec

Donec me leporem doceam, vireſque puſillas
Eſſe mihi, donec nudas oſtendere eburnis
Contingat telis, longâque proboſcide fauces,
Et liceat me ipſum eſſe mihi, quàm multa neceſſe eſt
Aſpera perpetiar! quanto diſtringar ab æſtu
Curarum, noctes ſubeundo indigna dieſque!
Egregiam quamvis, res dura eſt, dicere cauſam.

AD FERDINANDUM FURSTENBERGIUM,

De Muſarum diſſidio cogitantem; *An.* M. DC. LIV.

SUmme Deûm, ſævi domitor Pythonis, Apollo,
    Fatidica quem Delos ſuum,
Quem Cyrrhæa vocant, Pataræaque culmina regem
    Certâ timendum cuſpide;
Quemque novem doctæ, Parnaſſia turba, Sorores,
    Triplex & ambit Gratia.
Ad curas hominum precibus ſi flecteris ullis,
    Vatem tuorum fontium,
Aöniæque decus telluris, ab uſque remoto
    Rheni petitum litore,
Ut Latium, utque ipſos linguæque togæque Quirites
    Docto admoneret carmine;
Ne patiare tuis, Muſarum ac dulcibus ulnis
    Divina mitis ingenI,
Et ſtudiorum aliò ſpectanda avertere dona.
    Sit proprius in caſtris tuis

Mi-

Miles, ſeque tuis æternùm exerceat armis,
  Omnemque lucem nomini
Inde ſuo, laudemque petat, famamque decuſque:
  Quamvis avitus inclytæ
Non alium magis ornet honos, & gloria gentis,
  Nec plura quiſquam imaginum
Lumina Saxonicos numeret decorantia faſtos.
  Ne deſidêre inglorium,
Neu ceſſare velis Juvenem, quin divite venâ,
  Tuo & benigno numine
Utatur, ſeu facta gravi Regumque Ducumque
  Narrare tendat carmine,
Threïciâque avidos teſtudine fallere morſus
  Oblivionis invidæ:
Seu leve quid gracili modulari malit avenâ,
  Seu dulciore barbito
Jam nunc vernantis florem oblectare juventæ,
  Severiora differens.
Quin agè cunctanti (quod jam meditatur, & imo
  Dudum volutat pectore)
Egregii ut laudes FABII, præclaraque facta
  Ventura doceat ſæcula,
Adde animos, ſacrâque feri præcordia flammâ.
  Dicat ſerenæ in arduis
Rebus mentis opes, curiſque ingentibus æquum
  Stabilis vigorem conſilI,
Quo Latium, quo res Italæ, quo maximus Orbis
  Superbit INNOCENTIUS.
Dicat inexhauſtum ingenium, moreſque benignos,
  Nec purpuræ quicquam ſuæ
Debentem, & propriâ virtutem à luce coruſcam.
  Dicat profanæ impervium

Pe-

Pectus avaritiæ, nulliſque obnoxia corda
Cupiditatum fluctibus,
Atque animi intrepidas inter ſublimia vires:
Nec literarum & artium,
Nec cultæ ſileat rariſſima munera linguæ;
Sive expedita vinculis,
Nataque ad humanos placeat facundia cœtus;
Seu debita Superûm auribus
Verba Meduſeæ manantia fontibus undæ.
An clariorem carminum
Uſquam alibi ſegetem poſſit laudumque parare,
Elatiore aut ſpiritu
Impulſas animare fides, Famæque perenni
Servire glorioſiùs?
Annue Phœbe, ſacrique animis illabere Vatis.
Sic ſemper æthera incolas,
Sic tibi nulla genas fœdet lanugo, nec umquam
Deſit capillis laurea.
Dumque canis trifido cæſos Titanas ab igne,
Patris triumpho turgidus,
Cuncta tibi Superûm plaudant convivia, teque
Diu ſtupentes audiant,
Fruſtrà jactatos referentem in ſidera montes:
Nec hauriant libentiùs,
Quæ ſibi nectareo Phrygius rorantia ſucco
Fundit miniſter pocula.

DE

DE
INSULÆ [1] JUPANÆ
amœnitate.

FElicis hoſpes Inſulæ, vides glebas
Virides, amœnas, mitibus hilares pomis,
Ubi relinquens Indiam ſuam Bacchus
Chiumque nobilem uvidamque Methymnum
Madidus jocoſos feriatur Octobres;
Nullâque vite lætiùs calet, nulla
His gratiora pampinis gerit ſerta,
Præque his adulto collibus mero veſtras
Deſiderare, Cœlites, negat menſas.

DE
ALEXANDRO VII.
PONT. OPT. MAX.
ODE.

QUicumque diri, poſt tot atra funera,
Abominatus Martis impotentiam,
Irata adiſti precibus umquam numina,
Diu negata gentem ut humanam quies
Vultu bearet reduce: quiſquis inclytas
Compede gementes Thraciâ Orientis plagas

Reddi

1 Jupana inſula eſt oræ Illyricæ, ditionis Raguſinæ, quam Tauridem appellat Hirtius de bello Alexandrino.

Reddi Latinis rurſus optaſti ſacris:
Quicumque honeſtis debitum artibus decus
Redire, dulci literarum & otio;
Feſtiſque Muſas implicatas frondibus
Per Vaticanas ambulare porticus:
Nunc tempus albas expedire victimas,
Votiva tempus tura, nunc ſollemnia
Aptare ſacris dona pulvinaribus.
Dedêre cuncta Cælites tandem boni,
Plaudente quòd Olympo, & fremente Tartaro
Maximus habenas rerum ALEXANDER tenet.

AD
JUNIUM PALMOTTAM,

ſcriptorem egregii poëmatis, de rebus à Chriſto Domino inter homines geſtis, Illyrico carmine compoſiti.

ODE.

O Plena triſti mortis imagine
Humana, durum vita negotium;
Aſſueta diſtinctos acerbis
Ducere funeribus triumphos!
Tu læta mœſtis gaudia luctibus,
Mæſtoſque luctus lætitiis fugas,
Paſſimque commiſces amara
Cecropiis aconita ſuccis.
Quis turbo, qui te fulminis impetus
Æquet volantem? præcipitant dies,

Annique vertentes, nec ulla eſt
Sat rigidis brevis hora Parcis.
Nil ſceptra quidquam regia, nil decus
Claro ebriarum murice veſtium
Proſunt, nec everſis ſuperbi
De populis ſpoliorum acervi:
Nihil ſecundus rumor, & inclytum
Nomen, faventûmque aura Quiritium,
Faſceſque, lictoreſque, & alta
Nobilium ſeries avorum:
Nec ſummus imo diſcrepat, omnium
Immitis æquè ſæva neceſſitas
Metit rapaci colla falce,
Aggerat & miſeros beatis.
Virtute ſolâ fati adamantinas
Frangente leges. Illius in latus
Nil ſortis adverſæ, licetve
Perſephonæ jaculis malignæ.
Hæc te erudito in pulvere ſplendidâ
JUNI laborum exercuit indole,
Vulgi recuſantem profani
Gaudia, degenereſque curas.
Hæc docta ſacri pectora Numinis
Replevit hauſtu, non alii dato:
Quô fretus audacem Deorum
Cœtibus inſereres Camœnam:
Hæc nomen atri funeris inſcium
Dedit, perennis cum ſtrepitu lyræ
Latè volaturum per aures
Illyridum populorum amicas.

IN EMBLEMA,

apponendum Latinæ editioni Hiſtoriæ Concilii Tridentini, Cardinalis Pallavicini, cum aquilâ unguibus ferente ſerpentem, & ad ſolem, nomenque JESU *in ſole præfulgens, reſpiciente.*

ODE.

MOntium præpes nemorumque cultor
Ætheris celſi decus, ô miniſter
Impios certo ferientis ictu
Fulminis ales!

Qui viris clarum, tituliſque priſcis
Sfortiæ magni genus atque ſtirpem, &
Miſſa per longas ſeries avorum
Stemmata ſignas:

Perge, ubi pulchræ generoſus ardor
Te dapis dudum tenet atque pugnæ,
Splendidum victor ſolito ciêre in
Pulvere Martem.

Perge, Divini radios tuendo
Solis, & roſtro lacerare & ungui,
Si quid inviſi Superis colubri
Reſtat inultum.

Tuta ut à fœdo Pietas vapore,
Splendeat caſtis operata templis;
Teter & puras odor inquinare
Deſinat auras.

Non vides quantâ tibi mole præſens
AuxilI cœlum faveat? Verendo
Sol tuus latè Superis & imis
Nomine fulget.
Hoc duce inſuetum per iter citatas
Explicas primæ inter operta cauſæ
Arduus pennas, penetraſque ſummi
Limina Veri.
Nota jam pridem hic tibi tela, & acres
Sufficit cordi indomito favillas;
Hoſtium tergo bene ſæpè notas
Sufficit iras.
Sed quid immitis mea Muſa pugnas?
Sæva quid fruſtrà meditaris arma?
Vicimus! primo ferus hoſtis olim
Concidit ictu.
Concidit, latè volucremque dium
Auxit æterno domitus trophæo,
Et novum aſſerti radiare fecit
Sidus Olympi.
Tale Cyrrhæi domitor draconis,
Rettulit palmæ decus, & Gigantum
Impios ſævo jaculatus igni
Juppiter auſus.
Talis in Dacos utinam Scythaſque
Italas virtus animaret haſtas,
Tamque terrenos rueremus acri
Impete in hoſtes!
Barbarâ haud ultrà gemerent catenâ
Græciæ pingues Aſiæque campi,
Et ſacris læti fluerent Latinis
Nilus & Iſter.

DE CATELLA CÆSARIS RASPONI, NUNC S. R. E. CARDINALIS.

LUgete Veneres, Elegantiæque omnes,
Hominumque lepida turba delicatorum.
Perempta Lacheſis invido jacet ferro
Catella blanda, Cæſaris mei nuper
Amor & voluptas, gaudiumque, luſuſque:
Cujus jocoſis ille morſibus ſæpe,
Latratibuſque mollibus fatigatum,
Inter laborum ſeria & graves curas,
Animum levabat: quam videre ſaltantem,
Videre curſitantem, & in pedes ſeſe
Ultrò erigentem, geſtiebat: Et feſſam
Ætate, languidamque, priſtinæ gratus
Feſtivitati, luſibuſque mellitis,
Adhuc amavit, aluit, & ſuam dici
Ut antè voluit, luce nec modò caſſam
Deſiderare ceſſat, & recordari.

IN BAUNUM,

detractorem carminum Cl. Viri

AUGUSTINI FAVORITI.

QUænam te mala mens, inepte Baune,
In iras agit optimi Poëtæ?
Quæ noxæ tibi non bene expiatæ
Ad certaminis aleam protervi
Iſtos exiguos cient lácertos?
An ut pervenias in ora vulgi,
Teque ut poſteritas loquatur omnis,
Nobili cupis interire dextrâ?
Nimis crede mihi impotenter ardes
Riſûs materies perennis eſſe.
Verùm ſplendida teque celſiora,
Stulte, deſine ſomniare fata:
Nam loco ſaliumque carminumque,
Tuis ſupplicia aptiora nugis,
Informis ſitus, exigentque blattæ.

STEPHANI GRADII
ORATIO
De eligendo Summo Pont. Sede vacante, poſt obitum
ALEXANDRI VII.
AD EMINENTISS. S. R. E. CARDD.

Habita Romæ in Baſilica Principis Apoſtolorum Die II. *Junii* M. DC. LXVII.

PERFUNCTIS Vobis, Patres Eminentiſſimi, mœſto & lugubri, componendi Sanctiſſimi Pontificis ALEXANDRI, & noviſſimis honoribus decorandi, munere; ab iiſque omnibus ritè expeditis, quæ ad declarandum amiſſi optimi Parentis triſte deſiderium comparata ſunt more inſtitutoque majorum; ſupereſt neceſſaria de renuntiando ſucceſſore deliberatio, quem potiſſimum reclinato huic tantiſper humeris Veſtris oneri ferendo præficiendum putetis. Magna, ſublimis, ardua profectò res, & omnium, quæ humano conſilio adminiſtrari poſſunt, longè maximi, graviſſimique momenti. Collocandus namque eſt in ſupremo rerum humanarum faſtigio, ipſiuſque Dei Optimi Maximi, ut ita dicam, conſeſſui, Veſtrorum ſuffragiorum beneficio admovendus eſt unus ex Vobis, qui latiſſimum indè in ſingula, & univerſa, quæ ſub Sole ſunt, imperium, & poteſtatem obtineat: cujus facta pro legibus, dicta pro oraculis, placita

pro ratione generi humano futura ſint: cujus arbitrio regi ac temperari, nec inferorum portæ detrectent, nec ipſius cæli ſublimitas dedignetur.

Hac ego de re in hoc ampliſſimo orbis terræ conſilio verba facturus rudis & indiſertus Orator, tremerem animo vehementer, & commoverer, ſi parem ſuſceptæ cauſæ magnitudini deſiderari orationem, & facundiam crederem; nec potiùs traditæ cuidam à majoribus conſuetudini utcunque mihi parendum eſſe viderem. Satis enim intelligo, eâ Vos mente, eoque conſilio huc adveniſſe: adeò intentos in commune bonum, adeò flagrantes in Dei, & Eccleſiæ charitate animos attuliſſe: tantâ denique ſapientiâ, & rerum uſu eſſe præditos; ut nullus ſit reliquus locus diſputationi, quæ Vos officii veſtri rationis admoneat. Satis itaque mihi erit, ſi ſanctiſſimum propoſitum Veſtrum, ſi egregiam Reipublicæ in his Comitiis benè gerendæ voluntatem, vel leviter adumbrare contingat; ut in iis, quæ à me dicentur, quaſi quodam in ſpeculo, Vos ipſos paulùm; Veſtrorumque ſenſuum, & cogitationum imaginem contemplemini.

Quò ego libentiùs, & pleniore bonæ ſpei cum animo in hoc argumento mihi verſandum eſſe video; Vix enim periculum eſt, ne ſanctus, ne innocens, ne ipſi illi, à quo proximus eſt futurus, quàm ſimillimus prodeat ex iſto cœtu, quem ſagaciſſima ſuperiorum Pontificum in ſpectandis hominibus diligentia, accerſendo quidquid uſquam egregium eſt, ex omni penè lingua, & populo, & natione conflavit. Quem adeò unà cum Principe Apoſtolorum genus electum, & regale Sacerdotium multò ego juſtiùs appellavero, quàm ille Regis olim Epirotæ Legatus veteres Romanos Senatores Reges appellaverat.

Nec

Nec verò hæc à me colligendæ Veſtræ benevolentiæ gratiâ, quam maximi facio, dici putate, aut quò magis ampliſſimâ Veſtrâ dignitate delectari Vos velim; ſed ut uberrimam rectè ſtatuendi materiem, in qua verſamini, Vobis oſtendam; eòque minore veniâ dignum, ſi quod hîc intervenerit, peccatum futurum ſciatis: quo cavete exiſtimetis, ullum aliud hoc tempore, aut majus, aut gravius admitti poſſe.

Neque eſt quòd nobis magnoperè blandiamur, quaſi cætera Veſtra ſanctitate, rebuſque pro ſalute, & gloriâ Eccleſiæ præclarè geſtis, aut gerendis, neglectam hoc in negotio officii religionem ſarcire poſſitis. Aliæ ſiquidem omnes altiſſimi iſtius Veſtri muneris partes, quamlibet graves & magnæ, ſi cum jure ferendi de Pontifice Maximo ſuffragii conferantur, leves, obſcuræ, ingloriæ ſunt; propterea quòd non adeò propriæ Veſtri Ordinis habentur, ut per alios inferiorum ordinum magiſtratus obiri, & explicari non poſſint: hac in re præcipuè cenſeri, ſpectarique dignitatem Veſtram omnes intelligunt: hac maximè poteſtate fortunam Veſtram in aliorum Eccleſiæ Antiſtitum numero excellere, atque eminere: nec aliunde fieri, quòd mortalium nemo tantum ſibi, aut ſanguinis, aut opum, aut gloriæ magnitudine tribuat; ut acceſſione Purpuræ Veſtræ dignitatem ſuam in immenſum auctam, amplificatamque non putet. Fruſtra itaque ad debitam Ordini Veſtro gloriam comparandam in reliqua Eccleſiæ procuratione ſtrenuus, & fidelis, & officii diligens quiſquam fuerit, ſi hac una in re ceſſaverit; nam ut maximè boni viri laudem ferat; decus certè recti, & conſtantis Eccleſiæ Romanæ Senatoris non feret.

Sed ingenia Veſtra PP. EE. ejuſmodi non ſunt, quæ

ad recta conſilia capeſſenda terrore, ac denuntiationibus adigantur. Multò validior eſt apud optimum quemque, conciliatrix illa fortium animorum, recti, honeſtique ſpecies, & pulchritudo, cujus ſanctiſſimis illecebris non vereor, ne non magnoperè in hoc negotio gerendo commoveamini, ſi perſuaſum habebitis, nulli æquè rerum mortalium Chriſti Eccleſiam, quàm hujuſmodi Comitiis ſanctè habitis, eorumque ex ſententia ſucceſſui magnitudinem ſuam, ſplendoremque debere: ac ſi quid humanis in conſiliis fuit, ut ſancta illa, potenſque, & glorioſa, & hoſtium victrix, & præliorum ſuperſtes eſſet, hinc potiſſimùm fuit. Hinc etenim factum eſt, ut Romanis in faſtis Viros ſuâ quemque memoriâ maximos, ac ſapientiſſimos haberemus, qui Summi Pontifices, iidemque ſummi mortalium, non dignitate magis, ac titulis eſſent, quàm meritis, & virtute. Quod unum ad certam, & abſolutam magnorum imperiorum felicitatem ſatis eſſe, non eſt, quod à Platone doceamini, qui tales reliquos cives ſolere eſſe ait, quales eſſent Principes Civitatum; multò namque vetuſtiorem, locupletioremque hujus veritatis auctorem Spiritum Sanctum habetis, & reſpondentia divinis ejus oraculis experimenta non dubia, præſertim ex Annalibus Eccleſiæ petita: cujus res maximè proſperas atque florentes, ſanctiſſimi quique Romani Pontifices præſtitêre, quorum virtutis & ſapientiæ, ſecundùm Deum, beneficium eſt, ut compages ejus ſexdecim ampliùs ſæculorum fortunâ diſciplinâque conſiſteret; eſſetque divinorum operum, quæ mente & ratione continentur, poſt homines natos longè latiſſimum ampliſſimumque, licet quis illam minimâ ſui parte, hoc eſt humanis opibus, ac magnitudine metiatur.

Nulli

Nulli parcere labori, nullum non adire diſcrimen, certum, ac ſtatutum Vobis eſſe, perſuaſum habeo: ut quàm ſpecioſam hac parte, ornatamque Domini Sponſam à majoribus accepiſtis, eodem cultu & majeſtate præſtantem, poſteritati tradatis; ac ne de ſpiritu quidem ipſo ac ſanguine, tam præclaram in cauſam, ſi res poſcat, profundendo, dubitare. Satis id, ſuperque declarat, vel honos iſte Purpuræ, quam Vos nequaquam ad inanem luxûs oſtentationem, aut oculorum oblectamentum, ſed hujus ipſius conſtantiæ, ac fortitudinis profitendæ causâ, vetere inſtituto, geſtatis.

Verumenimverò ad negotium, in quo verſamini, minimè tantâ mole virtutis opus eſt. Nulla hîc Tyrannorum ſævitia eſt, cum qua luctemini, nulli quos ſuperetis hoſtes, nullæ quas vitetis inſidiæ. Vobiſcum demum Vobis negotium eſt; & cum animo Veſtro, re omnium dociliſſimâ, cui viriliter imperetis; ut, quod optimum eſſe factu nemo Veſtrûm ignorat, faciendum ſine dubitatione ſtatuatis: quod quidem non ſolùm Eccleſiæ, cui debetis omnia, ſed etiam Vobis ipſis ſalutare, & frugiferum experiemini.

Quam ob rem non hîc ego, quod à pleriſque ex hoc loco dicentibus ſæpè auditum eſt, illud à Vobis magnoperè contendam EE. PP. ne in hâc deliberatione quicquam humanæ gratiæ tribuatis; ne, quid privatim cujuſque Veſtrûm interſit, cogitandum, & ponderandum arbitremini. Facilè intelligo, utcunque magna, & excellens iſta ſit Veſtra dignitas, homines tandem eſſe Vos, & hominum officia fungi, nec aliis artibus, quàm iis, quarum humana infirmitas patiens eſt, creationem quoque Romani Pontificis, ut cætera mortalia, tranſigen-

 dam.

dam. Non is ego ſum, qui rigidam illam veteris Eccleſiæ ſanctitatem non optandam potiùs, quàm ſperandam exiſtimem, & qui remiſſis longâ fortunæ indulgentiâ ſæculi moribus, ignoſcendum aliqua ex parte non putem; eòque damnare non auſim, ſi Veſtram quoque rem privatam unà cum publica, unà cum gentium omnium commodis, Veſtra etiam commoda, & rationes agi putetis. Præſertim quòd adeò ſublimis eſt, & vulgarem aliorum hominum ſupergreſſa modum Veſtra conditio; ut bona, malaque Veſtra ad Rempub. pertineant, & pro loco, quem in Eccleſia tenetis, privata Veſtra felicitas grandis omnino portio ſit felicitatis communis.

Verùm hæc ipſa propriæ Veſtræ utilitatis momenta veris examinate ponderibus: hos ipſos calculos diligenter, accuratèque ſubducite: profectò invenietis, privatas omnium Veſtrûm rationes cum publicæ utilitatis rationibus egregiè conſpirare. Optimum eligi, ſine dubio publicè intereſt: Hoc ipſum etiam ſigillatim cujuſque Veſtrûm intereſſe, audacter ego, & ſi verè conſulatur, mecum ratio ipſa pronuntiat.

Nemo dubitat, cùm inter ſapientes rerum ſuarum æſtimatores de ſervitii conditione deligenda conſilia agitantur, ſummam deliberationis in eo maximè verti, ut nos jugo quàm fieri poteſt leviſſimo, & juſtiſſimo oneremus; quod ita demum eveniet, ſi dominum nobis ſapientiâ quàm præſtantiſſimum adoptabimus, cujus propterea poteſtati ſubjecti, à libertate, pulcherrimo animi humani bono, quando eâ neceſſariò carendum eſt, minimum diſtabimus.

Quid quòd ut quiſque prudentiſſimus eſt, ita maximè aliorum prudentium conſiliis gaudet? Quam ego lau-

laudem in viro ſummi faſtigii ſuper omnes alias neceſſariam eſſe ſtatuo; ut qui curam ſuam in res plurimas, ac diverſiſſimas, nec unius mentis captui accommodatas diſtentam habet. Vis enim alioquin illa animi per ſemet excogitandi omnia, quæ agenda ſunt, cui primum ſapientiæ decus priſcus ille Vates aſſignat, privatæ demum fortunæ, & paucis in negotiis verſantis eſt. Cujus tamen decoris gloriam leviora quæque ingenia, ſupremam auctoritatem nacta, incredibile dictu eſt, quàm impotenter affectent, omnique conatu id agant, ne quid alieni conſilii eguiſſe credantur: quâre, quid oro magis adverſarium eſt juri Veſtro Senatorio dicendæ de Republica ſententiæ? neque enim, intermiſſo illius uſu, multùm habet iſta Purpura Veſtra præclari.

Jam verò ſummi omnium beneficii, quo Veſtris ſuffragiis extollendùm afficere paratis, nec intelligens eſſe poterit, nec memor eſſe volet, niſi vir fortis, & moderatus, & ſapiens. Virtus enim grati animi, more nobilium quarundam ſtirpium, glebæ ſterilioris impatientium, ingeniis optimè à natura factis, & egregiè à bonis artibus inſtitutis unicè lætatur; & niſi multarum præterea virtutum comitatu ſtipata ſit, facilè emoritur, & exareſcit. Quanto enim robore mentis, quantâ indole virtutis opus eſt, ne in ſumma, ampliſſimaque fortuna collocati ad illa vulgò jactata ſeſe demittant, averſandi magnorum beneficiorum auctores, & quaſi gratiæ, cui ſeſe referendæ impares eſſe vident, rigidos exactores faſtidiendi? Nec verò hujus rei, aut pauca aut obſcura in omni memoria temporum, exempla ſunt, quæ perſequi ſigillatim apud viros doctrinâ, & uſu rerum præſtantes ſupervacuum judico: ſimul illud omitto commeme-

memorare, quàm vanus propterea labor, & quàm inutilis induſtria illa ſit, quâ nonnullos antiquitus in hujuſmodi Comitiis uſos eſſe memorant, ut non tam unum aliquem animo propoſitum haberent, quem cæteris anteferrent, quàm id agerent, ut quoquo modo provectus, ipſos auctores tantæ ſibi fortunæ fuiſſe, perſuaſum haberet.

Sed ut omittam ſingula rationum Veſtrarum momenta nimis accuratè colligere: quid, oro, tam cujuſquam Veſtrûm eſt EE. PP. quàm Eccleſia, & Res Chriſtiana; cujus pars multò maxima præcipuo quodam, & excellenti jure Vobis divinitus eſt attributa, ut omnino nihil quicquam in re familiari tam amplum, nihil in ſupellectili tam eximium, nihil in bonis tam fructuoſum habeatis? Ejus autem poſſeſſio non ſolùm Vos opulentos, & copioſos, ut aliorum hominum vulgus ſuæ divitiæ, ſed planè terrarum Dominos, ſed mortalium generis Principes, ſed humanarum, divinarumque rerum potentes facit. Hanc adeò partem rerum Veſtrarum potiſſimùm Vos curare, huic incubare theſauro, pro hoc uno maximè attentos, & ſollicitos eſſe decet. Quòd ſi cæterorum omnium, quæ Veſtra ſunt, amiſſionem indè, atque interitum ſequi oporteret, quis tam imbecillæ mentis eſt, ut vulgarem nautarum ſapientiam non imitetur; qui propoſito tempeſtatis periculo, poſtquàm levandum ſibi onere navigium vident, jacturâ viliorum quarumque mercium, nobiles & pretioſas redimendas exiſtimant.

Quantò magis hoc animo eſſe debetis, cùm hæc ipſa, quæ rerum ego Veſtrarum viliora, & leviora voco, domeſticas, inquam, poſſeſſiones, & commoda, non modò magna illa, atque præclara curando non amitti-

amittitis, aut minuitis; ſed hac una maximè ratione conſtitutis, ac ſtabilitis? Niſi fortè dubium, aut obſcurum putatis ſcitum illud Evangelicum oraculum, quo jubemur primùm quærere regnum Dei, ut hæc omnia adjiciantur nobis. Cujus oraculi profunditatem quò altiùs penetretis; reputate, quæſo, cum animis Veſtris admirabilem divini conſilii vim, atque virtutem, aſtutis humanorum conſiliorum conatibus maximè adverſariam, quâ fieri plerumque videmus, ut proſperi ſucceſſus eorum, quæ cautè, & providenter ad noſtra commoda promovenda nobis excogitaſſe viſi ſumus, in perniciem vertant; nec ulla tam acerbè mala nos urgeant, quàm quæ ipſi nobis ultrò arceſſimus, cùm maximè callidi, & rerum noſtrarum diligentes eſſe volumus. Hæc eſt illa divina vis, quam profano vocabulo Fortunam appellamus, caſuum, rerumque, occultis humanæ rationi cauſis nitentium, imperioſa dominatrix, cujus arbitrium ſeverum & impotens, votis noſtris accommodare, unius Dei beneficii ac muneris eſt. Quem certè niſi præſentem, ac propitium ædificationi noſtræ domûs habuerimus, in vanum omnino lapides noſtros, & cæmenta conſumimus: quantò verò ſtultiùs, & inaniùs, ſi hos ipſos lapides, & cæmenta de ruinis domûs Domini, quæ nuſquam certior, quàm in malis de Eccleſia conſultis eſt, injuſtiſſimo compendio depromimus, & comparamus?

Intelligitis opinor EE. PP. quàm graves, magnæque in Vobis cauſæ ſint, quæ Vos ad hoc munus Comitiorum ſanctè, integrèque obeundum adhortantur. His tamen multò majores, & graviores in ipſa re, quam geritis, invenietis, ſi præſentem tum Eccleſiæ, tum Reipublicæ ſtatum paulò mecum diligentiùs ex-

pende-

pendetis; qui profectò tam difficilis & lubricus eſt, ut prorſus divino conſilio factum exiſtimem, quòd cœtus hic Veſter Summorum Virorum copiâ, ingeniique, & conſilii laude præſtantium, ut unquam aliàs, abundat, & floret.

Non eſt hujus loci, pluribus explicare conditionem, quâ nunc agunt Eccleſiæ Romanæ Civitates, propter incommoda ſuperiorum temporum neceſſitate contracta. Vos ipſi, quæ dici hac de re poſſunt, intra Vos ipſos reputate, & quâ unâ ratione datum eſt, languenti huic parti Reipublicæ, præſenti optimi & ſapientiſſimi Principis remedio, ſubvenite.

Neque tamen de Eccleſia, quà regnum terrenum & caducum eſt, ita ſollicitos eſſe nos oportet, ut ejuſdem obliti videamur, quà parte cæleſtem illam, & immortalem eſſe, credimus. Hæc militans in hac vita, & adverſus inviſibiles hoſtes continenter in acie conſiſtens, Imperatorem, ac Ducem à Vobis magnis rebus gerendis idoneum flàgitat. Hujus, quæſo, neceſſitates, ac tempora Vobiſcum expendite, &, quem animum erga ſe, quæ conſilia à Vobis hoc tempore deſideret, pro Veſtra ſapientiâ ac pietate ſtatuite.

Hæret adhuc impreſſum religioni ſuperiore ſæculo graviſſimum in Germania vulnus, quod florentiſſimæ illi nationi, multiſque præterea illâ peſtilentiâ contactis exitio fuit. Quod quidem vulnus, quanquam crudum adhuc, & intractabile meritò credidimus propter hominum contumaciam, & obſtinatum ad pereundum animum; mox interpoſito ſpatio remiſiſſe plurimum de illa priſtina ſua malignitate viſum eſt, & curationis non nihil, ac medicinæ patiens eſſe.

Hæc

Hæc res, quis non videt, quàm latum campum aperiat explicandæ futuri Pontificis charitatis, & providentiæ; ſi idoneis ad flectendas hominum voluntates artibus urgendum ſibi pulcherrimum hoc incœptum ſuſcipiat: & ſi inclinatis ad lucem veritatis accipiendam multorum Principum mentibus, ac certè Catholicæ cauſæ minùs, & minùs jam iniquis, uti velit, & ſciat?

Nam quid ego de controverſiis inter Catholicos loquar, quorum diviſæ, & pluſquàm civiliter in diverſum propugnatæ de ſummis rebus fidei, ac diſciplinæ ſententiæ, ne in malum publicum erumpant, quantâ animi contentione, quâ dexteritate, quâ prudentiâ opus eſſe putatis? quantæ verò vigilantiæ negotium, ne abſurda pravorum ingeniorum induſtria noſtris diſcordiis abutatur, ad promovenda ſua conſilia peſtifera, & ſcelerata, fœdandæ turpiſſimis maculis Religionis, & graviſſimis vulneribus affligendæ?

Nihilo intereà melior eſt in Republica, quàm in Eccleſia habitus animorum; ortis nuper, & hoc maximè tempore in germen prodeuntibus pernicioſis diſſenſionum ſeminibus inter maximos, & clariſſimos Principes & Reges terræ; quæ ne extinctam non ita pridem peſſimam zizaniorum ſegetem iterum immittant in Orbem terrarum, omnemque bellorum incendiis Europam involvant, ſummum, præſenſque periculum eſt; cujus periculi depulſio ſalutarem futuri Pontificis curam, opemque deſiderat: ſi is magnus, & placens Deo, in tempore iracundiæ conciliator factus audire cupiet.

Sed hæc omnia, quanquam plena calamitatis, atque diſcriminum, ferenda utcunque viderentur, niſi unà cum turbis

turbis domeſticis urgeret externum bellum ab hoſte inſenſiſſimo, cum quo rarò non infeliciter, & ſine magna clade antiquitus congreſſi ſumus. Nunc autem cùm in unius Urbis irritâ obſidione alterum, & vigeſimum annum hærentem cernamus, & clariſſimis noſtris, terrâ, marique victoriis debilitatum, & inertiæ ſuæ convictum; ſatis opportunam in illo materiem habemus, glorioſis, & Chriſtiano animo dignis Romani Pontificis incœptis; ne ſpectatæ populi Chriſtiani virtuti, barbarica ulterius illudat ignavia; cujus non intellectum ad hoc tempus arcanum, recenti hoc experimento manifeſtò deprehendimus: & tandem aliquando deſinamus, pacem ab illo, & ſecuritatem ingentium Regnorum conceſſione redimere.

De his omnibus, quæ curſim à me commemorata ſunt, & omnino de ſumma Reipublicæ Chriſtianæ deliberare cummaximè Vos putate PP. EE. cùm de eligendo Pontifice Maximo deliberatis. Satis rectè, & terrenis Eccleſiæ commodis, & ſaluti religionis, & otio publico, & ſecuritati Regnorum conſulueritis, ſi recta hoc uno in negotio conſilia ſequemini: hoc eſt, ſi optimum, & ſapientiſſimum, qui omnibus hiſce conſulat, & præſideat, eligetis. Qui curarum ingentium capax, non uni ſe familiæ, aut uni civitati, nec uni adeò provinciæ, aut uni regno præfectum exiſtimet; ſed orbem terrarum univerſum, quàm latiſſimè patet, atque diffunditur, mente, & cogitatione comprehendat. Qui adepto ſummo inter homines magiſtratu, nequaquam adeò in ſublime provectum ſe putet, ut multum adhuc viæ ſibi reliquum eſſe non intelligat ad ſui faſtigii magnitudinem virtute & meritis adæquandam: qui fructum accepti honoris non in otioſa poteſtatis uſurpatione, & remiſ-

ſione

ſione à laboribus; ſed in curis, ſed in vigiliis, & felici magnorum indè conſiliorum ſucceſſu poſitum arbitretur.

Talis demum erit, (ut uno verbo complectar omnia) quem ſpectata præ cæteris erga Deum charitas commendet; quam unam, ſatis dignum pretium hujus honoris & loci, conſtituiſſe viſus eſt Chriſtus Dominus, cùm Principem Apoſtolorum non antè ſui gregis Paſtorem pronuntiare ſuſtinuit, quàm ſemel, iterum, ac tertiò de amoris erga ſe conſtantia, & magnitudine exploraſſet.

Ite igitur in Suffragia, Deo, Superiſque omnibus benè juvantibus, EE. PP. Præſtò erit (ne dubitate) mentibus, conſiliiſque Veſtris ſalutare Dei Numen, cui nunc unà Vobiſcum invocando, & propitiando, intentas, operataſque videtis precationes, & vota Eccleſiæ univerſæ. Quæ anxia de horum Comitiorum exitu atque ſollicita, ſe, ſuamque ſalutem, ac dignitatem, Veſtræ fidei, prudentiæ, pietatique commendat. Erecta ſcitote hoc tempore, & magnâ expectatione ſuſpenſa, omnium in Vos mortalium ſtudia: diverſa illa quidem, atque diſtracta; pro diverſo in cauſam religionis animo, atque affectu; ut alteri fœda omnia de Vobis, Veſtriſque animis, & actionibus, & optent, & futura deprædicent; alteri læta, & proſpera cùm judicia, tum auguria faciant. Nolite per Deum immortalem committere, ut plus vidiſſe, & exploratiùs judicaſſe de Veſtris ingeniis dicantur, quibus perditâ, quàm quibus ſalvâ, & florente Eccleſiâ Catholicâ opus eſt. Date hunc incredibilem hoſtibus fidei mœrorem, qui nihil ſani, nihil integri, nihil ex uſu Reipublicæ Chriſtianæ proficiſci poſſe à Vobis, impudentiſſimè mentiuntur: nec ſuſtinete, ut conceptam ab omnibus bonis de Veſtra ſingulari virtute, & ſa-

pientia ſpem fefelliſſe videamini. Denique in hac deliberatione, omnium maxima atque graviſſima, ita mentem, & conſilia Veſtra gubernate; ut exacturis quandoque hujús Veſtri facti à Vobis rationem hominibus, audacter, & ſine trepidatione poſſitis uſurpare ſolemnes illas cœtûs Apoſtolici voces: ITA VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS.

DIXI.

POE-

POEMATA VIRGINII CÆSARINI, URBANI VIII. PONT. OPT. MAX. CUBICULO PRÆFECTI.

Digitized by Google

VIRGINII CÆSARINI VITA,

Auctore Auguſtino Favorito.

QUæ de Virginii Cæſarini ingenio, moribus, ſtudiis, diſciplinâ, fortunâ, totoque vitæ curſu, non ab rumore vulgi, neque à Rhetorum laudationibus accepimus, ſed à viris gravibus, & ab omni affectu liberis, qui adhuc ſuperſunt, quique Virginium uſu quotidiano cognitum habuerunt; ea nos, ſicuti narrata acceptaque ſunt, ſimpliciter, pro noſtrâ & argumenti naturâ, fideliterque trademus.

Natus eſt Romæ, die xx. Octobris, anno M. D. XCV. patre Juliano, Civitatis Novæ Duce; matre Liviâ, Virginii Urſini filiâ. Utriuſque autem parentis genus, generiſque dignitas & potentia clariora ſunt, quàm ut ſcriptoris operam, lucemque deſiderent. Fratres habuit majores quidem natu, Joannem Georgium, qui patri in Ducatu ſucceſſit, & Alexandrum, qui poſteà Cardinalis creatus eſt ab Urbano Octavo, minores autem, Ferrantem, utriuſque Signaturæ Referendarium, ac Petrum, militem Hieroſolymitanum. Propinquitatibus verò multis magniſque floruit, à matre præſertim. Nam præter Urſinam gentem, Beatrix, Cornelia, & Catharina Liviæ ſorores, nuptui traditæ, cùm ſuis, tum ſuorum filiorum conjugiis, Sfortias, Columnas,

 Cor-

Corneos, Pallavicinos, Malvetios, Altempſios, Cæſios, Borromæos, Madrutios, aliaſque ſubinde veteres familias & locupletes comprehenderant. In Virginio igitur eximia ab ineunte ætate indoles, & ad ſtudia literarum ſingularis alacritas apparuit: adeò ut Bonifacius Cardinalis Caietanus, acri vir, ut omnes ſciunt, perſpicacique judicio, ſeptennem adhuc puerum cùm tractaret, ad omnia ſumma natum diceret, & incredibiles progreſſus in literis, ſi inſtitutio accederet, augurari ſoleret. Celebre eſt, ac pænè in conſuetudinem proverbii venit, nihil Romanis pueris feſtivius, nihil elegantius fieri poſſe: promtos, ſagaces, dicaculos, ingenioſos, ad omnia diſciplinarum genera mirè factos videri: ubi adoleverint, concidere ſæpè vim illam omnem, ardoremque animorum, & quaſi Circæo aliquo poculo repentè mutatos, alios planè ſenſus, aliam ſibi mentem induere. Verène id, appoſitèque dicatur; an à Tranſalpinis hominibus, vetere erga Romanos odio, falsò jactetur, nihil laboro. In Virginio certè aliter ſe res habuit, ut poſteà intelligemus. Novem fermè natus annos Parmam mittitur cum Alexandro fratre, quò procul à paternis deliciis, adeòque ab iis occaſionibus, quæ mentes adhuc teneras, & ad magna ſurgentes plerumque enecant, intentiorem ad ſtudia animum adjiceret. Antelata autem ceteris urbibus Parma, cùm ob celebritatem illius Academiæ excellentibus in omni diſciplinâ magiſtris, Ranutii Ducis operâ, florentiſſimæ, tum ob aviam Farneſiam: quo etiam nomine Ranutius venientem Virginium libenter domum ſuam recepit, & pro eâ, quæ intercedebat, conjunctione, benignè liberaliterque habuit, quoad eâ in urbe eſt commoratus. Manſit autem ibi quinque plus minùs annos: intra quod ſpatium

non

non ſolùm ea omnia arripuit, quibus ad humanitatem informari ſolent ingenui adoleſcentes; verùm etiam totius Philoſophiæ curſum confecit, præceptore Avanzino, qui Jacobi Zabarellæ in Gymnaſio Patavino diſcipulus, Peripateticæ diſciplinæ ludum in Parmenſi aperuerat: tantâ quidem cum laude, ut condiſcipulos & percipiendi celeritate, & diſputandi ſolertiâ longo intervallo omnes anteiret. Nec inſtitutum intereà iter retardavit infortunium, quod illi accidit. Nam dum inter æquales in equeſtri ludo ſe exercet, (quod unicum habebat à ſtudiis laxamentum) refractarius equus, cui erat impoſitus, juveniliter exultantem, & ſuperbè nimis imperitantem excuſſit, adeòque graviter ſolo illiſit, ut pluribus locis crure confracto, præ dolore ſenſibus pænè omnibus deſtitutus, ultimum vitæ diſcrimen adiverit. Quem caſum major etiam paulò pòſt calamitas excepit, Chirurgi imperitiâ. Cùm enim poſt duos menſes, quàm decubuerat, experiri vellet, an rectè adhuc conſiſtere pedibus poſſet, adeò perperam ac diſtortè conglutinata tibia apparuit, ut eam denuò perfringere neceſſe fuerit, & in eum ſtatum revocare, quo ante curationem fuerat, quò rectiùs convaleſceret, accerſito ab Iſſæo uſque lacu, in Venetâ regione, probatæ artis Chirurgo. Horret animus eos cruciatus cogitare, qui denuò tolerandi Virginio fuere; qui tamen illos eo animi robore tulit, eâque conſtantiâ, quam in viro confirmatæ jam ætatis & ſapientiæ non requiras. Igitur, ut eramus aggreſſi dicere, tantum abfuit, ut propterea ſtudiorum ſuorum curſum intermitteret, ut per totum illud tempus, quo in lectulo confixus jacuit, (jacuit autem integrum propè annum) nihil ageret aliud, quàm ut cum viris doctis ſermonem de literis inſtitueret, præcipuè verò cum

Patribus Soc. JESU, qui ei frequentes, & ad omne promti officium aſſidebant. Quorum quidem vivendi ratio & inſtitutum adeò Virginio arriſerant, ut non ſemel de illorum amplectendâ militiâ cogitarit: eamque animi illius propenſionem perpetuam atque conſtantem poſteà aperuit ultima ipſius voluntas, qua Ignatiano habitu efferri ſe velle cavit in teſtamento. Ea curatio cùm poſt menſem undecimum exitus tandem proſperos habuiſſet, eoſque jam progreſſus feciſſet in literis, quos operæ pretium eſſet in aſpectum lucemque proferre, Romam, ineunte adoleſcentiâ, Virginius revertit, ubi magnum ſanè virtuti ſuæ theatrum invenit paratum. Nam ingens hominum animos cupido inceſſerat videndi cominùs, & periclitandi ingenii, de quo tam multa, tam præclara omnium ſermone afferebantur: erantque non pauci, qui ſuſpicarentur, in adoleſcentulo primariæ nobilitatis, & morum formæque elegantiâ commendatiſſimo, efferri plus æquo omnia: ita verò ſolere fieri, ut qui aliis in urbibus maximo in pretio eſſent, & laude ingenii ceteros mortales anteirent, Romæ ita decreſcerent, ut vix aliquo in numero haberentur. Virginius tamen adventu ſuo ita confirmavit rumores, qui de ipſius virtute atque ingenio percrebuerant, ut nihil jam in Urbe eſſet ejus nomine clarius; eſſentque in eum, tamquam in aliquem ex veterum annalium memoriâ, converſi animi & ſtudia Civitatis. Sive enim privatis eruditorum colloquiis de re literariâ ſermo eſſet; ſive in ſcholaſticorum, quos vocant, arenam deſcenderetur; magna ubique ejus doctrina, magnum acumen, & fertilitas ingenii eminebat. Hæc autem efficiebat etiam gratiora præter generis claritudinem ſuavitas oris, formæque dignitas. Quibus accedebat actio efficax, & ſonus vocis elegans,

&

& ad aurium voluptatem accommodatus; ingenuus præterea quidam pudor, & candor animi, pari cum humanitate erga omnes, & facilitate naturæ. Nam ad id quidem quod pertinet, extat inter ejus ſcripta Satyra elegans, quâ acriter carpit, vel potiùs irridet nobilium quorumdam inſcitiam, qui exiſtimationem dignitatemque nominis, quam ſolidis ornamentis, ac verâ virtute non poſſunt, oſtentatione generis ac potentiæ, & inſolentis animi faſtu conſequi volunt. Nec parùm momenti habebat ad plauſum laudemque Virginio conciliandam ſenilis quædam in primo ætatis flore maturitas, non illa quidem auſtera ac triſtis, (nam hilariora nonnunquam convivia & congreſſus amabat, eratque in jaciendò, mittendoque ridiculo perurbanus) ſed quæ adoleſcentem deceret literis impensè deditum, & ab inſitâ animi generoſitate, non fluxa & præſentia, ſed ad memoriam illuſtria, & æterna reſpicientem. Ferunt, cùm ab æqualibus ad inſigne ſpectaculum invitaretur, quod totius Urbis concurſu celebrabatur, ſe verò id facturum negaſſe, nec eo ſe crimine velle adſtringere, ut quo temporis ſpatio poſſet Olympicis, Nemeæis, Circenſibus ludis, &, ſi liberet, etiam Floralibus, ſine ullo incommodo aut ſtrepitu, domi ſuæ intereſſe, mallet imperitorum artificum nugis, quantumvis ſumtuoſis, inter tumultus & vulgi anguſtias, oculos atque animum proſtituere. Maximos præterea clamores excitabat memoria, quâ ita Virginius pollebat, ut integras ſæpè Scriptorum paginas, pro re natâ, recitaret; & ubi intereſſet publicis diſputationibus, (intererat autem ferè quotidie, certatim invitantibus iis, quorum ea ſolemnitas erat, quò tanti Viri præſentiâ illuſtrior fieret) eſſetque vel elevandum adverſarii dictum, vel ſuum confirmandum, ſexcenta Ari-

ſtotelis loca proferret ex tempore, iiſdem pænè verbis quibus reddita fuerant ab interprete: nam Græca adducere, nec moris eſt apud noſtros homines, & ipſe (inſtitutum enim tenebo, nec alios patiar falſas Virginio laudes appingere) non niſi leviter attigerat Græcas literas. Itaque cùm acerrimo ingenio parem memoriam, quod perrarò accidit, ſortitus eſſet, & tempus omne, quod reliquum eſſet ab officiis ad tuendam vitam neceſſariis, tereret in commentationibus, & tractatione librorum, brevî omnis reconditæ exquiſitæque doctrinæ ſcientiam ita comprehendit, ut admirationi eſſet univerſis, nec jam ſe intra Italiam contineret illius gloria, ſed mare & Alpes prætervecta, longè ſe ad ultimas terras, latèque diffunderet. Cardinalis quidem Bellarminus (quem virum parùm conſideratè quicquam, aut ad aſſentationem dixiſſe vel feciſſe umquam, nefas eſſet ſuſpicari) ſolitus erat dicere, videri ſibi Virginium alterum Picum Mirandulanum, eum qui ob excellentiam ingenii, & doctrinæ, phœnix eſt nuncupatus. Quod ſanè dictum & probabatur in vulgus, & utriuſque genus, mores, formam, ingenium, ſtudia, exitum ipſum vitæ ex æquo comparanti haud multùm abſonum à vero reperietur. In cujus rei fidem ſubjicimus numiſma, ex unâ quidem parte duobus phœnicibus inſculptum, ex alterâ verò totidem imaginibus affabrè ductis, & extantibus; quarum prior Joannem Picum, Virginium Cæſarinum altera referebat.

Idem



Idem Cardinalis Virginio auctor fuit, ut tantam rerum optimarum ſcientiam, ingeniique præſtantiam, quæ ſibi divinitus contigiſſet, ad ipſius Dei gloriam, & generis humani fructum conferret, ſcribendo librum, in quo uberioribus argumentis, quàm ceteri feciſſent, magiſque ad ſenſum permanantibus, omnem dubitationem tolleret de immortalitate animorum, ad revincendam illorum pertinaciam, qui ſacrarum literarum teſtimonio hac in re minimè acquieſcerent. Et ſanè multa in id argumentum Virginius jam collegerat, colligebatque in dies, quò omnia ſuo tempore rectè & ordine digeſta luculento volumine complecteretur; niſi præmatura poſteà mors egregium Opus, quemadmodum alia multa quæ moliebatur animo, intercepiſſet. Inter hæc non neglexit Juris quoque ſcientiæ, cujus Conſultus fuerat Parmæ ſolemniter appellatus, operam dare, coacto etiam ſtylo, quo ceteroqui caſtigato utebatur, accommodare ſe formulis curruptæ Juriſprudentiæ. Verumtamen longè major illum voluptas ad mitia Muſarum ſtudia, & flagrantior cupido rapiebat, hominem præſertim non tam honorum & potentiæ, quibus vulgares animæ uſque ad in-

inſaniam capiuntur, quàm laudis & gloriæ, quâ magnæ mentes & erectæ in primis ducuntur, appetentiſſimum. Quamobrem, valere tandem juſſis leguleiorum forique clamoribus, iterùm ſe liberalioribus literis totum tradidit, Theologicis præſertim, ac Philoſophicis: quarum primas cum ſacræ hiſtoriæ, Canonum, Conciliorum, ac Patrum cognitione conjunxerat; in ultimis verò, Doctore & Magiſtro Avanzino, de quo ſuprà memoravimus, ita uſque ad illud quidem tempus Peripateticorum ſectæ adhæſerat, ut ab eorum placitis vel latum unguem diſcedere religio illi eſſet. Verùm ubi verſari familiarius cœpit cum Federico Principe Cæſio, ejuſque auctoritate & conſilio in amicitiam ſe dedit Galilæo, Joanni Ciampolo, aliiſque ejus diſciplinæ hominibus, qui è cælo ſe devocaſſe gloriabantur veram ac germanam philoſophiam, hoc eſt, aliam planè ab eâ, quam Ariſtoteles tradidiſſet; primò quidem obluctari acriter eorum dictis, deinde ubi quotidianus ſermo argumenti inſolentiam cicuravit, haud gravatè aures, poſtremò etiam manus dedit. Itaque veteris militiæ deſertor & transfuga, ut ſunt juvenum ingenia cupida rerum novarum, tranſitum fecit ad caſtra Lynceorum, (id nomen Academiæ fuit) quorum erat inſtitutum inuſitata rerum eventa, quæ terris, quæ cælo acciderent, in diſputationem vocare, cauſas ſedulò indagare, & eorum obſervationibus, aliiſque experimentis, veterem omnem philoſophiam, Ariſtotelicam in primis evertere. Ex eo numero qui eſſet, quaſi familiæ ſuæ teſſeram ambitioni vocabuli convenientem, geſtabat digito annulum, lynce inſculptum, quo ſignificabatur, eſſe eos in rimandis naturæ arcanis perſpicaciſſimos. Hæc porrò Academia auctorem habuit eum, quem diximus, Federicum Principem

Cæ-

Cæſium, literarum amatorem potiùs, quàm peritum; manſitque tamdiu, quamdiu vixit auctor ſuus, qui illam quaſi ſatam à ſe arborem omni officio induſtriâque colebat. Verùm eo mortuo, cùm Academici nullas haberent certas ſedes, nec ceterarum Academiarum morem ſequerentur, ſtatis diebus in unum conveniendi; ſed unico nominis ſplendore, & annuli myſterio omnis eorum diſciplina contineretur: brevi Lynceorum memoria ita extincta eſt, ut eorum ad ætatem hanc noſtram vix tenuis aura pervenerit. Præter Galilæum, & Ciampolum, coluit quoque Cynthium Clementem, eidem ſectæ addictum, & inſignem eâ tempeſtate Medicum. Ab eo Virginius Chimicis ſacris initiatus, verſari cœpit attentiùs in ejus artis experimentis, quibus præcipuè Ariſtotelis fundamenta convelli putabant. Eaque ipſa experimenta convertit poſtmodum à deſtruendis Peripateticorum placitis ad fulciendam valetudinem ſuam, quæ jam & aſſiduo labore in ſtudiis, & habitu corporis gracili propenſoque ad maciem, in deterius quotidie prolabebatur. Verùm hic quoque conatus, ſicut alia multa quæ periclitatus fuerat medicamenta, irritus fuit, in dies magis magiſque ſuperante vi morbi. Cujus rei cùm omnem culpam (vitio generis humani) conferret in inſcitiam Medicorum, invehi vehementer eâ occaſione ſolitum ferunt in inſaniam temporum noſtrorum, quibus ars illa, cui valetudinem noſtram vitamque credimus, tamquam humilis & plebeia, digna judicaretur, in qua illi fermè elaborarent, qui nullas vererentur violare majorum imagines, quique tenuitate plerumque rei domeſticæ, prohiberentur operam dare ſtudiis ac diſciplinis ad eam probè tractandam neceſſariis; inſtrumenta fundi, paſcua, nomina, ſupellex, à viris honeſtiſſimis, patriciiſque

ciiſque vendicarentur. Igitur cùm alterius cæli præſidium, reliquis omnibus fruſtrà conſumtis, experiri conſtituiſſet, Bononiam iter intendit, non quòd ſitum illius urbis maximè opportunum duceret valetudini ſuæ, placidum alioqui temperatumque cælum deſideranti; ſed quòd in Bononienſi Gymnaſio mereri ſtipendia dicerentur Medici præſtantiſſimi, nec deeſſent literati viri, ſine quibus, ut cætera adeſſent omnia, videbatur ſibi Virginius in ſolitudine luctuque vivere. Sed interceptus in itinere ab amantiſſimo ſui Principe Cæſio, Aquamſpartam Cæſiæ gentis oppidum propè Spoletum divertit, manſitque ibi aliquot dies magnâ, quantum quidem per invaletudinem licuit, cum voluptate. Quippe Federicus, quò libentiorem illic Virginium retineret, Bononiâ accerſerat, præ cæteris, Claudium Achillinum, Philoſophum ac Poëtam, opinione quidem omnis Ciſalpinæ Galliæ maximum, & Petrum Poterium rei Chymicæ egregium artificem, quibuſcum alternas horas hilarè ac jucundè tranſigebat. Ac brevî tantùm de veteri ſuâ ſævitiâ morbus remiſerat; ut vox etiam, quàm pituitæ, vel alteriùs cujuſvis humoris defluvio, ulceratæ fauces, jam olim intercluſerant, ad officium rediret, ut Elegiâ quâdam ad Cynthium Clementem ſibi ipſi effusè gratulatur. Nam ceteris ejus virtutibus non levi ornamento erat mira indoles, & dexteritas ad Poëſim, præcipuè Latinam, in quâ Tibullum, Propertiumque, eruditorum judicio, feliciter expreſſit elegiaco carmine. Italicis etiam numeris ſe exercuit, adductus conſuetudine Joannis Ciampoli, qui eo præcipuè ornamento aditum ſibi ad laudem, & ad potentiorum limina patefecerat. Sed quamvis Virginius profiteretur maximè omnium probari ſibi Ciampoli venam & characterem; longè tamen diversâ

viâ

viâ uterque illorum ibat ad carmen. Virginius æquabile & temperatum ſequebatur ſcribendi genus, perſpicuum, grave, ſimplex, quòd ſeriò rem ageret, & in quo Latii veteris inceſſum facilè agnoſceres; in Ciampolo liber ſpiritus, nova omnia, concitata, grandia, inaudita, plena periculi & audaciæ, ad Pindarum aſpirantis, quæ proptereà omnem ad ſe raperent admirationem theatri. Quam ſcribendi rationem perperam imitati poſteà, qui ſe Pindaricos dici volunt, in tam abſurdos errores inciderunt, ut ex plurimis, quæ aliquot ab hinc luſtris irrepſerunt in Rempublicam literariam hæreſes, nulla, ut viri quidem ſapientes judicant, fœdiùs Italicæ juventutis ingenia corruperit. In his, quæ ſcripſit maternâ linguâ, multa reperiuntur etiam amatoria, ſatis pro argumento verecunda & ſobria: quæ tamen Auctor poſteà improbavit, tamquam imbecillâ adhuc ætate ſcripta: & ſuperat eorum numerus, quæ hominem philoſophum, & à vulgi erroribus alienum magis deceant, quæque Chriſtiano Poëtâ digniora videri poſſint. Quâ etiam in re ſecutus eſt Ciampoli auctoritatem, ſuadentis, honeſtiſſimam ſecum provinciam ſuſciperet, ad meliorem frugem moreſque revocandi Etruſcas Muſas, quæ nonnullorum vitio, nihil jam ſancti aut caſti haberent, ſed cujuſvis è vulgo libidini proſtitutæ in obſcœnis tantùm & procacibus argumentis occuparentur. Virginius itaque à juvenili licentiâ ad graviora ſtylo converſo, moralis Philoſophiæ præcepta, quod nemo adhuc ante ipſum ex propoſito fecerat, aggreſſus eſt carminibus tradere, ut etiam profitetur Ode illâ, quæ Procemium inſcribitur. Et quia ad informandos optimis moribus animos duplici præcipuè viâ ac ratione niti oportet; ad honeſta videlicet incitando illos, & revocando à turpibus;

utram-

utramque Virginius complexus eſt: illam quidem pluribus Odis (cantiones noſtri vocant) ad varios amicos ſcriptis; hanc verò nonnullis Satyris Luciliano aceto perfuſis, in quibus ætatis ſuæ vitia perſtrinxit acriter: quandoque etiam perſonis potentiâ vel dignitate illuſtribus, quâ erat animi libertate ac ſpiritu, in os involare non dubitavit; ſed animi tantùm gratiâ, & experiundi eo in argumento ingenii, non quòd ulli mortalium inuri notam ſuis carminibus vellet. Ceterùm quò fideliorem literis ſuis operam daret, in ſuperiorem paternæ domûs contignationem ſeceſſerat. nec eò quemquam ferè admittebat, præter illos, qui pari erga Muſas animo eſſent, paribus ſtudiis ducerentur. Hos enim ad ſe venientes omnibus humanitatis officiis excipiebat: cum his diſſerere, lectitare, convivari, deambulare, dies integros commorari: cum eiſdem communicare lucubrationes ſuas, impensè priùs rogatis, diligenter animadverterent, & ſi quæ minùs probarent, atroci ſtylo effoderent. Quorum quidem nonnullos alienâ ope & præſidio indigentes aluiſſet etiam domi ſuæ, ut ſolebat ſæpè deſiderare, ſi per tenuitatem rei domeſticæ licuiſſet. Verùm cùm bonorum paternorum ſumma,unà cum Ducatu Civitatis Novæ in Picenis, aliiſque in agro Latino oppidis, ad grandiorem natu fratrem, more apud nobiles familias recepto, perveniſſet; ipſe tertio loco genitus eam pecuniam annuatim percipiebat, quæ cùm per ſe ipſa ſatis exigua erat, tum verò parùm attentè adminiſtrata, (ut ii faciunt, quibus ſeriò occupatis in ſtudiis literarum ingrata omnino atque odioſa accidere ſolet rei familiaris procuratio,) ægrè in annuos ſumtus ſuppeditabat. Quò fiebat, ut gravi ſe nonnumquam ære alieno obligaret; quod poſteà Dux ipſe ad arcendam notam,

quæ

quæ in ſe etiam redundaſſet, moleſto quidem animo, ſed exſolvebat tamen. His anguſtiis ut obviàm aliquando iret, litem cum eodem Duce inſtituerat, quâ petebat, ut liberalior ſibi in ſingulos annos penſio decerneretur, prout ultimis illis temporibus major facta fuiſſet acceſſio ad patrimonium Cæſarinæ familiæ, ad cujus facultatem reſpexiſſent Majores ſui, cùm ſecundo loco genitis annuos præſcriberent reditus. Sed Mapheus Cardinalis Barberinus, quem ingenii ac ſtudiorum ſimilitudo Virginio, quamvis longè natu minori, familiariſſimè conjunxerat, ei perſuaſit, ut omni contentione ſublatâ, quietè cum fratre & concorditer viveret; quòd ita deceret præclarum virum, eaque eſſet certior ratio extorquendi ab illo pecuniam. Eo interim in otio, & quaſi malaciâ literarum, non licuit Virginio diutiùs vivere, ipſum inter Cubicularios intimos cooptante Gregorio XV. operâ Joannis Ciampoli, qui Pontificio nomine exarabat epiſtolas ad Principes. Is ubi ad illum honoris gradum eſt admotus, nihil habuit antiquius, quàm ut ſignificationem aliquam Virginio daret grati animi, & beneficiorum memoris, quæ plurima ab eo, inſigniaque acceperat. Erat Gregorio à Secretis, in iis quæ ad ſtatum curamque Reipublicæ pertinent, adeòque non mediocri auctoritate & gratiâ in aulâ florebat Joannes Baptiſta Agucchius Bononienſis, vir cùm ceterà clarus, tum verò ſcribendi Italicè, & rerum per literas gerendarum laude clariſſimus. Ejus commendatione Ciampolus ſicut ipſe in eum locum pervenerat, ita facilè eſt conſecutus, ut Virginius ad eum, quem diximus, honoris gradum aſcenderet. Sunt qui credant, Virginium, ubi primùm in Palatium pedem intulit, veteris inſtituti oblitum cogitare cœpiſſe de antevertendâ Purpurâ Alexandro fratri, cui quamvis

 tenuio-

tenuioris ingenii homini, tamen uti & natu grandiori, & aliquot jam annos conſtituto in publico munere, deberi potiùs is honos videbatur: tantùmque brevi vel ſuâ induſtriâ, vel amicorum ope profeciſſe, ut cùm Gregorius lento quidem, ſed gravi conclamatoque morbo implicaretur, ad illuſtrandam præclaro aliquo facinore memoriam extremi temporis, de Virginio Cardinali creando in primo conventu Senatûs, unà cum duobus aliis viris ornatiſſimis, Agucchio ipſo, & Angelo Cæſio, conſilia inirentur; quæ tamen Pontificis mors citiùs, quàm credebatur, conſecuta diſcuſſerit. Alii verò poſtremæ quidem parti aſſentiuntur: quòd verò pertinet ad præripiendum fratri honorem, commentos fabulam putant aulicos homines, Virginium non ex ipſius virtute & altitudine animi metientes, ſed ex moribus, & naturâ imperitæ multitudinis, quæ adduci numquam poteſt, ut minimè credat inſanire eos homines, qui nihil ducunt præclarius vitâ rectè ſapienterque traductâ. Adduntque, Virginium non repugnantem potiùs, quàm volentem pertractum fuiſſe in Aulam Pontificiam, clamante ſubinde Ciampolo, indignum eſſe viro magnanimo, præſertim philoſopho, cùm ſcias humanam ſocietatem mutuis officiis contineri, nullam velle Reipublicæ partem attingere; cùmque literarum adeò ſis amans, occaſiones averſari illas, quibus literæ poliuntur: non prætermittendam opportunitatem juvandi amicos, & induſtrios homines, nec ea munera recuſanda, quæ, niſi à probis viris ſapientibuſque occupentur, improbis & injuſtis, magnâ cum Dei offenſione, Reique publicæ incommodo, ſint committenda. Mortuo Gregorio, & in ejus locum Urbano Octavo Pontifice renuntiato, ſtatim ejus Cubiculo Virginius præficitur: idque tribuiſſe Urbanum opinio

nio fuit, non tam veteri benevolentiæ, quâ ejus indolem ab ineunte adoleſcentiâ complexus fuerat, quàm recentibus ejuſdem erga ſe meritis. Cùm enim Mapheo Cardinali Barberino dudum ſubirati Hiſpani eſſent, ſuæque erga illum voluntatis non obſcuras dediſſent ſignificationes; ægrè illi, ut exiſtimare quivis facilè poteſt, ad Summum Pontificatum aditus patuiſſet, niſi Virginius à Franciſco de Caſtro Regis Hiſpaniarum ad Pontificem Oratore, & Didaco Saavedra, qui conſiliorum omnium Franciſco particeps erat, ſæpiùs urgendo impetraviſſet, æquiore in tantum Virum animo eſſe vellent, & auctores fieri, ut is cum Rege Catholico in gratiam rediret. Jam olim enim Virginius, manuducentibus literis, & re Poëticâ; inſinuaverat ſe in utriuſque illorum familiaritatem, quemadmodum etiam Mapheo egregiè conciliaverat Gaſparem Cardinalem Borgiam Hiſpanicæ factionis moderatorem ac ducem, qui quamquam durior ad hæc ſtudia videbatur, facilè tamen ſuavitate morum Juvenis nobiliſſimi, & miræ in tractandis conciliandiſque animis dexteritatis ita captus eſt, nihil ut eſſet, quod non ejus causâ faceret libentiſſimè. Certè ſi in Pontificibus creandis quicquam humanæ opi tribuere fas eſt, ac non potiùs ſola tam arduo in opere & ſacroſancto Voluntas Divina dominatur, egregiè meritus de Urbano Octavo Virginius eo facto videri potuit. Ad eum tamen fortunæ gradum tantam animi æquitatem & modeſtiam attulit, ut eorum qui apud Urbanum aliquo loco eſſent, nemini minùs licere videretur: tantumque abfuit, ut eos imitaretur, qui ad potentiam opeſque ex inſperato evecti efferuntur faſtidio quodam & contumaciâ; nullum ut ſuaviorem ex eo loco fructum percipere ſe fateretur, quàm ſublevandi veteres amicos, eos præcipuè, qui

 de-

deſtituti re familiari, ingenio, & literis abundarent. Itaque brevi illo tempore, quo in eâ dignitate vixit, eorum quàm plures, prout cujuſque conditio ferebat, aut in familiis virorum Principum, aut honeſto aliquo in munere collocavit. Aliquos etiam apud ſe retinuit: in his Auguſtinum Maſcardum, quem Parmæ cognitum, hoſpitis & contubernalis loco habebat; & Franciſcum Balduccium, cujus operâ utebatur in ſcribendis epiſtolis, virum ad Poëſim omnino factum, ſi acrioris limæ labor, & uberior cognitio artium optimarum ad ejus ingenium acceſſiſſet. Alios verò, qui cùm nihil domi pingue haberent præter ingenium, inani tamen ſcientiæ opinione inflati, ſæculum incuſabant, ut ferè fit, quòd jacêre literas pateretur, molliter atque urbanè admonitos erroris, in quo erant, hortari ſolebat, relictis ſtudiis literarum, aliam omnino artem magis accommodatam humeris ſuis, aliud vitæ genus aggrederentur. Eaque Virginii libertas meliora ſuadentis, multis, qui nullam in tanti Viri dictis ſubeſſe fraudem poterant ſuſpicari, ſaluti fuit. Tam illuſtri loco poſitum Virginium, cùm publica expectatio; tum verò Urbanus ipſe Purpuræ deſtinabant. Verùm quod illi aliena mors paulò antè abſtulerat, ſua tunc abſtulit. Nam intra vertentem annum, ex quo Pontificio Cubiculo præerat, extremâ jam macie confectus, fato, quod jamdiu forti erectoque animo opperiebatur, tandem conceſſit, Kal. Aprilis, anno M. DC. XXIV. Conſtans autem opinio fuit, mortem illi maturaviſſe Præfecturam Cubiculi, cui ut frequens adeſſet, adeòque palàm Pontifici faceret, ſe integras ad Purpuram vires allaturum; affecto corpori, & quietis indigenti minimè parceret. Virginii quidem mortem adeò graviter tuliſſe fertur Urbanus, ut per

ali-

aliquot dies, ubi de illo mentio incideret, lacrimas non haberet in poteſtate: &, cùm Alexandrum Virginii fratrem Cardinalem creavit, profeſſus ſit, ſe potiùs Virginii memoriæ, quàm Alexandri promeritis illum honorem tribuere. Quàm carus autem Civitati fuerit, mœrore funeris indicatum eſt. Senatûs enim, Populique Romani decreto, in Palatio Capitolino ſtatûa illi poſita eſt, doloris publici teſtis, cum inſcriptione Joannis Ciampoli:

VIRGINIO
CÆSARINO
QUIRITIUM SAPIENTISSIMO,
CUI TANTA INGENII VIS,
UT DOCTUS ETIAM HABERI POSSET
SINE LITERIS;
TAM AMPLA LITERARUM SUPELLEX,
UT ADMIRATIONEM MOVERE POSSET
ETIAM SINE INGENIO:
QUEM TAMQUAM URBIS MIRACULUM,
ET NOBILITATIS ORNAMENTUM
TUM INDIGENÆ, TUM CONVENÆ PHILOSOPHI,
POETÆ, ET RHETORES INVISEBANT,
SUA QUISQUE DECORA
IN HUMANISSIMO MOECENATE MIRANTES:
CUJUS JUVENTUTI
PERTINAX DOCTRINARUM STUDIUM
SENILIS PRUDENTIÆ
GLORIAM COMPARAVIT,
JUVENILIS VALETUDINIS ROBUR ERIPUIT:
QUI FACTUS ADOLESCENTIBUS
EXEMPLAR VIRTUTUM, ET PARENTIBUS
MENSURA VOTORUM,

NONDUM TRIGESIMUM ANNUM INGRESSUS
MORTEM OCCUBUIT IN VATICANO,
SAPIENTIUM LUCUBRATIONIBUS,
ET PRINCIPUM LACRYMIS ILLUSTREM:
CUI PONTIFICII CUBICULI PRÆFECTUM AGENTI
URBANUS VIII.
ECCLESIASTICÆ PURPURÆ DECUS
A PRÆPROPERA MORTE
EREPTUM FUISSE CONQUESTUS EST:
EIDEM PUBLICIS EXEQUIIS COHONESTATO
S. P. Q. R.
ANNUENTE PONTIFICE,
INTER TRIUMPHALES DUCES IMAGINEM
ET MONUMENTUM DECREVIT,
NE MINUS LITERARUM GLORIA,
QUAM ARMORUM,
CAPITOLIUM DECORETUR.

Apparatiſſimo funere elatum ad D. Mariæ de Arâ cæli, Alexander Gothifredus S. I. Patritius Romanus pro concione laudavit. Humoriſtarum item Academia Virginio (qui honos, ex inſtituto illius loci, viris tantummodò famâ ingenioque maximis haberi ſolet) juſta perſolvit, Auguſtino Maſcardo clari jam tum nominis Oratore verba faciente. Cujus Oratio excepta de more eſt à Poëtarum carminibus, quorum magna pars ereptum ſibi Mœcœnatem ſuum certatim dolebant, veroque luctu, non ad oſtentationem ingenii ſimulato, funus proſequebantur.

VIR-

VIRGINII CÆSARINI ROMANI,

olim URBANI VIII. Pont. Opt. Max. Cubiculo Præfecti,

EPINICION

in Victoriam Bohemicam Sereniſſ. D. Maximiliani Boiorum Ducis.

TRiſtitiam, trepidoſque metus, curaſque protervis
Tradam Carpathium per mare ferre Notis.
Omnia læta cano: pleno nunc ore ſonandum:
Aurea quid ceſſas mî dare plectra puer?
Non referam molles luctus, privata ſilebo
Damna: queri nobis publica cauſa vetat.
Surge anime, & deſueta diu fer gaudia mente:
Surge anime; atque aliam diſce movere chelyn.
Sacra canit vinctus Peneïde fronde capillos
Vates: quiſquis ades, dic bona verba ſacris.
Urantur Syriæ merces, Nabathæaque tura:
Puniceas oleant lucida templa roſas.
Ulta profanatas adſitis Numina ſedes,
Impleat & veſter nunc mea lina favor.
Sunt aliquid Superi: Romanis regnat in aris
Relligio, veteres quam coluiſtis avi.
Non deſunt lentas ultricia fulmina in iras,
Judicat & tandem crimina pœna ſequax.

Fœda Palatinum regnis dare terga Bohemis
Vidimus, & noſtrâ parta tropæa manu.
Fracta cruentatum volvuntur ſceptra per Albim:
Funereo Hercynius ſanguine tabet ager.
Vincula Praga manu geſtat, quâ tela gerebat,
Et malè decuſſos accipit ore lupos.
Quis Superûm, Muſæ, noſtros ad bella maniplos,
Dicite, quæ juvit Cæſaris arma manus?
Utraque finitimis legio conſederat arvis,
Cernebantque avidi mutua caſtra duces.
Hinc Rhenanus agit Slavos, Moravoſque rebelles,
Et ferus in pugnam Sleſia ſigna rapit.
Fœda Superſtitio, ſacris infenſa Latinis,
Tincta Acherontæo ſpicula felle tenet;
Et Vaticano ante alios incendia templo
Calvinus minitans, impia tela rotat.
Hinc armis nitet Auguſto devota juventus,
Ardet & æratâ cuſpide Boia cohors.
Unà ingens Hiſpana phalanx certamina poſcit,
Juſtaque Parthenopes miles in arma ruit.
Arduus & campo ſeſe Buquoïus infert,
Magnanimoſque docet ſpernere fata viros.
Aptant ſe pugnæ Tyrrheni Principis alæ;
Hoſtem jamque prior, quàm manus, ira ferit.
Sic ſteterant acies: necdum dare carmine belli
Clariſonæ audebant ſigna cruenta tubæ.
Aëre ſe mittens rutilis cùm nubibus actus,
Liquit Adalbertus cærula templa poli.
Et Bavarum ſtetit ante Ducem: tum ſtella nitenti
Per nubes ſecuit crine refixa viam.
Non ille attulerat chlamydem, tunicaſque crepantes
Textilibus ventis, carbaſeoſque ſinus:

Non

Non paſtorali firmans veſtigia virgâ,
  Aut venit mitrâ tempora vincta gerens:
Qualem Divorum cumulantem altaria donis,
  Jam vidit melior Praga operata Deo.
Norica ſed forti criſpans haſtilia dextrâ,
  Totus & ardenti clauſus ab ære nitet.
Aureus umbo iras, furias, cladem que vomebat;
  Nutabat criſtâ verſicolore caput.
Mox ait: O fidei Princeps defenſor avitæ,
  Maxmiliane, tuis gloria major avis;
Perge; age, tempus adeſt, via nunc rumpenda per agmen;
  Disjice, me, trepidos, omina dante, duces.
Sat regnare datum ſceleri, jam fraudis abundè eſt:
  Nunc admiſſa truci crimina morte luant.
Tu cæli vindex: tibi victima corrruet hoſtis,
  Planget & adverſam ſanguinolentus humum.
Non te, quòd denſis horreſcunt agmina ſignis,
  Terreat: has acies Numina magna premunt.
Divorum violata animo ſimulacra revolve,
  Et temerata truci fana vetuſta manu.
Veſtales ſubeant aditus, & milite, caſtus
  Quæ colit, audaci, clauſtra refracta, pudor.
Illa eſt, illa ferox leto ſternenda juventus,
  Divorum è tumulis quæ ruit oſſa ſacris.
Quique dedit cineres noſtros ludibria ventis,
  Det lacer impaſtis oſſa inhumata feris.
Quòd causâ vincis, vinces & viribus hoſtes:
  Stabunt pro caſtris juſque piumque tuis.
O quantos hodiè confuſæ cædis acervos
  Aſpicies! dextrâ funera quanta dabis!
Eventura cano belli non futilis augur:
  Mentiri haud Superûm nuntia lingua poteſt.

 Ecce

Ecce tuas volitat circùm Victoria turmas,
  Lectaque Idumæis fert tibi ſerta jugis.
Dixit, & intorſit furialis robora teli,
  Horret quà denſo crebrior hoſte globus.
Proxima Boiugenæ regis volat haſta per auras:
  Cætera ductorem turba imitata ruit.
Exhortantur equos, laxiſque feruntur habenis:
  Quadrupedum occurrunt pectora pectoribus.
Fulmineum explodunt nitroſa tonitrua plumbum,
  Sulphureaſque volat Mors comitata pilas.
Dant ſonitum colles, refugitque exterritus amnis:
  Æther diſſultat, concutiturque ſolum.
At Dux fatifero Boiorum dimicat enſe:
  Quà ruit, horreſcunt obvia corda metu.
Latum limitem agit peditemque equitemque metendo,
  Verſaque vulnifico fulmine terga ferit.
Indica ſic frendens furit inter ovilia tigris:
  Per Libycas equitans ſic ruit Auſter aquas.
Sic flamma arentes victrix populatur ariſtas:
  Diluviem meditans ſic tumet Iſter agris.
Tum verò exoritur clades horrenda cadentûm,
  Strataque in informi corpora cæde natant.
Pars ruere in fatum, pugnaci & pectore mortem
  Accipere: incertæ pars dare terga fugæ.
Hi fluvium petere, & rapidis ſe credere lymphis;
  Brachia ſed vincit vulnere tarda labor.
Jam terror miſeros nigris amplectitur alis,
  Et quatit inſolitus pectora pulſa timor.
Jam reboant gemitus morientûm, pallida fuſo
  Exultatque virûm ſanguine Tiſiphone.
Undique ſanguineæ ſtrages, & plurima mortis
  Verſatur facies: inficit arva cruor.

Vicit Relligio tandem, fuſæque catervæ
  Sunt viſæ ad noſtros projicere arma pedes.
Tu quoque, Rex, ſtares miſerandus truncus in arvis,
  Nî leto profugum ſurripuiſſet equus.
Ecce petis Moravas, latebroſa cubilia, ſilvas,
  Nec, quæ circumſtent aſpera fata, vides.
Quò ruis, ô demens? noſtris accede triumphis:
  Cæſareum ſatiùs ſpontè ſubire jugum.
Jam tibi prædico exilium, longoſque labores,
  Pauperiem, & nullos per tua regna lares.
Finibus extorris, Rhenique expulſus ab amne,
  Quàm mallem, dices, hac cecidiſſe die!
O ubi nunc ſoceri auxilium, claſſeſque Batavæ!
  Fugiſti: languet ſpiritus ille tuus.
Voverat ille (nefas) ſeſe Capitolia ferro
  Exciſurum olim, Romulidûmque decus:
Ebrius & patrio celebrans convivia Baccho,
  Sacrarat telis Itala regna ſuis.
At Superi oderunt ventoſæ prælia linguæ:
  Imminet in tumidos Numinis ira duces.
Montibus Æmoniis celſos imponite montes,
  Monti parque Mimas, Oromedonque ruant.
Ægæon validus centeno fulguret enſe,
  Porphyrionque fremat, centimanuſque Gyas.
Fulmine dejecti Stygias trudentur ad undas:
  Invenient Siculis flammea buſta jugis.
Pura triumphatum Pietas aſcendit Olympum,
  Et parent humili ſidera capta prece.
Hinc Tibi victori, plauſu fremituque ſecundo,
  Feſſa malis reſerat mœnia Praga triceps.
Tu ſancis leges, inimicaque fædera rumpis,
  Dux acie, & juſto Dux metuende foro.

Bella

Bella gemunt, fractamque fidem, te judice, ſontes:
Fallaces cohibent vincula ahena viros.
Lictorem metuunt auſi ſpreviſſe phalanges:
Armorum peragit ſtricta ſecuris opus.
Miles Iö ingeminat præcinctus tempora lauro:
Acer Iö ingenti voce triumphe canit.
Ante tuos currus fracto Moldavia cornu
Decolor incedit ſanguine tincta ſuo.
Fertur ſummiſſo, triſtique Bohemia vultu,
Quas nutrit, paſſis pulverulenta comis.
Numina redduntur templis, altaribus ignes,
Numinibus cultus, turea grana focis.
Primus & ante aras Princeps inducit honores,
Hoſtileſque aptat poſtibus exuvias,
Arma fugacis equi, ſervantia ſigna cruorem,
Et de languenti ſpicula lapſa manu,
Ingentes pendent haſtæ, infelicia tela,
Et fruſtrata ſuos ſcuta cruenta duces.
Sacra redux celebrat Romanâ in veſte Sacerdos,
Edit & arcano verba timenda ſono.
Dein animata Deo delibat munera menſæ,
Et, memorans Chriſti funera corde, litat.
Monſtra fremunt Erebi, Cocytia regna reſultant:
Horrendùm Huſſitus ſibilat ore draco.
Magnus Cælicolûm plaudens tibi Carolus aulâ,
Hæc ſecum tacito in pectore verſat avus:
O verè eductam Francorum è ſtemmate prolem!
Prælia ſunt teſtes ſanguinis iſta mei.
Proſequitur plauſu ſtellantis regia cæli,
Gaudet & Aligerûm templa per alta chorus.
Quare age præceptis pubes imbuta Latinis,
Ritè operata Deo munera mente refer.

Gra-

Grates Cœlitibus, quorum immortalibus armis
  Debetur pulcro parta labore ſalus.
Ferdinande, tuo victor lætare triumpho :
  Gaude Cæſareis faſcibus aucta domus.
Victa ſub Auguſtis rediit provincia virgis,
  Externumque jugum ſe coluiſſe dolet.
En tua ſidereæ veniunt ad claſſica turmæ :
  En tua Cælicolûm proſperat arma Pater.
Non tibi dat metas rerum, non tempora Cælum;
  Terrarum imperium ſed ſine fine dedit.
O benè culta pio Cæleſtia Sacra Rodulpho!
  Qualia creverunt omine regna tuo!
Exoriens, morienſque tuas Sol aſpicit undas:
  Auſter, & Arctoï te colit ora ſoli.
Concinit Auſtriacos Siren Tyrrhena triumphos;
  Et plaudit fauſtâ, cùm tonat, Ætna face.
Belgica concreto per ſtagna rigentia tergo
  Arma, & plauſtra tuus ſtridula miles agit.
Feta tuis ſceptris alios Sors parturit Orbes,
  Tranſque fluentiſonum regna dat Oceanum.
Peruvios tua jura domant, & Mexicon ingens,
  Teque Thyeſtæâ Braſili paſta dape.
India quin aurum, captivaque cinnama mittit,
  Memnonii baccas & tibi dona freti.
Gangaridûm Hiſpanæ ſunt hoſpita litora puppi,
  Servit & Eöæ fertilis ora Goæ.
Gaude Relligio, ſoboles dilecta Tonanti:
  Ire per Æthiopas ad tua templa licet.
Auroræ tellus veneranda oracula poſcit:
  Sacra niger patrio ture procurat Arabs.
Occiduis Phlegethon longè detruditur aris,
  Patagonum luci præmonuere fugam.

Quà tenet imperium, Romanos Auſtria mores
Edocet, & victos ad pia ſacra vocat.
Tu cælo populos, Superi tibi regna rependunt;
Nec magis es ferro, quàm pietate potens.
Hæc ego magna canam Vates tua ſigna ſequendo:
Gloria det vires, carmine magnus ero.

AD
GREGORIUM XV.
PONT. MAX.

Bellicos Italiæ tumultus pacantem.

PRojice tela manu bello furioſa juventus:
Linquite Cænomanûm Martia caſtra duces.
Cornipediſque leves ceſſet glomerare recurſus,
Lugubri galeæ luce timendus eques.
Romanus vetat arma Pater, Martemque relêgat,
Sanguineamque ſitim trans pia regna fugat.
Compeſcant litui, compeſcant claſſica murmur:
Cantentur pacis ſola tropæa tubâ.
Devocat è cælo, felicia munera, pacem,
Qui reſerat cæli limina ahena Pater.
Auſonias ſolvi decernit in otia gentes:
Itala pallenti liberat arva metu.
Druſorum manes, Auguſti nominis umbræ,
Gaudete: hæc veſtri eſt pompa laboris opus.
En iterùm reduces Capitolia ad alta triumphi;
Nec tamen hic ullo eſt ſanguine partus honos.

Alpi-

Alpibus impoſiti Rhæti ſenſere tremendis
  Agmine non fracti jura Latina togæ.
Cernite tranquillos devolvat ut Abdua fluctus,
  Et Phaëthontæas purior auctet aquas:
Serius ut torquens per opima novalia curſum
  Roſcida triticeâ cornua cingat ope.
Larius indigenâ crines umbratus olivâ
  Splendidior gelidis exerit ora vadis.
Hunc circùm Nymphæ, glauci gens humida regni,
  Deſuetos ducunt uda per antra choros.
Eheu quot ſcelerum mœrens Inſubria vultus
  Ceperat! heu quantum pertimuiſſe nefas!
Et ſibi funeſtas acies plebs ægra canebat,
  Et cædem, & prædas augure docta metu.
Ille ſitu turres muris fulcire labantes,
  Et terræ infoſſas credere avarus opes.
Triſtibus excubiis hinc cingere mœnia miles,
  Atque alii externâ quærere ſede lares.
Fataque præmonuiſſe Deum crudelia ſignis,
  Bellaque narrabant ſignificata polo,
Cùm triplici Phœbus fulſit mirabilis orbe,
  Pallentique diu lumine ſparſit humum;
Cùmque catervatim ſtragem demiſit Averno
  Depopulatrici falce cruenta lues;
Et viduas paſſim Cereali munere terras
  Solata eſt priſcis quercus opaca cibis.
Prodigia hæc trepidum terrebant nuntia vulgus,
  Omnia Gregorius cùm meliora dedit,
Publica vela regens Mundi, clavumque miniſtrans,
  Promiſit fauſtum Navita puppis iter.
Extemplò gravidi bellis cecidere fragores:
  Detonuit ſcopulis: unda quievit iners.

Quàm

Quàm citò, ubi antennis grati effulſere Lacones,
Stagna modeſta jacent, murmuris aura ſilet.
Quàm citò, cùm crepitans lapidoſo verbere grando
Disjicit & vites, & ſata læta boum.
Diffugiunt imbres, miteſcunt flamina Cauri,
Iris ubi roſeis æthera tranat equis.
Gratia multa tibi magnorum maximè Regum:
Depoſitis clypeis otia mundus agit.
Pax ardor Superûm, Cæli mitiſſima proles,
Omine cum fauſto Diva ſalubris ades.
Huc ades, atque Padi curru perlabere litus,
Et tibi caſta regat frena pudica Fides.
Quacumque ingrederis felici Copia cornu
It comes, & læto in gramine balat ovis.
Incuſtoditæ Zephyris agitantur ariſtæ,
Et teritur valido ſole peruſta Ceres.
Te ſequitur Bacchus: per te ſervantur apricis
Collibus ad domini muſta vehenda lacus.
Sarcula pace vigent, rubigo amplectitur haſtas:
Cedit ruricolis gloria bobus equi.
Fas graditur tecum, tibi rident oppida, & urbes:
Tu maculoſa gravi crimina lege domas.
Juſtitiam ſolio pulſam tu reddis eburno:
Illius horrendas inſtruis enſe manus.
Pacatum hinc volitat mutandis mercibus æquor,
Nec timet à nigris nauta pericla Notis.
Et tranquilla quies curas ornare recentes
Geſtit, & inventâ fertilis arte nitet.
O mortale genus, quid leto in damna ruenti
Noſtra, juvat celeres Marte aperire vias?
Quis furor eſt claras lauros nutrire cruore,
Pectoris ut foſſi vulnera nomen emant?

Cogna-

Cognatis parcit maculis jejuna leonum
 Ira, nec agnatâ gaudet hyæna dape.
Ecquando tigris gelido bacchata Niphate
 Parthica turpavit comparis arva nece?
Proh pudor! humana eſt rabies aſperrima ferri:
 Humana indomitis ſævior ira feris.
Quod ſi tantus amor cædis corda aſpera pulſat,
 Deſinite in patriæ ſtringere tela latus.
Thrax vocat Auſoniæ reſides in bella catervas;
 Et poſcunt Siculas Boſpora bina rates.
Vos pia buſta vocant fœdo calcata Tyranno,
 Inque Palæſtinis ſacra litata jugis.
In Scythicas plauſtro turmas, pharetrâque potentes
 Vulnera ſit pulcer figere certa labor.
Aut vos adſcenſis comitentur præmia Suſis
 Bellica, odoratis turaque rapta viris.
Aut veſtra in Parthis lætetur ſtragibus haſta,
 Matribus Eöis haſta gemenda diu.
Ite agite, atque Aſiæ felicia regna triumphis
 Luſtrate, & capto dicite jura Syro.
Vobis ſerta dabit florum nutritor Orontes,
 Perducet veſtras unguine myrrha comas.
Græcia barbaricè ſævis onerata catenis,
 Implorat ſocias ſemiſepulta manus.
Oenotrias claſſes æſtivas Nilus ad undas
 Totâ veſte vocans pandit in amne ſinus.
Se laniant Orientis opes, ſibi diſſidet ingens
 Aurora, invalido ſceptra tenente duce.
Et fremere inſolito prætoria caſtra tumultu
 Vidimus, in Regem pilaque miſſa ſuum.
Ille, velut Boreæ procumbens viribus ornus,
 Occidit, & trunco corpore planxit humum.

Diſcite ab exemplis hoſtilibus inclyta facta:
  Victima erat noſtris hæc jugulanda focis.
Parcite cognatas in bella laceſſere gentes:
  Sanguinis abſtineas, Auſonis ora, tui.
Quòd te jam dudum laceras diſcordibus armis,
  Noſtra peregrino ſub pede colla jacent.
Pauperiem, morboſque viris lacrimabile bellum
  Omne parit, cæcus cùm movet arma furor.
Verùm cùm lituos inflat civilis Enyo,
  Ipſa quatit Stygias torva Megæra faces.
Acrior infrenat Mars in certamina currus,
  Et pejora illum monſtra ſecuta ruunt.
Helleſpontiacos utinam tibi, Roma, triumphos
  Ante meos obitus monſtret amica dies.
Quâ videam Patris auſpiciis turbata Latini
  Sacra Arabum, & Latio reddita ſceptra foro.
Gregorii hoc pietas, hoc auri prodiga poſcit
  Dextera, & aſſiduo culta labore fides.
Hujus ab auſpiciis jam nunc per templa propagans
  Relligio ante aras ſacra pianda docet.
Et Vaticanæ de culmine creditur arcis
  Ægida concutiens tela ciêre Deus.
Hæc precor eveniant. lauro tunc vinctus ovanti
  Tractabo auratæ conſona plectra lyræ.
Conaborque tuas laudes diffundere in ævum,
  Exiguus noſtro ſit licet ore ſonus.
Nec me tardabunt raucæ mala murmura linguæ,
  Quin bellator Iö voce triumphe canam.
Juſſerit hoc Clio, mutum genus omne natantûm
  Edet cycneos per vada ſalſa modos.
Sic ope Pïeridum gelidas trans audiar Alpes,
  Trans tepidam Meroën: tu modò Phœbe velis.

Et vincam æternâ clamantem Stentora voce,
Nec mea cum Zephyris verba caduca fluent.
Non me perpetuæ carpent oblivia noctis,
Non omnis moriar: tu modò Phœbe velis.

GREGORIUM XV. ITERUM LAUDAT, OB TRIUMPHUM PRAGENSEM.

VIrtutis legumque parens, celeberrima regnis,
Condita ſeptenis Romula terra jugis:
O Patria æternùm felix, fecunda triumphis!
O bellatorum prole beata virûm!
Tu quamvis gemino Solis metuenda ſub axe,
Margine ſidereo clauſeris Urbis opes:
Mille licet Tuſcum Tybris regnator in æquor
Sceptra triumphali barbara vectet aquâ;
Annibaliſque fugæ, & regalia vincla Jugurthæ
Dardaniæ fuerint pompa cruenta manus:
Grata tamen lauros ne dedignare recentes,
Quas tibi de Rheni litore, Diva, fero.
Gregoriique ſacros præcingat adorea faſces,
Quaſque apices terni circumiêre comas.
Tu latè horrendo ſacrorum numine pollens,
Tranſcribis juſſu perfida regna gravi.
Deturbas ſolio reges, adimiſque curules,
Nec falsâ populos plaudere voce ſinis.

Ecce Palatinus, magnæ te vindice linguæ,
Everſus regnis præmia digna tulit.
Conſiliiſque tuis juſtiſſima Cæſaris ira
Tranſtulit in Boios regna caduca lares.
Ille ferox nobis dementes corde ruinas
Dum parat, à patriis excidit exul agris.
Quas tu ſperaſti exuvias, dedit ipſe Quirino:
Pendent è noſtris ſigna Bohema tholis.
Nec tantùm Auſonias augent Mavortia prædas
Tela, ſed & capti, Palladis arma, libri.
Cecropias, ſapiens vixit queis Græcia, chartas,
Hoſtibus ereptas Romula cura legit.
Heidelberga, tuis clareſcet Roma ruinis,
Dum vivent artes, ingeniique decus.
Tu quondam adverſas in nos hortata phalanges
Infandas poteras ære onerare manus.
Calvinuſque tuis conflabat dira cavernis
Hæſura in noſtro tela ferox latere;
Argivâque aciem verborum fraude polibat
Gorgoneo explorans tincta metalla lacu:
Non ita Cyclopum, ſi vera eſt fama, camini
Informant rapido fulminis igne minas.
Pro re Cælicolûm, pro majeſtate Tonantis,
Ictibus horriferis ſaxa Sicana gemunt:
Miſcuit & nudus candentia tela Pyracmon
Centimanûm ardenti clara futura nece.
At tu terrigenis Rheni fabricata ſub antro
In cæli exitium tela rotanda dabas.
Tibridis ô caſtæ pubes operata Minervæ,
Gaude Socraticæ pignore læta domûs.
Hæc tibi ſufficiet ſternendis hoſtibus arma;
Hinc illis terror, morſque cruenta venit.

Quis ſcit, an & noſtris hinc olim excuſſa lacertis
   Inficiet fuſus ſpicula ab hoſte cruor?
Petre fave, miles Chriſti dum prælia tento:
   Et mihi de Petri munere ſurgit opus.
In tua monſtra feror, Germania feta colubris:
   Et mihi ſunt arcus, & mea dextra nocet.
Vipereos rictus, latrantia colla refringam,
   Et ſparſo pharetræ pondere, victor ero.
Intereà dulces Phœbi redeamus ad artes:
   Me citharæ imbelles, plectraque Lyda vocant.
Rex ô ſacrorum tibi plebs, tibi curia plaudat:
   Caſtalii plaudant per juga bina chori.
Et, benefactorum merces, tibi gloria detur,
   Et memores titulos fama ſuperſtes alat.
I felix, puppique ſacrâ pete regna per undas,
   Mercibus Eöis perge onerare ratem.
Viſe pharetratas gaudentes cæde Moluccas,
   Hoſpitibuſque feræ litora Braſiliæ.
Trans Indum, & Gangem, naſcentis & ultima Solis,
   Cæruleas certo ſidere curre vias.
Xaverius magno ante aras dignatus honore,
   Auſpice te, Superûm, lintea tuta vocat.
Legifer ille Euri, Ledæis clarior aſtris,
   Oſtendet fido lumine puppis iter.
Crede mari pia lina Pater: jam ſternitur unda.
   Pura repercuſsâ marmora luce nitent.
Jam non de ſeptem ſpecubus effuſa Trionis
   Naufraga tempeſtas in tua vela ruet.
Nimborum illa olim ſedes disjecta tumultu eſt
   Æolia ingenti, noſtraque jura timet.
Hoſtes hinc ſoliti Cauris immittere habenas,
   Ut quaterent alis aſpera dorſa freti.

Atque indignati turgentia regna Tridentis
  Romanæ inferrent ultima damna trabi.
Viſum aliter Superis: navis, naviſque Magiſter,
  Poſt victas hiemes litora tuta tenent.
Navita Gregorius nunc regnat, & Æolus idem;
  Hic novus Hippotades murmura rauca domat.
Tolle Ithaco mendax frenatas utre procellas
  Clio: Romani eſt remigis illud opus.
Hic Vaticanis includit flamina clauſtris,
  Et rabiem, & furias providus ære ligat.
Mœnia Pontificum, Diviſque habitabile buſtum,
  Dædaleiſque minis templa imitata polum:
Ruraque Phæacum ſilvis certantia cultu,
  Naïadum choreis udaque ſemper humus:
Porticibus veſtris ô qui me ſiſtet & umbris
  Noſcere quærentem Graia reperta ſenum!
Ut tacitus vulgo reptare incognita Tempe,
  Et poſſim veſtro rore levare ſitim.
Hîc ego Mopſopii vel ducam pocula mellis,
  Curvaque Piræi litoris arva legam.
Vel cupiens dubias naturæ accedere cauſas,
  Ingrediar Macedûm culta Lycea duci.
Perſequar aut tragicûm ſpirantia carmina Vatum,
  Cæique Alcæique aurea plectra lyræ.
Tunc ego deſpiciam ſtultæ mala gaudia mentis,
  Donaque gemmiferi deſpiciam pelagi:
Quod formidatus veſtigat claſſe Batavus,
  Quà matutinas Java colorat aquas.
Sardiniæ ſegetes, benè olentes fruge Sabæos,
  Hermum deſpiciam, deſpiciamque Tagum.
O valeant faſces, ſpinoſaque purpura Regum:
  O valeant miſeri, quos levis urget honor.

Quos vehit ad trabeas ventoſis Gloria bigis,
Pectora quæ ſurdo verbere cæca ferit.
Tu Bellona vale, & vos ô fera bella valete,
Et Martis furias docta ciêre tuba.
Alter pila rotet campis, haſtaſque coruſcet,
Quà magnus nautis emicat Oarion:
Oceani Oarion pedibus qui ſtagna peragrans
Æquoreis humeros altior extat aquis.
At me fallentis carpentem commoda vitæ,
Parnaſſi adſpiciat lenis alumna quies.
Sic ego Muſarum devectus præpete pennâ,
Eripiar populis, & ſuper aſtra ferar.
Major & invidiâ per poſtuma carmina vivam,
Virtutiſque tuæ, Roma, Poëta canar.

NICOLAUS LUDOVISIUS,

ISABELLÆ GESVALDÆ

Sponſæ, Venuſii Principi.

ACcipe Trinacriis è Regibus edita Virgo
Conjugis ingenuâ ſcripta notata manu.
Accipe: conceſſos narrabit epiſtola amores,
Sollicitique animi nuntia verba feret.
Non tot arundineis armantur terga ſagittis
Parthica, quot lacero pectore tela gero.
Nec ſic ardet ager, ventis æſtate coortis,
Paſtor ubi flammis pinguibus arva coquit;
Ut mea tabificis torrentur viſcera tædis,
Fervidus ut noſtrum molle cor urit Amor.
Unica tu noſtræ cauſa es pulcerrima curæ,
Unica triſtitiæ fonſque moduſque meæ.

Uritur omnis amans, ſed aperti conjugis ignes
   Suſcitat, ut vivant, penniger ipſe Puer.
Felices, ſociæ jungunt quos fœdera dextræ,
   Jungit & ad thalami gaudia pacta Venus.
Me tibi connubio puerum data dextera nectit:
   Non vacui nectunt frigida regna tori.
Te Campana tenet felicior hoſpite tanto
   Tellus; me invitum Romula regna tenent.
Heu mihi quàm longè meus à me diſſidet ignis!
   Ignis abeſt longè, ſed ferus ardor adeſt.
O utinam optato coràm conſumerer æſtu,
   Explerentque avidam lumina amata ſitim!
Maceror, & noſtro non fit medicina dolori;
   Acer & in latebris pectoris hæret Amor.
Quid faciam? celerare fugam, ſedeſque paternas
   Deſerere, & fratris limina cara juvat?
At vigilis patrui pia me cuſtodia ſervat,
   Quam cælum, & terræ, fuſcaque regna timent.
Hic mihi diſceſſum optatum, veniamque roganti,
   Cauſatus puero multa, negavit iter.
Te tamen invenio, quamquam his regionibus abſis,
   Blanditiiſque tuis, quà datur arte, fruor.
Mente agito vultus ad noſtra incendia natos;
   Artificis video lumina Amoris opus.
Et meditor flavos crines, & eburnea colla,
   Quique, precor, niveos, ſint mea præda, ſinus.
Cùm verò hæc meditor, cælum contingere plantis,
   Et videor celſi templa habitare Jovis.
At cùm te abſentem agnoſco, mea gaudia ceſſant,
   Et videor triſti trans Styga puppe rapi.
Solamenque mali, miſero quòd reſtat amanti,
   Legatos qui te, multa, adiêre, rogo.

Quid

Quid facias poſco, de me quodcumque locuta es,
  Quæque ſcio quæro, mox repetita peto:
Qui vultus, quàm forma decens, quàm dulcia verba:
  An deſiderio tu moveare mei:
Num citharæ cordi tibi ſint, num Palladis artes:
  Saltanti ut ſoleas molliter ire pede.
Ecquid in antiquam virtutem gloria regum
  Te rapiat: quænam ſit tibi culta parens:
Hæc tunc ſæpè meo reddunt reſponſa dolori,
  O felix tali vulnere quiſquis amat!
Fulva coma eſt illi, niveo pulcerrima fulget
  Corpore, & inceſſu numen & ore patet.
Illius ex facie contorquet fulmina Cypris:
  Dum loquitur, vernas ſpargit ab ore roſas.
Illius in digitis, plectriſque loquentibus artem,
  Muſica Phœbei gloria fulget avi.
Seu choreas ducit, ſive eſt operata Minervæ,
  Ponè illam triplex Gratia ſubſequitur.
Et memor illa tui eſt, & multa interrogat illa
  Te ſuper, & roſeo, dum rogat, igne micat.
Caſta pudicitiam mater, ſanctoſque penates
  Servat, & in pacto fœdere amare jubet.
Ipſa genus factis teſtatur ſanguinis heres,
  Atque animi ante alias prima puella nitet.
Hæc mihi reſpondent cupientes fallere curam:
  Aſt alimenta furens hinc ſibi ſumit Amor.
Gliſcit in immenſum, nec ſe benè continet æſtus,
  Fletibus attenuor, pallor & ora ſubit.
Et me cunctarum capiunt faſtidia rerum:
  Non pila, non diſci, aut flectere ludus equos.
Non curſûs me palma juvat, pulviſque palæſtræ:
  Nare per æſtivos non mihi cura lacus.

Quò rudior primos mens non intelligit ignes,
  Sævior in teneram ſpicula figit Amor.
Læditur à primo detrectans taurus aratro,
  Primaque langueſcit ſub juga miſſus amans.
A te principium noſtræ duxêre favillæ:
  Ultima tu curvo es flamma futura ſeni.
Per tua tela, arcus, & per tua, lampadas, arma,
  Sic tibi de Superis ſæpè triumphus eat.
Parce puer, puero nulla eſt me gloria victo;
  Parce, ſed ut parcas, cuſpide læde magis.
O me felicem, hic cinerem ſi fecerit ardor!
  Sit mihi tam pulcro laus in amore mori!
Gratia ſit Superis, talis quod gratia formæ
  Me cepit, cupidis mille petita procis.
Quæ te ex ingenti Auſoniâ, matreſque, virique,
  Natorum tædis non cupiêre nurum?
Non tot Dulichii proceres, errante marito,
  Auſi ſunt nuptæ ſollicitare fidem.
Si te feciſſes crudelis præmia pugnæ,
  Elide nobilior nunc tua terra foret.
Herculei mallent pro te certaſſe lacerti,
  Teque dolo aurigæ Phryx rapuiſſet equis.
Quique tulit celeris munus Schœneïda plantæ,
  Auriferâ mallet te ſuperaſſe fugâ.
In te laudantur mores, vultuſque, genuſque,
  Et tibi quas campus dat Venuſinus opes.
Sunt quos divitiæ, ſunt quos tua regia tangit,
  Et quæ Lucanis jugera bobus aras.
Me tua forma rapit, non mœnia Vatis HoratI,
  Et caſti mores ſunt mihi flamma decens.
Non tamen hîc veſtros auſim damnare triumphos,
  Majorum laudes, & benefacta mari.

Te

Te tua, te veterum comitatur gloria: priſcos
Appula Normannos regna loquuntur avos.
Exuviis Arabum, pulſis & victor Achivis,
Robertus patrios auget honore lares.
Illum anguſtantem cumulatis funerum acervis
Vidiſti ripas, Aufide lente, tuas.
Turbidus & quatiens validam Rogerius haſtam,
Armatæ retulit regia ſerta comæ.
Chalcidicos campos, & rura Typhoïdos Ætnæ,
Et Capuam hic ſceptris preſſit, & arva Lami.
Quid memorem Suevas materno è ſtemmate lauros,
Fluminibus centum quas pater Iſter alit?
Hæc alii jactent dulcis præconia famæ:
Tu fulges titulis conſpicienda tuis.
Tu mihi devictis melior provincia turmis;
Exuviæ, & reges, tu mihi currus eris.
Ah modò ſis facilis, neu connubialia differ
Gaudia, & inviſæ tædia rumpe moræ.
Sed cur, ut venias, fruſtrà mea vota laborant?
Non tu cauſa moræ, ſed negat annus iter.
Torrida cæleſtis rapidus per brachia Cancri
Phœbus anhelanti ſidere ducit equos;
Atque herbæ ſitiunt morientes, & cava ſiccis
Stagna arent ripis, omnis & aura ſilet.
Pontinæ halantes cænosâ uligine valles
Æſtivam prohibent fœda per arva viam.
Nec tutùm Cumas, Circeſquè vel Anxuris arces,
Aut Læſtrygonium radere puppe ſalum.
Non benè Campani mutantur Tybride colles:
Hîc vitio cæli nam furit atra lues.
Corpora graſſantes ſternunt juvenilia morbi:
Ignea vis Urbem dat populata neci.

Te

Te ſervent potiùs cognatæ regna Caſertæ,
Neu ſubeas dubiæ tanta pericla viæ.
Me miſerum! vellem tibi non ſuadere, quod oro;
Ut maneas iſtic attamen ipſe precor.
Tutius æſtivos iſtic perferre vapores
Icarii poteris, dum micat ira canis.
Te gelidis foveant Tifata uberrima rivis,
Quà niger umbroſas lucus opacat aquas.
Alcinoï ſuperant veſtræ pomaria ſilvæ,
Felix qui agricolâ Principe gaudet ager!
Non liquidi deſunt fontes, non mollia prata:
Arbor habet frondes, gramine vernat humus.
Quæque per immenſas ſunt ſemina didita terras,
Pandunt inſolitas rura per iſta comas.
Narciſſuſque, crocuſque, & gramina, Solis amores,
Regum & de vario funere ſurgit honos.
Fama eſt per veſtros errare animalia montes,
Et cicures plumæ verſicoloris aves.
Sive igitur pictis rhedâ ſpatiabere in hortis,
Seu canibus quæres præmia, ſive plagis:
Sive pharetratæ ritus imitata Dianæ,
Torquebis gracili Gnoſſia tela manu;
Dent tibi plaudentes argentea lilia Nymphæ,
Et faveant Satyri, Naïadumque chori.
Adſitis nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Pulcrior in veſtros Cynthia migrat agros.
Spargite humum foliis, manibus date roſcida plenis
Serta: fluant fuſæ per nemus omne roſæ.
Huic nemora, & ſaltus, fonteſque recludite puros,
Ut gelida arentem temperet unda ſitim.
Tu quoque de Getico, Borea, celer axe faveto:
Per dominæ placido flamine curre ſinus.

De-

Defendat nimios tuus illi ſpiritus æſtus,
  Illa tuis animis purpurea ora ſubi.
Sed cave ne noſtris committas oſcula labris:
  Attica amatori ſit tibi præda ſatis.
Campani montes, & formoſiſſima prata,
  Uxoris niveo paſcua tacta pede,
O utinam veſtros poſſem penetrare receſſus,
  Aſpicere & Dryadum veſtra per antra choros!
Tecum unà ſalices inter, mea vita, jacerem,
  Tecum unà in ſilvis vellem agitare feras.
Et modò captarem frigus, legeremque liguſtra
  Candida, cæleſtes implicitura comas.
Et modò penderem dulci cantantis ab ore,
  Miratus doctæ carmina avita lyræ.
O quoties, medio cùm Sol altiſſimus orbe eſt,
  Acciperet feſſos quælibet umbra duos!
Non quererer, teneros æſtus quòd læderet artus,
  Fœdarentque meas retia torta manus.
Vana ſed aëriæ rapiunt mea vota procellæ:
  Proh dolor! en ſilvas, me ſine, ſola vides.
Ah ſaltem capiant te nulla oblivia noſtri,
  Et dicas: Conjux, hei mihi! fidus abeſt.
Cura ſit ilicibus noſtros incidere amores:
  Fac legar in multo cortice ſcriptus ego.
Hæ tibi ſint artes: longum ſic falle laborem:
  Parce per hos æſtus, vita, nocere tibi.
Intereà lectis te ſomnia noſtra reducant:
  Luminibus noſtris umbra benigna veni.
Tunc ego perpetuo vellem langueſcere ſomno:
  Tunc matutinos odero Solis equos.
Te tamen & vigilans ſpectabo: perfruar abſens
  Vultibus optatis, quos mihi cera refert.

Non

Non reſpondentis ſimulacraque vana figuræ
  Alloquar, & labris oſcula mille dabo.
Felix Pygmalion, ſigni qui captus amore,
  Vota ferens Veneri, vivere vidit ebur.
Noſtrum vivit ebur, ſpirantia membra puellæ;
  En erit, ut poſſim hoc dives amore frui?
Et fruar, & noſtro pones veſtigia lecto:
  In mea tu venies brachia, dulce caput.
Spes bona, promiſſis triſtes quæ ducis amantes,
  Ingredere ô tandem pectora feſſa malis.
Tuque ô decurrens animoſa per aſtra Leonis,
  Axe moraturas contrahe, Phœbe, faces.
Teque citò accipiat redeuntem flexibus actis,
  Quæ penſat ſomnos lumine Libra pari.
Tunc molles campi, tunc clementiſſimus annus,
  Qui diſceſſuros carpere ſuadet iter.
At tu, ſæva Lues, ſuccincta Pavoribus alas,
  Sub patria infandum Tartara conde caput.
Solve metu Romam, fugiens Saturnia regna:
  Splendeat hîc roſeo lumine pura dies.
Tunc, mea lux, venies noſtrorum finis amorum,
  Sive velis terris, æquore ſive vehi.
Ipſe tibi faciles undas, ventoſque precabor,
  Nereïdumque regant ut tua lina manus.
Aſpicienſque tuam tranquilla per æquora pinum,
  Illa vehit, dicam, numina noſtra, ratis.
Non me fallenti tardabit litus arenâ,
  Non brevia alternis ſtagna refuſa vadis;
Oſcula quin tibi dem properata ſine ordine multa,
  Oſcula amatori trans mare digna rapi.
At tu Romuleas arces invecta triumpho,
  In Latii venies patrua regna ſenis.

Quæ

Quæ te pompa manet, cùm tu pulcerrima rerum
Ibis inauratis per fora plena rotis!
Dardanii occurrent proceres, feſtæque catervæ:
Templa frement plauſu, lætitiâque viæ.
Aſpicies Urbem, victricia mœnia mundi,
Alternæ Solis quam tremuere domus.
Hæc legum bellique parens oracula terris
E Vaticano culmine ſancta canit.
Hîc Patruus dat jura meus, qui fœdere nexos
Nos iterum junget per nova ſacra manu.
Hic vir, hic eſt, Italis pacem qui reddidit arvis,
Nondum tergemino cinctus honore caput.
At nunc ſceptra tenens, iraſque atque impia bella,
Criminaque invicto vincta adamante ligat.
Hujus ab auſpiciis Divorum altaria creſcunt,
Templaque Cœlitibus ture vaporat Iber.
Hic ſenium emendat legum, & ſuffragia Patrum:
Hoc duce per Latium priſca metalla fluunt.
Non ego ventoſus trabeas generiſque tropæa
Hîc refero, ut titulis perfruar ipſe meis.
Mens meliora monet: magna hæc tibi gaudia narro,
Ut citiùs ſtimulis acta ferare novis.
Quin te purpureâ redimitus tempora vittâ,
Optatam frater plauſibus excipiet.
Hunc fama eſt meritis oſtrinos vincere honores:
Fortunam didicit tam benè ferre ſuam:
Seu rem Romanam ſtatuit plaudente Senatu,
Sive rudes populos Romula ſacra docet.
Hic deſuetá diu revocavit ad otia Muſas,
Fraudentur celebri ne ſua facta lyrâ.
Te centum, aut plures tollent ad ſidera Vates:
Nam centum, aut plures Tybridis arva colunt.

En

En citharas, & plectra citant, thalamiſque precantur
Ut faveat noſtris lampade clarus Hymen.
Quid memorem, quæ noſtra parat tibi munera mater,
Arabio niteas ut nova nupta mari?
Et claros lapides, Erythrææ & germina conchæ,
Quæ peperit Ganges, quæ Comorina Thetis?
Jam tibi depectunt foliis ſua vellera Seres,
Et tunicas auri fulgure pingit acus.
Flammea net parvo fecunda Bononia Rheno,
Optat virgineus quæ ſibi vela pudor.
Et viridi zonam variant tibi luce ſmaragdi,
Quæ tandem eſt noſtrâ diſſolüenda manu.
Quare age, cùm mitis patientur frigora brumæ,
Cumarum Euboïco litore ſolve ratem.
Intereà pro me tecum mea litera vivat,
Occupet & partem charta recepta tori.

ANTIUM,
VETUSTISSIMAM VOLSCORUM URBEM,
nunc dirutam, celebrat.

O Qui Tyrrhenum celeri trabe curritis æquor,
Quorum tranquillis vela tument animis;
Oſtia ſeu Tiberis, ſeu ſaxa Liguſtidis oræ
Linquitis, & Jani mœnia jacta manu;
Sive Dicarchæâ nautæ ſolviſtis ab actâ
Puppim, Parthenopes dulcibus aut ſcopulis:

Siſtite velivolum curſum, cohibete faventes
Auras: vela cadant: parcite remigio.
Cernitis inſanâ conſtratum mole profundum,
Spumea quam circùm murmure fervet aqua;
Quà pelagus per ſaxa furit, fluctuſque laborat
Dejectum oppoſitas aggeris ire moras?
Hæc quondam celebres teſtantur mœnia portus,
Atque Auſtri in furias obdita clauſtra mari.
Arripite has proris terras: monumenta docebo
Vos veterum priſcis eruta ab hiſtoriis.
Non tantùm ſanctis inſtructæ legibus urbes,
Tectaque divitiis luxurioſa ſuis
Mortalem alliciunt pulcra ad ſpectacula viſum,
Sed placet annoſo ſqualida terra ſitu.
Oblectat pavor ipſe animum: ſunt gaudia curis,
Et ſtupuiſſe juvat, quem doluiſſe piget.
Litore in hoc quondam ſurgebant divitis AntI
Arces, Volſcorum regia celſa patrum.
Urbs populis florens, felix & pinguibus arvis,
Audaces ventis credere docta rates.
Auſaque Romanas per bella laceſſere turmas,
Spernere & armati Conſulis imperium.
Volſca cohors paſtos abigens à Tybride tauros,
Roma, tui quondam militis horror erat.
Pauperis ô ſemper memoranda infantia regni,
Quò ſe felici ſuſtulit alta gradu!
Tunc Anio fuerat celeri pro Tigride Romæ,
Extremique hominum Cruſtumeri, & Gabii.
Hercyniæ ſaltus, Cymini vos antra fuiſtis;
Nile pater fontes, lympha Velina, tui.
O quoties Volſci bellum inſtauraſtis, & acres
O quoties fudit Martia Roma duces!

Sæpiùs impoſitum regni cervice rebelli
  Detrectaſtis onus, ſervitiumque ferox.
Vicit Roma tamen, Martis juſtiſſima cura,
  Martius & victo jura dedit Latio.
Cùm mare ſanguineo perrumpens Aſtura fluctu,
  Æſtibus involvit corpora cæſa virûm.
Triſtior & fluxit valles Amaſenus in imas,
  Inficiens Saturæ ſtagna cadaveribus.
Contudit Æquorum nomen, Volſcoſque Camillus,
  Moxque triumphalis Quinctius agricola:
Antium & æquoreas vetuit tractare carinas,
  Et fortunatâ merce onerare rates.
Robora tunc primùm prorarum, captaque roſtra
  Suggeſtum Latii compoſuêre fori.
Anne parùm fuerat fluctus audiſſe minantes,
  Atque procelloſi jurgia rauca fori?
Heu tempeſtates Urbis, legumque tumultus!
  Auditura novum roſtra mare imbuitis.
Attamen ô gaudete rates, gaudete, Latinum
  Veſtras eloquium ſuſtinuiſſe trabes.
Chaoniæ Vatum celebrantur carmine quercus,
  Quòd viſæ Euro ſint concutiente loqui.
At vos felices, Ciceronem audire loquentem
  Queis datum & ingenti Cæſaris ore frui!
Nonne fuit ſatiùs tantâ mercede domari,
  Atque hæc perfidiæ præmia ferre trucis?
Aſt Latium puduit ſacras coluiſſe ſecures,
  Romulidûm & forti ſubdere colla jugo.
Invidiæ ſtimulis urit nos proxima virtus,
  Et malè finitimos fœdere jungit amor.
Quid fugis ô demens victricia ſceptra Quirini?
  Hoc bellante capi, crede, triumphus erit.

Hæc, quæ nunc brevibus ſpatiis ſua regna coërcet,
Hæc bellatorum ruſtica turba patrum,
O quàm felici fatorum lege fruetur!
O felix niveis Romulus alitibus!
Non tantùm Auſoniæ victrix dominabitur omni,
Sed feret imperium trans mare, & Oceanum.
Agmina Romanos horrebunt Cimbrica faſces:
Ditabit Latium Cypria præda Jovem.
Non Pyrrho virtus, non Pœno proderit aſtus:
Corruet ante tuos, Roma, Jugurtha pedes.
Tu duces currus utroque ab litore ovantes,
Pallidiorque fluet ſub tua Regna Tagus.
In Latias aquilas fruſtrà latrabit Anubis,
Cùm Ptolomæeâ tu potiêre Pharo.
Ah tandem, Volſci, fatali cedite Romæ:
Cedite, & hoſtiles ponite mente dolos.
Hæc vos excipiet gremio, civeſque vocabit
In ſceptrum, & ſocias ducet in arma manus.
Hæc vobis pia mater erit: facietis utramque
Unam animis urbem, conjugiiſque ſacris.
Evenêre: ſuos huc miſit Roma colonos,
Hoſtibus & victis civica jura dedit.
Veſtraque marmoreis donavit numina templis,
Juſſit & ornatu cuncta nitêre novo.
Addidit & turres, & propugnacula muris,
Signaque Phidiacæ detulit artis opus.
Prætulit & Tiberi dilectum Caïus Antium,
Inferre auſpicium huc grande, Deoſque parans.
Quid referam portus, ſævi monumenta Neronis,
Et vetitas patrium tundere litus aquas?
O quantùm ante alias Romana potentia gentes
Viribus egregiis conſpicienda nites!

Helleſpontiaco minitantem vincla profundo
  Xerxem indignatum Græcia riſit ovans.
Id Romæ licuit: potuit nam molibus altè
  Jactis, frenatum continuiſſe mare.
Indomitum clauſit nec tantùm carcere pontum,
  Sterneret ut tutum puppibus hoſpitium;
Verùm ut torpenti piſcis ſecurus in undâ
  Luderet, hibernas negligeretque minas.
Ingluvies Romana ſibi ſic prodiga portus
  Struxit, ut inſanam paſceret arte gulam.
Aſpicite has rupes, Centaurica ſaxa: Gigantum
  Diceris validas hæc ſtatuiſſe manus.
Nil intentatum dives ſollertia linquit:
  Stultitiam nimiæ nam patiuntur opes.
Omnia ſed victrix audet ſuperare vetuſtas,
  Nil mortale diu ſubtrahiturque neci.
Eheu Volſcorum nil ſunt niſi nomina terræ!
  Heu ubi nunc ædes, atriaque alta jacent?
Ducti templorum periêre ad ſidera ſumtus:
  Paſcitur herboſas tarda juvenca domos.
Perque theatrales horrenti clade ruinas,
  Fortis aratra manu curva bubulcus agit.
Quâ cantus, molleſque jocis viguêre choreæ,
  Ad fontes potum fiſtula ducit oves.
Magnanimûm Heroüm inſultant armenta ſepulcris:
  Oſſibus illiſis grandia raſtra ſonant.
Quid juvat audaci montes tenuaſſe ſecuri?
  Umbris antiquum quid ſpoliaſſe nemus?
Quidve Caryſtæas optare in fulcra columnas,
  Ut niteat diti fronte operoſa domus?
I nunc, tolle animos, ô ſpiſſi litoris Antium:
  Urbs meditare tuam ſemiſepulta necem.

Ah miſeram! verſæ tardaris imagine formæ,
  Teque tuo ſtratam litore non reperis.
Quis me Fortunæ doceat quà nobile templum
  Jam ſteterit priſcâ relligione ſacrum?
Fama eſt hinc dubiis petiiſſe oracula rebus,
  Et reſponſa domum certa tuliſſe patres.
Vana ſuperſtitio regnantem credidit olim
  Fortunam, atque illi numen ineſſe Deæ.
Extaque taurorum, Nabathæaque tura profanis
  Reddebant aris, dum ſibi fata rogant.
Hic multas optabat opes; aſt alter honores,
  Stantiaque in plauſum plena theatra ſuum.
Hic ſibi velocis poſcebat dona quadrigæ,
  Præmia Circenſis pulverulenta fugæ.
Nauta leves auras, mercator lucra petebat:
  Durus fecundi ruris arator opes.
Sic natum in curas hominum genus, ægraque mentis
  Somnia, liba tulit numen inane colens.
Non ego te Superûm, Fortuna, in ſede locabo:
  Vota mihi ante aras nec nocitura feram.
Non ea mens animo: pereat qui divitis auri
  Pondus amat, vinctum gloria quemque rapit.
Sanum poſco animum, virtutis amore calentem,
  Fortiaque in vitæ munera membra peto.
Dum benè ſit capiti, mentis ſedemque tumultus,
  Cetera deripiant irrita vota Noti.
Has mihi non audax vires in prælia poſco,
  Adverſa ut ſuperem caſtra timendus eques:
Totus & ære nitens fulvo, criſtiſque decorus,
  Scandam veloci mœnia capta pede.
Non ut marmoreos poſtes miratus adorem,
  Limen & inſomni milite ſollicitum.

 Viſce-

Viſcera ſint alii Regum, felixque vocetur,
Curarum Princeps cui grave credit onus.
Nil ſemper reticenda moror, trepiduſque potentis
Sit procul à nobis pallor amicitiæ.
Me coluiſſe ſacras Parnaſſi in vertice Muſas,
Et veterum ſcriptis invigilare juvat.
Hæc fuit, hæc nobis à primâ cura juventâ:
Inſitus hic noſtro pectore fervet amor.
O utinam valeam, corpuſque fidele labori
Proſpera Palladio dent mihi fata ſeni!
Tum mihi Naturæ libeat cognoſcere cauſas,
Cur celer obliquum permeet annus iter:
Quam teneant elementa fidem: quæ ſemina rerum:
Corpora diffuſum num per inane volent.
Noſcam ego, quæ tellus, & quæ miracula ponti
Salſa fluentiſonis occulit unda vadis.
Herbarum vires diſcam, ſuccoſque ſalubres:
Rimabor ditis fulva metalla ſoli.
Quî coëant, vaſtâque iterùm fornace liqueſcant
Artifici lymphâ: cur labefacta fluant
Sulphura: fecundumque ſalem, roremque fugacem,
Balſamaque, & flores noſſe laboris erit.
Vulcano monſtrante viam, flammiſque magiſtris,
Experiar clauſos rerum aperire ſinus.
Sic ego, ſic doctæ traducam tempora vitæ,
Si longæva mihi tempora fata dabunt.
Hei mihi! quid cupidam mentem ſpes lactat inanis,
Nuntiat extremos ſi mihi Parca dies?
Angor jam multos obſeſſis faucibus annos,
Mentis & interpres ſanguine lingua tumet.
Ipſe dolor prohibet dulcis commercia vitæ,
Elidens raucæ, guttura, vocis iter.

Huc ades ô multo tandem exoptata dolore,
Si qua daris noſtris, ô medicina, malis!
Huc venias miſerata: tuos modulabor honores,
Quæ me naturæ, reſtituaſque mihi.

GABRIELI CABRERÆ.

ÆThera Romuleum ut linquam, ſolemq; paluſtrem,
Atque intempeſti noxia rura ſoli,
Cabrera, hortaris, cælum ſpondeſque ſalubre,
Quà Zephyri nutrix intepet ora Ligus.
Teſtariſque viros, quos jam damnaverat Orco
Atropos, horribili falce minata necem,
Pæoniâ fractos curâ, morboque rebelli,
Iſtic non longâ convaluiſſe morâ.
Hæc mihi tabentis præbes ſolatia curæ;
Artibus his miſerum, dulcis amice, levas.
Deſine, jam didici nullam ſperare ſalutem:
Spes mihi vicini funeris una ſalus.
O ego, ne tali torperent membra dolore,
Quàm mallem aërio in monte rigere lapis!
Stare flagellanti pinuſve obnoxia Cauro,
Aut rupes, vaſti quam ferit ira maris.
Felicem Nioben, cujus per viſcera ſenſum
Obtundens fertur diriguiſſe ſilex.
Vos quoque populeo flentes ſub cortice fratrem
Felices Nymphæ, quas alit amne Padus.
Ille ego ſum, ſaxo qui non includor in ullo:
Ille ego, cui miſero robora ſilva negat.

Robora ſilva neget, ne fiam immobile ſaxum,
At ſaltem in cineres oſſa minuta ruant.
Quid faciam patriâ demens tellure relictâ?
An puto mutatis poſſe valere locis?
Mecum cauſa mali latet hoc in corpore peſtis,
Et niſi poſt letum non abitura lues.
Pectore transfoſſo Gortynia tela gerenti
Quid cervo prodeſt carpere prata fugâ?
Alcidæ induto feralia munera nuptæ,
Nil varii curſus, profuerunt que viæ.
Sic mihi, ſic auſo Romanâ excedere ſede,
Nil dulces juvit deſerüiſſe lares.
Me modò conſpexit piſcoſi litoris Antium;
Me modò Circæi culminis alta domus.
Et Læſtrygonios nutrix Æneïa fluctus
Mirata eſt noſtrâ diſſilüiſſe rate.
Non Caieta mihi, non urbs gratiſſima Caio,
Aut dedit optatam filia Solis opem.
Vos ſeptem gemini colles, regnata Quirino
Mœnia; Tarpeius tu Jove dignus apex;
Accipite hanc animam: ſint hîc mea funera poſco,
Et buſta accumulet noſter avita cinis.
At quondam antiquos juvit liquiſſe penates,
Et nova per longas quærere fata vias.
Ingenium ſcrobibus mutatis exuit arbor
Silveſtre, & decorat lætior arva comis.
Quamque ſub umbroſâ cernis languere parente,
Gaudet mutato laurea ſilva ſolo.
Quid foret Æneas, quid clari nomen Iuli,
Flumina apud Xanthi ſi gemuiſſet iners?
Illum, fumanti poſtquam diſceſſerat urbe,
Per maria errantem ſeptima vidit hiems.

Tan-

Tandem dotales Laurentûm venit in agros,
  Geſſit & Auſoniæ ſceptra timenda manu.
Batto Cyrenas, & Cadmo condere Thebas,
  Juppiter exiliis arva petita dedit.
Nilus & excipiens longis erroribus actam
  Donavit templis, Inachi, te profugam.
Me quoque fata vocant alio meliora ſub axe:
  Ibimus, ô ſocii: me quoque fata vocant.
Vertuntur ſpecies mentis, verſante dolore,
  Menſque brevî ſenſus accipit ægra novos.
Spes bona, ſi qua Dea es, virides huc flecte volatus,
  Et deſueta diu numine corda fove.
Te colit agricola, expectat te compede vinctus,
  Votaque mortalis te duce turba facit.
Tu quaſſas reficis puppes, ut navita remis
  Naufragus impellat, quâ modò navit, aquam.
Tu, Dea, poſt vacuas cæleſti numine terras,
  Juſtitiæque fugam, ſola moraris humi.
Diva veni, facilemque mihi promitte quietem,
  Neve iterùm morbi damna timere velis.
Longum iter aggredior: date læti candida amici
  Omina: eat dextrâ libera puppis avi.
Lunaï ut videam portus, purique metalla
  Marmoris, & Geticas ſaxa imitata nives:
Ingaunos, Macramque inter, Varumque repoſtos
  Apenninicolas, Tiguliosque ſinus:
Delphini portus, Seggeſtam, arcemque Monœci
  Scrutaborque tui, Rutuba, fontis aquas.
Aſpiciam Genuam, læti & prætoria ruris,
  Quæque decent Superos lucida templa ſuos.
Hæc Tarteſſiaco palleſcunt litora fluctu;
  (Aurea nequicquam flumina jactet Iber)

Peruviæque amnes, alieni flumina mundi
  Transfuga ab Oceano rura per iſta fluunt.
Lydia, Pactoli, Baccheïa munera, arenas
  Victa ſile, & ripas, aurifer Herme, tuas.
Dure Ligur, meritoque animis elate ſuperbis,
  Quâ tibi divitias ſedulus arte paras?
Non tibi ſunt culti colles, non pinguia rura;
  Sed clauſtra Alpinis non adeunda jugis.
Difficilis natura negat ſegeteſque, feraſque;
  Non negat audaci mente vigere viros.
Hæc trahit ignotas pretioſa in fœdera gentes,
  Cæruleaſque docet currere puppe vias.
Deeſt hîc terra viris, at non Neptunia deſunt
  Arva petituræ lucra beata rati.
Scit Cypros vallata mari, ſcit Taurica tellus,
  Et, Ligure epotus milite, ſcit Tanaïs.
Teſtes Alpheæ Tyrrheno in litore Piſæ,
  Teſtis Cyrnæi prægravis ora ſali.
Aſt ego non dites veniam ſpectator in oras,
  Ut moveant auri lumina capta ſitim.
Non cernam attonitus fulgentia pondera maſſæ,
  Quæ mittit terris Hiſpalis Auſoniis.
Sat Fortuna dedit cenſus ſine fraude parati:
  Æſtuat infelix, qui potiora cupit.
Ingenium, Cabrera, tuum mihi carius auro,
  Atque erit eloquii plurima vena Tagus.
Quando erit, ut liceat tecum conſumere ſoles?
  Quando erit, ut docto pendulus ore fruar?
Unà aderit mecum Phocæo junctus amore
  Ciampolus, ille tuæ cultor amicitiæ.
O qui complexus, quæ mutua gaudia nobis,
  Et ſermo in ſicco litore qualis erit!

Interdum celeri rapient nos eſſeda curſu;
  Tres modò cantantes picta carina vehet.
Tunc mea ſe duplici jactabit Arione puppis,
  Non Siculâ puppis fallere docta fide.
Cùmque mihi geminos Vates audire licebit,
  Parnaſſi geminum me ad juga ſiſtet iter.
Teque tenens dextrâ, verſus, Cabrera, canentem,
  Hæc Clario dicam verba docente Deo:
O quàm felici modularis carmina cantu,
  Quàmque lyræ docto verbere fila moves!
Otia quærenti fulſit tibi dexter Apollo,
  Atque omnes hauſtus ex Helicone dedit.
Cui tantùm favere Deæ? canit ecce cruentus
  Prælia Mæonides; ſed caret ille lyrâ.
Alcæus Reges citharâ, non cantat amores:
  Eſt tantùm Sapphûs carmine dictus Amor.
Pindarus Aöniæ celebris teſtudinis arte
  Abſtinet heroâ concinere arma tubâ.
Et Veneris dominæ ſi luſit Teïus ignes,
  Mimnermuſque jocans, gaudia ſola canunt.
Omnia tu miſces, & quæ diverſa placebant,
  Colligis, ô verè candide Cycne Ligur.
Auſus es Iſmeni primus recludere fontes;
  Lesbia nectareæ plectra ciêre chelys.
Qui Methymnææ tentaſti fulmina linguæ,
  Et Cæi lacrimas, Steſichorique minas.
Si Florentinam circumdas mœnibus urbem;
  Non Amphionios invidet illa modos.
Narſeti Gothos cogis dare terga ſequenti,
  Odryſiâque levas obſidione Rhodon.
Salve ſancte ſenex, Bacchi, Phœbique ſacerdos:
  Numinibus ſalve maxima cura novem.

Per te Graiorum libris tumefacta ſuperbit,
Et certat Latiis Itala Muſa choris.
Sabbatiæ gaudete arces, gratiſſima cælo
Mœnia, felici prole verenda virûm.
Et quamquam egregium terris aluiſtis Iulum;
Indaque ſunt veſtræ litora dona ratis;
Ultima non vobis accedet gloria Vates,
Ignea qui veſtrum nomen ad aſtra tulit.
Appulit ignotis oris ſi claſſe Columbus,
Hunc ad Cælicolûm limina fama rapit.

FULVIO TESTIO.

Queritur, ſe loquendi uſum morbo amiſiſſe.

VOx animi interpres, fecundæ nuntia mentis,
Quo fugis? an ſemper labra ſilere jubes?
Tu dulci oblectas mortalia pectora cantu,
Efferaque unanimi fœdere corda ligas.
Tu plectri citharæque comes; tibi carmina curæ,
Quæque colit ſoccus, quæque cothurnus amat.
Te ſtupet undantis moderantem frena theatri
Vulgus, & iratum ſub tua jura venit:
Pactaque ſunt tenero per te commercia mundo,
Cùm poterat quernum nos aluiſſe nemus.
Quò fugis, & nullâ linquis te voce vocantem?
Non voco, ſed lacrimæ pondera vocis habent.
Inter anhelantis ſuſpiria pectoris, ægros
Heu quos elicio rauca per ora ſonos!
Edere luctamur ſterili revoluta palato;
Sed ſingultanti murmure verba cadunt.

Non ſecus optato per credita membra ſopori,
Cùm ſerpit dulcis nocte favente quies,
Velle loqui, & vanis conatibus ora videmùr
Solvere; ſed ſolito lingua vigore caret.
Sæpè meas odi voces, ſonitumque tremiſco,
Cogor & ipſe meis auribus eſſe gravis.
Mugitus timuiſſe ſuos ſic creditur Iö,
Turpia dum mœrens induit ora bovis.
O quoties conata queri tibi inutilis hæſit
Lingua, nec humanos reddidit ore modos!
Inachidas quoties auxiſti fletibus undas,
Ingrati plorans impia furta Jovis!
Frondibus hirſutis & amarâ carice paſtæ
Pocula limoſis ſtagna fuere vadis.
Sæpiùs exhibuit decerptas Inachus herbas;
Aſt illa eſt patrias lambere viſa manus.
Felices, quoſcumque malis Fortuna laceſſit,
Nec ſua per fletus damna referre vetat!
O fortunati vos prata per Aſia cycni,
Dulciùs extremo queis datur ore queri!
Condita ſilvarum latebris felicior Echo,
Cujus poſt cineres vox rediviva viget.
Me dolor aſſiduus vicino funere terret,
Nec patet ad queſtus libera facta via.
Teſtari fremitu docuit natura dolores:
Solari curas hac jubet arte graves.
Audi, mugitu quo verberet aëra taurus
Ictus, ubi tepidam ſanguine tingit humum.
Quin leo per Nomadum ſilvas fremit ore cruento,
Si fodit Libyci militis haſta latus.
Et gemitu tigris montes ſaltuſque fatigat,
Ventris cui rapuit pignora Parthus eques.

At-

Atque ubi captivis venêre in retia pennis,
Emittunt querulo gutture murmur aves.
Nec tantùm exclamant viventi prædita ſenſu;
Sed viduata animâ corpora pulſa fremunt.
Dant percuſſa ſonum vibratâ ligna ſecuri:
Stridet, dum cuneis fiſſile robur hiat.
Et ſtipulæ crepitant campis, ſi incendia regnant,
Obſtrepit & rapidis laurus aduſta focis.
Aſpice, quo ſonitu ferventia litora plangant,
Spiritus Eurorum cùm ferus urget aquas.
Septaque nimborum rutilus ſi dividit ignis,
Murmure terrifico nubila fracta tonant.
Omnia muta ſonos edunt, ſolique negavit
Sors mihi communi munere poſſe frui.
Me miſerum! quantus de vertice profluit humor!
In fauces quanto gurgite lingua madet!
Spiramenta animæ nimiùm turgentia torpent,
Sermonique fluens obſtruit humor iter.
Haud aliter citharæ languent, nervique loquaces,
Cogit ubi pluvias Auſter opacus aquas.
Cordis anhelanti reboant penetralia tuſſi,
Pectoris & crates diſſilüiſſe timent.
Quid me adeò ſpirare vetas, ſæviſſima tabes?
Cur fervens animæ clauſtra repulſa quatis?
Hei mihi! dum ſcribo, morbi ſolatia, verſus,
Quàm valido thorax impete concutitur!
Mitiùs incudem Cyclopum brachia tundunt,
Quà vomit è ſcopulis Sicelis Ætna faces.
Mitiùs adverſas miles ferit ariete turres,
Et grave baliſtæ mœnia quaſſat onus.
Opprimet hanc animam rabidi violentia morbi:
O utinam Dî me falſa timere velint!

Non letum timeo ; genus hoc ſed lugubre leti ;
  Et doleo taciti tædia ferre mali.
Odryſiâ raptor poſtquam tibi forcipe linguam
  Abſtulit, & ſtabulis, ô Philomela, lates ;
Sæpè optaſſe mori, palmaſque ad ſidera tendens,
  Diceris id ſummos ſæpè rogaſſe Deos.
Ah virgo infelix, pellex inceſta ſororis !
  O nimiùm ſævo credita forma viro !
Hæccine, crudelis, pro virginitate reponis
  Ereptâ, tragici præmia concubitûs ?
Tempus erit, Tereu, cùm te peccaſſe pigebit,
  Oderis & ſævâ gaudia rapta manu.
Indicium ſceleris, tua crimina, tela fatetur :
  Ingenium miſeris ſuggerit arte dolor.
En geſtit patriis epulandum apponere menſis
  Inſontem furiis percita mater Ityn.
Tu nati condes viventi viſcera buſto ?
  Mox tua per ſilvas fata dolebis Epops.
Exultat cædes inter Philomela, parenti
  Oſtentans nati ſanguinolenta caput.
Evaſti tandem furias, gladiumque tyranni :
  Vidiſti plumâ præpete membra tegi.
At nunc per lucos injuſta ſilentia linguæ,
  Queſtibus argutis blanda rependit avis.
Quos nunc ore modos nemoris dulciſſima Siren
  Concinit ? exiguo in gutture quale melos ?
Interdùm voces per roſtra loquacia torquet ;
  Sibila nunc cæsâ garrulitate rotat.
Et modò criſpanti modulatu turbinat ictus ;
  Secum viſa loqui nunc taciturna gemit.
Perſonat omne nemus, per frondea tecta querelas
  Mirantur Nymphæ, capripedeſque Dei.

Non

Non mea me poſt fata manet facundia linguæ;
Non iterùm dulci garrulus ore fruar.
Prô citharæ cuſtos, & carminis auctor Apollo!
Prô mea Pïerides numina ſacra Deæ!
Reddite poſcentis felicia murmura labris,
Demite, quæ cogunt ora ſilere, moras.
Vos regitis cantus, vos torrens copia fandi,
Et celebrata juvant libera verba choris.
Quid faciam, ſurdas præbet ſi Delius aures,
Nec mea Caſtaliâ labra levantur ope?
Carmina jam valeant Musâ meditata ſiniſtrâ;
Cum domino valeat juſſa tacere chelys.
Auſonii Vates, & concita pectora thyrſo,
Auſonii, Lycio nomina grata Deo;
Auſonii noſtras ſoliti laudare Camœnas
Deſinite ad cantus turba venire meos.
Tu verò ante alios fruſtrà mea carmina quæras,
O FULVI, Mutinæ gloria magna tuæ.
Tibia te, cantuſque decent: mihi plectra tacenti
Hic paries, mutam ſuſtineatque lyram.
Non tibi ſunt triſtes curæ, lætuſque juventæ
Purpureæ vernas ſtat vigor ante genas.
Et tibi naſcenti jucundo lumine Phœbus
Annuit, & flavis Calliopeia comis.
Felix, ſeu dulces molli fide flebis amores,
Seu gravis heroäs flumine fundis opes.
Tu tunc feſtivus perjuria ludis amantûm,
Et jacta ad ſurdas ebria verba fores.
Tu centum ludos, & dulcia prælia miſces,
Hauſtaque de menſis libera vina refers;
Utque ferens hiemes, ventoſaque jurgia cæli,
In nudâ recubet durus amator humo.

Au-

Auguror: hoc miſeros cantu ſolabitur ignes,
Expectans lentum mœſta puella virum;
Inveniensque ſuas referentia carmina flammas,
Immoritura labris oſcula longa dabit.
Huc varios flores, huc blandi veris honores
Ferte citi juvenes, Italideſque nurus.
Blanditi veſtro date florea ſerta Poëtæ:
Cingite ridenti tempora docta roſâ.
At Venus Idalio plaudens te cernet ab axe,
Ambroſioque tuum rore rigabit opus.

Relictâ Urbe cupit rus ſecedere.

EGeriæ valles, mitique habitata Dianæ
Pura Thoantæi neſcia ſilva ſacri;
Voſque lacus Triviæ dites Nemorenſibus undis;
Æneadum ſedes, Laviniumque meum;
Confectum curis, & longâ tabe dolorum
Accipite, & patriis ſiſtite me laribus.
Irrita Pæoniæ poſt tentamenta medelæ,
Huc libet ægrotos nunc mihi ferre pedes.
Romuleæ valeant arces, medicique valete,
Quorum ſæpè malo ſedula cura favet.
Deſinite herbarum tandem, triſtiſque veneni,
Ferte procul durâ pocula tincta manu.
Me nemora, & ſaltus camporum, auræque patentes,
Et trepidans rivo garrula lympha manent.
Prata movent animum viridantia gramine læto,
Et qui perſultant pinguia rura greges.
O mihi ſola quies, colles ſalvete Latini!
Salvete, ô fratris regna vetuſta mei!

Sternite iter, gradimur dum veſtra per otia dia,
Molliùs, atque avibus dulciùs arva ſonent.
Quàm juvat annoſos luci penetrare receſſus,
Notaque ab hiſtoriis hæc celebrare loca!
Hæc tophis laqueata cavis, & pumice vivo
Antra, pius fertur jam coluiſſe Numa:
Collis Aricini cultrix pulcerrima Nympha,
Conſilium huic olim, conjugiumque fuit.
Hac duce Pompilius bellantem terruit Urbem:
Hinc habuit patrios ruſtica turba Deos.
Martis opus, pilis gaudebat Roma cruentis,
Romula criſpabat bellicus arma furor.
Et fuerant ſævas Mavortia pectora in iras
Prona nimis, ſolas tunc meditata neces.
Molliit hæc aris regnans luciſque ſacratis
Relligio, ut poſſent legibus arma regi.
Hinc vittæ, hinc fruges, hinc maxima victima taurus,
Farraque turicremis vinaque ſparſa focis.
Tandem, ſanguineâ diſcors quæ cæde fremebat,
Palluit in patriis pendula Roma ſacris.
Neſcia mens hominum! quæ te ludibria verſant?
Quid nos terrificâ fabula fraude ligat?
Quem non vera tenent, mendacia ficta coërcent;
Et ſimulacra timet, quæ ſibi quiſque parit.
Per pecudum fibras, præſagi & fulminis ictus,
(Heu miſeri!) ſurdos conſuluêre Deos.
Nuntia velocis ſervabant omina pennæ,
Cantibus & ſcævis quid docuiſſet avis.
Templorum ambiguo monitu, dubiæque Sibyllæ
Carmine credebant fata furente cani.
Dicite, ſi Divi nolunt ventura latêre,
Non intellecti cur voluêre loqui?

Fal-

Falſa tamen Regis potuerunt dicta Sabini
Romulidûm ingenium perdomuiſſe ferox.
Nullaque dein fertur Romanâ ſanctiùs umquam
Numinibus ſupplex gens operata ſuis.
Veſter honos, Latii: veſtra eſt ea gloria, ſilvæ:
Horruit hoc victrix credula Roma nemus.
Has etiam Hippolytum fama eſt latuiſſe per oras;
Cui nevit duplici ſtamina Parca colu.
Ille, novercales rigidus cùm ſperneret ignes,
Sancta timens patrii ſolvere jura tori;
Injuſta æternùm dolituro victima patri
Occidit attonitis dilaceratus equis.
Oſſa Corinthiacos jacuerunt ſparſa per agros:
Innocuo rubuit ſanguine utrumque mare,
At non hoc meriti funus miſerata Diana,
Cui curæ intactæ eſt virginitatis amor,
Arte Coronidæ juvenem revocavit ab Orco
Siccantem infernis vulnera dira vadis.
Reddidit illa decus formæ felicibus herbis,
Luminibus geminas reſtituitque faces.
Quis mihi quærenti, quis nunc ea gramina monſtrat?
O utinam in veſtris collibus iſta legam!
Germina, quæ reſerent adamantina limina Ditis,
Non poſco, aut mortis vincere regna paro:
Gutturis obſeſſi longos ſedare dolores
Sat quæcumque mihi blanda medela poteſt.
Adſis Phœbigena: hæc facilis labor ora mederi,
Ne te fulminei terreat ignis avi.
Servat fida tui Vates tutela parentis:
Tu quoque jam Vates officioſus ama.
Huc medicas adhibeto manus, tetrumque cruorem
Aufer, quo fauces, ſcabraque lingua tumet.

Spiramenta animæ, vocis liquidiſſima plectra
En aperi, & ſeptas tu mihi pande vias.
Lætitiâ plauſuque fremens tunc carmina dicam,
Cùm linguâ potero liberiore frui.
Nil pulſare placet viduas ſine carmine chordas:
Vox miſcet citharæ non benè rauca ſonos.
Quid queror infelix? quæ mentem inſania ludit?
En rurſus medicæ poſcimus artis opem.
In malè tentatos iterum cur mittimur uſus?
Ah pereant, ſuccos, gramina quique colunt!
Nulla venenorum ſitis eſt: diſcedite triſtes
Curarum ſtimuli, diffugite ex animo.
Fallere ſæpè juvat, ſed non memorare labores,
Ægraque mens ægri corporis auget onus.
Quin potiùs læti patriæ ſuccedimus arci,
Quà juga celſa tuum, Cynthia, nomen habent?
Hæc mecum aſcenſu dulces ſuperetis amici:
Ante alios nobis, Ciampole docte, fave.
Pone graves Muſas, vigilataque mente profundâ
Itala Pindaricis carmina texta modis.
Tuque ades, ô cantu gaudens, fidibuſque, Canali
Franciſce, æternæ cultor amicitiæ;
Grande Sabinorum columen, fontiſque Velini,
Huc age cum plectro, carminibuſque veni.
Neve hîc potandi certamen mite recuſes:
Reſpicit hos toto numine Bacchus agros.
Pocula Romanis ſunt hæc gratiſſima cœnis:
Albani aſſurgunt vitibus hiſce cadi.
Nequicquam his certent prælis eliſa Faliſcis,
Tuſcaque quæ viridi nectare muſta nitent.
Illaudata fluent firmiſſima vina Falerni;
Seu Sinueſſa dabit, ſeu Tritolinus ager.

Pal-

Palmite ſulphureì cedant lacrimata Veſevi,
  Atque Syracoſii fervidiora lacûs.
Hæc generoſa recens odit doctrina palati,
  Quæ poſſunt trepidos implicuiſſe pedes.
Ridentur veterum fumi, ſervataque cellis
  Teſta diu, & lentâ dolia tincta pice.
Quare agite ô læti, vernarum turba, miniſtri,
  Dulcia non parcâ fundite vina manu.
O quàm jucundo violas imitantur odore!
  Quàm vincunt flavo lumine chryſolitos!
Naribus iſta placent, oculis ſpectacula præbent,
  Et dant arenti gaudia grata gulæ.
Ciampole, quid ceſſas pateram committere venis?
  Propoſuit ſiccis omnia dura Deus.
Hæc mihi lux atros pellet de corpore morbos:
  Largius ô cyatho, tu puer, adde merum.
Pura favent nobis Aquilonis flamina clari:
  Pervellunt linguam pocula acuta gelu.
Me quoque me vultis Lenæo tingere, amici:
  Non nego: noſtra capax proluat ora calix.
Maphæi nomen ſed quiſque ad pocula feſta
  Dicat Iö! & menſis hunc adhibete Deum.
Quamvis Socraticâ pectus ditaverit arte,
  Purpureoſque inter ſplendeat ille Patres;
Non hæc deſpiciet liberrima vota precantûm,
  Quæ fundit multo mens reſerata mero.
Adſis, Bacche, tuis hilarans convivia donis,
  Feſſi pax animi, lætitiæque dator.
Sic teneræ viduas vites ducantur ad ulmos:
  Sic autumnali turgeat uva ſinu.
Sic non urantur torrenti ſole racemi:
  Det pœnam admorſâ ſic tibi ſtirpe caper.

Et tua ſectentur veſtigia marcida ſemper
    Capripedes Panes, Baſſaridumque cohors.
Adſis, virgineoſque favens hîc exere vultus,
    Quaſſans pampineo vertice cæſariem.
Quacumque ingrederis, dulcis comitatur euntem
    Te Furor, & Somnus languidiore gradu.
Me miſerum! accipio nullos heu pectore ſomnos!
    Longa mihi gemitu nox vigilanda venit.
Quòd ſi, Bacche, tuo libato munere, nobis
    Clauſerit optatus lumina feſſa ſopor;
Dicam ego Threïcii crudelia fata Lycurgi;
    Squamigeros nautas, pampineamque ratem;
Litora Pactoli fulvis radiantia venis,
    Divitias miſeras, impia vota Midæ;
Auroramque triumphatam, Parthoſque ſubactos;
    Medica thyrſigeris agmina fuſa choris;
Tigridis exuvias, maculoſaque tergora lyncum;
    Oedipodionii membra cruenta ducis.
Bacciferos ederæ ſemper viridantis honores,
    Lapſaque de quercu ſplendida mella canam.
Tu puer æternus, Bromius, Nyſæus, & Evan:
    Bis genitus, thyrſo tu metuende gravi.
Æra tibi Satyri, laſcivaque tympana pulſant,
    Stridet & attritis Faunus arundinibus.
Per te Gnoſſiacis nox aurea fulgurat aſtris:
    Vipera plaudenti ſibilat ore tibi.
Ipſe, Giganteo fremeret cùm terra tumultu,
    Rhœtum ſtraviſti dente leonis humi.
Hæc ego non humili meditabor carmina cantu:
    Sollicitum ſomno tu modò vince caput.

CYNTHIO CLEMENTIO ARCHIATRO ROMANO,

Cùm vocis uſum recuperaſſet.

DIcamus bona verba : animum jam verba ſequuntur :
Cur taceam ſurdam flebilis ante lyram ?
En libet, en dulces imo de pectore cantus
Fundere : non renuunt ora recluſa loqui.
Vox mihi muta diu, vox longi cauſa doloris,
Veniſti tandem, vox mihi muta diu.
O & ſingultu, ô & quæſita querelis !
Nunc te felici garrulus ore fruor.
Fallor ? an has ſimulant ludentia ſomnia voces,
Quæque cupit vigilans, mens mihi nocte parit ?
Sed fruor, & liber voces linguamque reſolvo,
Attonitus monſtris dum rata vota nego.
Ite procul queſtus : comtis hîc Muſa capillis
Adſit, & in niveis læta triumphet equis.
Nunc tempus fauſtis pulſare Helicona Camœnis :
Nunc redimire novo tempora flore juvat.
At te, magne, canam Clario dilecte magiſtro.
Cynthie, Phœbeo nomine, & arte potens.
Cùm tua vel mutis donent miracula vocem,
Vocalis citharæ præmia grata feres.
Per te hauſi cælum moriens, mentemque recepi :
Pectoris arcta patet, te reſerante, via.
Ergò Caſtalii quodcumque è pectore rivi
Fluxerit, in laudes effluet omne tuas.

Si mihi Pæoniis impleſti pharmaca ſuccis,
Mella miniſtravit ſi miſerata manus;
Nos tibi Muſæo flaventia pocula melle,
Et Charitum puro pinguia lacte damus.
Hæc bibe, quæ nentûm Parcarum fila morantur,
Pocula, Lethæo non temeranda lacu.
Tu domitor Fati, Pataræâ nobilis arte,
Eripis è ſtructo funera mœſta rogo.
Tuque poteſtates herbarum, tuque metalla
Chymica, tu miris pharmaca cocta focis
Noviſti, priſcis quæ quamquam ignota magiſtris
Mortem expectantûm corpora feſſa levant.
Cùm mihi tabentes macies exederat artus,
Cùmque ferè tenui corpore nullus eram;
Jam tum ſpondebas dulcis mihi lumina vitæ,
Gutture ab obſeſſo libera verba fore.
Nec mora: ſulphureis medicatas viribus offas
Artifici nobis ſedulus igne paras.
Hæ mihi mandenti latebras pulmonis anheli
Fovêre, & lentâ tabida membra lue.
Hinc validi ardentis flores rediere juventæ,
Squalidaque afflavit priſtinus ora color.
Sulphura, cæruleis fulgentia ſulphura flammis,
Quando ego vos merito laudis honore canam?
Vos tonitru terras, cælum vos omne cietis,
Fulminibuſque Jovis ſemina magna datis,
Cùm pater ingenti combuſta Ceraunia telo
Dejicit, & fracto culmine vertit Athon.
Per vos exundant inimicis ignibus arces,
Terrifico ſonitu Martiaque æra tonant.
Balnea quæque fluunt triſtes pellentia morbos
Gignitis: hic veſtro truditur igne lapis.

In-

Intepet inde Aponus, medicisque ſalutifer undis
  Stagna Dicarchæus fervida ſudat ager.
Quin etiam veſter magnæ per viſcera matris
  Spiritus igneſcens cruda metalla coquit.
Fulgurat hinc aurum, atque argenti flumina vivi,
  Vulnificuſque chalybs irriguo amne riget.
Quid majora ſequar? vos & primordia rebus
  Acri ſufficitis ſulphura mixta ſali.
Quique fluit volvens tenuis ſe fluctus odorum,
  Perpetuas veſtro ſumit ab igne dapes.
Quid memorem, Enceladi vivax poſt fulmina corpus
  Ardua ſulphureis ut premat Ætna jugis?
Et Jovis Inarime juſſis impoſta Typhœo
  Quanta rotet ſcopulis ſulphura glauca cavis?
Sulphur ovans pœnas fractâ de gente Gigantum
  Sumſit, & hoc cælum vindice regna tenet.
Nec non luſtrali purgari ſulphure ſontes
  Relligio antiquis credita fertur avis.
Actoriden, Peleu; ſic Pelea ſolvis, Acaſte:
  Amphiaraïdis ſic, Acheloë, nefas.
Sic ego, ſic puro luſtratus pectore tandem
  Carmina lætitiâ fauſta docente cano.
Adſitis Muſæ, medicinæ talis & artis
  Voſque repertori mollia ſerta date.
Ah! gemat, antiquis ſi quis tantùm adſtupet annis,
  Spernit & ætatis dia reperta novæ.
Omnia non potuit prudens reperire vetuſtas,
  Atque alia ex aliis extudit arte dies.
Phœbigenæ cœptis potuit præcepta Melampus
  Addere, Phylliridis multaque cura dedit.
Ulceribus tetris nativi graminis herba,
  Vulneribuſque cavis prima medela fuit.

Mox & morborum triſtes extinguere peſtes
 Inventum eſt auſis, inclyte Coë, tuis.
Non adeò effeta eſt hominum experientia ſollers,
 Ut nova non poſſit cudere ſæpè labor.
Nî nova tentaſſet Tyrrhena per æquora Amalphis,
 Magnetum haud regeret nautica vela lapis.
Hujus at auxiliis olim cantata Poëtis,
 Ridetur veterum gloria parta mari.
Arctos nunc propior nobis, nec jam ultima Thule eſt:
 Jam facilis luſtrat navita Solis iter.
Extra hominum famæque vias, tentare repoſta
 Auſus es audaci litora puppe, Ligur.
Garrula cede novi tua ſidera puppibus, Argo,
 Neu Regum jactes ad tua tranſtra manus.
Triſtia junguntur veteris divortia mundi,
 Naturæque patent, quæ latuere ſacra.
Naſcentem populis licuit te, Nile, videre,
 Et ſcit cui tantas debeat orbis aquas.
Nouimus, æſtivæ fecunda licentia lymphæ
 Solſtitiis hiemes cur ferat amne ſuas:
Zona rubens nimiis non torreat æſtibus Indos.
 Illic perpetuò rore vireſcit humus.
Non Eöus ager pluviali ſupplicet undæ:
 Indica continuis imbribus arva madent.
Hæc Zephyri alarum plauſu loca fervida mulcent,
 Mitis ubi halantes Eurus alit ſegetes.
Taprobane teſtis, teſtes freta ſparſa Moluccis:
 Ora Helenæ inſignis nomine teſtis erit.
Arvaque, quà Ganges auratâ pinguis arenâ
 Egerit in dominum fulva tributa mare.
Quid? quòd & Arctoi laxantur clauſtra profundi,
 Quà fluctu, & ventis æquora dura carent.

Dilectæ Thetidi Belgarum ſtantia naves
  Marmora ſulcarunt non adeunda rate.
Illic, ut perhibent, torpeſcit frigore pontus,
  Atque intempeſtus ſtat ſine luce dies.
Hîc rerum finis, chaos hîc, atque ultima mundi
  Natura, hoc triſti limite feſſa riget.
Vela Batava ſequi haud potuit Phœbeïa lampas:
  Omnia cæca illic: omnia triſtè ſilent.
Informes phocas incano corpore turpes
  Vidêre, atque urſos, quos alit Urſa gelu.
Quàm ſæpè optarunt ventorum prælia nautæ,
  Perque procelloſum pandere vela fretum,
Excuterent tandem ſeſe ut torpentibus undis!
  Edocet ire recens in nova vota timor.
Indomito tandem regnans in pectore virtus
  Vicit concreti ſæva pericla ſali.
Ite animæ egregiæ, fortunatæque laborum,
  Ite in fata alacres, quò nova fama vocat.
Ite citæ, & veſtras meditando exponite vires,
  Quà veterum nullo ſemita trita pede eſt.
Gloria multa manet. Quis te, Galilæe, ſilebit?
  Longa tibi in chartis regna futura cano.
Non tantùm radio veterum deſcribere cælum,
  Sed vitro ſuperas auſus inire domos;
Perque novas artes tradis nova ſidera mundo,
  Non Ptolemææis ſidera nota libris.
Pleïadumque, Hyadumque choros ſine nube videmus,
  Et tua per cælum ſplendida damna, Venus.
Vidimus, ignoto quondam quæ lacte nitebat,
  Stellarum ſpiſsâ luce coire viam.
Admoviſti oculis noſtros fugientia viſus
  Per varios obitus aſtra ſecuta Iovem.

Me-

Medicea Heroüm ſoboles, cape læta triumphum:
Aſtris inſereris, concilioque Jovis.
Ipſe etiam nigrâ tinctum ferrugine Solem
Pallentes maculis jungere vidit equos.
Quid triplex ſidus Saturni, aut, Cynthia, vultus
Fabor ſcruposâ nocte latêre tuos?
Hæc priſcis ignota olim prudentia major
Repperit auſpiciis artis, opiſque novæ.
Ite citæ, & veſtras meditando expromite vires,
Ite animæ egregiæ, quà via nulla patet.
At tu Muſa procax, elegi tenueſque valete:
Non hæc ſunt gracili facta canenda lyrâ.

AD
JOANNEM CIAMPOLUM,
morbo recrudeſcente.

ERgò hos aſſiduè gemitus in pectore volvam?
Perpetuò lacrimæ noſtra per ora fluent?
Et roſeo Phœbus me decedente videbit
Lumine mœrentem, me veniente die?
Flebimus heu miſeri! luctus, ſolatia damni
Exigua ingentis, poſtulat ipſe dolor.
Ille Philocteten docuit per Lemnia ſaxa
Vocibus horriſonis vulnera dira queri.
Halcyones Ceyca gemunt, & barbara regis
Daulias Odryſii crimina cantat avis.
Sic ego, ſic mea damna querar crudelia ſemper
Lugubri citharâ, flebilibuſque modis.
Atque utinam in gemitus nunc libera verba darentur!
Sed mihi poſſe queri ſors inimica negat.

Sin-

Singultantem animam turgentes ſanguine fauces
 Elidunt: voces aſpera lingua premit.
Jam quater ardentem ſitienti Sirius aſtro
 Uſſit humum; toties frigore læſit hiems;
Nec venit ulla potens longo medicina dolori,
 Nec mea Pæoniâ membra levantur ope.
Ipſe meum ſpecto moriens miſerabile funus,
 Paulatimque animâ deficiente cado.
Horrida languentes macies depaſcitur artus:
 Lutea palleſcens inficit ora color.
Cogimur & longam moriendo diſcere mortem,
 Dum præſaga mali mens ſibi fata canit.
Felices, inopina dies quos funere mergit,
 Occupat & celeri mors properata nece!
Heu quoties morimur, dum proxima fata timemus!
 Hoc pejus leto: nam mora mortis obeſt.
Haud aliter Lapithas, mœſtumque Ixiona terret
 Jam jam lapſuro pondere prona ſilex.
Credite, deficio: jam pellis dura reſiſtit
 Tractanti, & triſti viſcera tabe fluunt.
Sic cera admotis tabeſcit Hymettia flammis:
 Sic tepidis Auſtris cocta pruina madet.
Languent ſic, urens oculus quos faſcinat, agni:
 Sic tenera à Scythico læditur herba gelu.
Nec tantùm doleo compreſſis faucibus æger;
 Plurima quaſſato corpore damna fero.
Ipſam animi ſedem, regnantem corporis arcem,
 Nunc caput ignavo poſſidet igne vapor:
Nunc acres ſtomacho rabidâ cum bile tumultus
 Fervent, & ſævo pondere diſcruciant.
Laſſum percurrunt ululantia murmura ventrem;
 Humida nec membris dant alimenta dapes.

Vivo equidem parcè, ſed mox jejunia corpus
  Attenuant: epulis abſtinuiſſe grave eſt.
Intolerabilibuſque malis comes addita cura,
  Mollem animum æternis paſcitur ulceribus.
Hanc peperit morbus, morbuſque augetur ab illâ:
  Hæc me triſtitiæ lurida felle rigat.
Hinc ſæpè extimui graviora pericula veris,
  Et ſenſi falsâ ſuſpicione trahi.
Hinc animi victus damno quemcumque calorem,
  Quodcumque & frigus pallida membra quatit.
Compoſitæ currant num vitæ ad munia venæ
  Exploro, & trepidans incaluiſſe puto.
Seu quatior tuſſi, fibras pulmonis anheli
  Exeſas carie ſuſpicor eſſe truci.
Conveniunt crebrò nos, ut ſolentur, amici:
  Spem vultu ſimulant, triſtitiamque tegunt.
Ah genio indulge, curas depelle malignas,
  Clamant: tu morbo, Virgini amate, faves.
Ecquis erit finis lacrimis? lugubria mitte:
  Eia age linquantur mollia fulcra tori.
Te ſilvæ, te rura vocant: age, rura petamus,
  Quà diffuſa nitet mitior aura poli.
Aucupio ſilvas, ſilvas venatibus aptas,
  Flumina, piſcoſos aſpicieſque lacus.
Hinc canibus lepores, canibus ſectabere cervos,
  Latratuque feras retia ad alta premes.
Scilicet è ſtratis tollam miſerabile corpus?
  Committam Alpinis ſqualida crura jugis?
Fortia non noſtræ ſunt hæc ad munera vires:
  Hi mihi ſunt colles, hi mea regna, tori.
Officium bona verba pium, ſed inutile tentant:
  Deſinite, aſſiduis non ſaturor lacrimis.

Quid?

Quid? quòd me cæli lædit ſpirabile lumen,
Quo regimur: quævis mobilis aura nocet.
Letiferi calidis ſpirant ſeu flatibus Auſtri,
Sive agitata truci ſilva Aquilone fremit;
Experior proprias hiemes, pluviaſque rigentes,
Exundans cerebro quas pituita parit.
Sibila perque aures imitata tonitrua ſurdas
Volvuntur, miſerum concutiuntque caput.
Per madida ora liquor turgens me flumine largo
Proluit: ampullis fervida ſputa tument.
Non ſecùs ardenti ſi fortè incluſus aheno
Ebullit multo fervidus igne latex;
Ipſe furit, niveamque fremens eructat aquæ vim,
Sparſaque anhelanti gurgite flamma madet.
Miror, inexhauſto tribuat quis pabula fonti;
Qui tantus fluitet ſicca per oſſa liquor.
Mirantur medici, & ſortem miſerantur iniquam:
Mille adhibent doctis pocula miſta modis.
Lacte arcere jubent incluſos faucibus ignes,
Hordea dant, ſeris quæ maduere focis.
Sanguine tentarunt ſalientem incîdere linguam:
Infecit tepidus brachia ſecta cruor.
Poma coronato radiantia Punica crine,
Languenti ſuccos exhibuere ſuos.
Et quo mala fluunt emuncta Cydonia muco,
Quo paſſæ ficus, perlita ſæpè gula eſt.
Sæpè bibi, urentes meditans avertere flammas,
Pocula pallenti cortice tincta nucis.
Et modò ſilvarum foliis decuſſa Calabris
Mella miniſtrarunt, helleboroſque graves.
Aggreſſique roſis ſunt admiſcere ſapores,
Quos mittit dives Trinacris Hybla favis.

Faſcio-

Faſciolas tenues, ægrum ſocalia collum,
Et nidum pulſis geſſit hirundinibus.
Quid referam quoties ſuffitu pectus odoro
Luſtravi, & fumis, turifer Inde, tuis?
Et quoties, ſiccum poſſem ut diſtendere corpus,
Æſtivi membris intepuêre lacus?
Victum infelicem cochleæ, cancrique dedêre,
Et teſtudineo ſqualida jura gelu.
Quin ſunt conati ſtomachum fulcire ruentem
Arboribus gummi quod genit Arabia.
Balſama miſcuerunt diti Gangetide merce,
Et quæ vicino cinnama ſole rubent.
Sinarum extremo divulſa ab litore radix
Venerat, & nullâ me quoque juvit ope.
Aude animis, tibi certa ſalus promiſſa medentûm,
Dicebant: numquam venit amica ſalus.
Obſtitit auxiliis vivax in fomite labes
Artis, & irriſit vana magiſteria.
Non hoc Phillyridis, non hoc laudata Melampi
Cura Amythaonii pelleret arte malum.
Tunderet in morbos Epidauria gramina fruſtrà
Inclyta Phœbigenæ nos miſerata manus.
Non gemitus Superi noſtros audire perennes
Adjunctâ quamvis ſuſtinuere prece.
Parce pium Numen, cæli quo templa reguntur,
Cujus & imperium ſidera fulva timent.
Si non ſacrilegæ mens eſt ſibi conſcia culpæ,
Redditus eſt templis ſi tibi ſemper honos;
Parce precor, vel ſaltem aliquam de fulmine partem
Deme meo: ſævâ projice tela manu.
Nunc & amara dies, & noctis triſtior umbra eſt.
Quàm mallem æterno diriguiſſe gelu!

Ipſa

Ipſa quies rerum ſomnus, Deus utilis ægris,
  Me fugit, & lacrimis lumina feſſa patent.
Verſamur ſtratis, & nox eſt annua nobis:
  Tarda nimis querimur ſidera Luciferi.
Quòd ſi conciliant depaſta papavera ſomnum,
  Me miſerum hic quantis terret imaginibus!
Occurrunt menti ſimulacra carentia vitâ,
  Viſaque ſunt tenui dicere voce, veni.
Ora virûm majora viris pallentia vultu
  Exangui illudunt, diſcutiturque ſopor.
Tunc iterum ad gemitus eadem nos horrida morbi
  Damna vocant, nec jam falſa timere jubent.
Lenta tenent animum faſtidia: nulla voluptas
  Flectit: non Bacchus, non juvat alma Ceres.
Squalent impexi rigidâ cervice capilli:
  Veſtis inornatos defluit ante ſinus.
Non Urbis, non ruris opes, aurique talenta,
  Eöæque placent deliciæ lapidum.
Ingratus mihi Sol, ingrata Aurora rubeſcit:
  Oblectant pectus tempora nulla meum.
Aſpice, jam Zephyri florens genitalibus auris
  Felices fetus parturit almus ager.
Perſtrepit omne nemus cantu, virgulta ſuſurrant:
  Liquitur è ſummis tabida bruma jugis.
In tepidos ſoles ſe roſcida gramina credunt:
  Florea de vernâ pullulat arbor humo.
Sed mihi nequicquam fulgent Nepheleïdos Helles
  Sidera, ridentis gaudia ſumma poli.
Semper hiems nobis: ſanguis ſi vere tepenti
  Æſtuat, infelix in ſua damna furit.
Acriùs & morbo fauces tentantur acuto:
  Nam claudit fervens arctiùs ora cruor.

Non raucæ fontis ſcatebræ per ſaxa cientis
    Murmura, non poſſunt prata movere animum.
Atque greges, atque arva nocent, atque ardua ſilva:
    Non læti colles, paſcua nulla juvant.
Et doleo, pingui paſtos ſeu gramine vidi
    Mollibus in pratis luxuriare greges.
Sive quis ediderat paſtoria ſibila cannâ,
    Odi ſigna bonæ ſibila lætitiæ.
Et dulces avium per frondea tecta Camœnæ
    Heu viſæ tantùm ſunt mea fata queri:
Seu viridi taurus projectus mugiit herbâ,
    Dixi: Mugitu me vocat ad gemitus.
Frumenta aſpexi verno turgentia lacte;
    Arens tunc ſubiit, quæ premat oſſa, cutis.
Omnia læta, mihi ſunt inſtrumenta doloris,
    Materiamque mali mens ſibi dura parit.
Et meditor: tellus non hæc mihi verna colores
    Submittit; rident prata benigna aliis.
Vos legite ungue roſas, Tyrio queis fulgurat oſtro,
    Quæ flagrat niveis gratia miſta genis.
Vos decet iſte color, vobis ſint lilia curæ:
    Pratorum nitidum vos manet omne decus.
Ipſe legam flores veterum monimenta dolorum,
    Et ferrugineis te, Hyacinthe, comis.
Pallentes carpam violas, mœſtâque cupreſſu,
    Quæ laurum optarant, tempora vincta geram.
Impulerat noſtras ſonitus ſi gurgitis aures,
    Purior electro fons ubi volvit aquas;
Conſpiciens dixi: Non hæc mihi frigida currit
    Sedatura gravem flumine lympha ſitim.
Ora quidem ſitiunt, quæ nunc incendia paſcunt,
    Non pandit latici ſed gula preſſa viam.

O ni-

O nimium, nimiumque fugacis dona juventæ!
O quàm veloci laberis acta pede!
Tardiùs è Scythico cornu decuſſa ſagitta,
Aëra per liquidum cuſpide ſcindit iter.
I nunc, ingentes laudato in corpore vires,
Atque lacertoſos firma per oſſa toros.
Aut illas ætas annorum pondere frangit;
Morborum aut ictu fortia membra cadunt.
Quique color malis Pæſtana roſaria miſcet,
Et quod nativum lilia vincit ebur;
Marceſcunt ſubitò, ceu cùm labefacta caducum
Sole gravi curvant alba liguſtra caput.
Olim qualis eram (nunc me mea fallit imago,
Si jam prætcritos mente revolvo dies)
Cùm dives gregibus, memini, me Parma tenebat!
Nam puerum celſo nutriit illa lare.
Quod mihi tunc robur, quàm gaudia multa fuere!
In feſſo numquam corpore quanta ſalus!
Non me terruerant hiemes, ſoleſque potentes,
Et poteram pluvium vertice ferre Iovem.
Quos ego non colles, quos non indagine cinxi
Lucos, hortatus teſqua per alta canes!
Tunc celeres potui damas, tunc figere cervos:
Vidi de fluviis humida lina trahi.
Et modò fortis equi luctantia colla recurvans
Confraga ſectabar per juga montis apros.
Interdum molles pedibus plauſiſſe choreas
Juverat: & digitis increpuiſſe lyram.
Cura fuit Martis ſimulacra ciêre ſub armis,
Et pugilum ludis implicuiſſe manus.
Gallica quid memorem quoties per flumina navi
Adverſa obnixo pectore ſtagna ſeco?

Me Tarſus, gelido lavit me Nicia fluctu:
  Me Phaëthontæo ſuſtulit amne Padus.
Nec mihi ſolus amor corpus durare palæſtrâ,
  Sed mentem egregiis artibus excolui.
Vidit Palladiis nos impalleſcere chartis,
  Inter laudatos nox vigilata libros.
Multaque Cecropiis trutinabar ſcripta magiſtris:
  Non renuit mecum Græcia docta loqui.
Tentabam umbroſi latebras penetrare Lycei,
  Quaſque alii monſtrant edidiciſſe vias.
Sæpè animum docti ceperunt ſcripta Platonis,
  Cujus Mopſopio pagina melle fluit.
Et modò ſcrutabar Samii dictata ſilentis;
  Nunc florem ex hortis legi, Epicure, tuis.
Inſomniſque gravi fovit me Porticus umbrâ,
  Arceſilaæus detinuitque labor.
Latratus decuit Cynicos audire legentem,
  Nec me pacati terruit ira canis.
Democrito arriſi, novi præcepta Cleanthis,
  Et Chryſippææ ſtamina mentis opus.
Gaudebam meditans, ineant quot prælia ſectæ,
  Graiorum in quas eſt didita turba ſenum.
Materiem hic componit aquis, hic aëre gignit;
  Alter Apollinei ſideris igne creat.
Ille Chao latuiſſe docet vaga ſemina rerum,
  Omniaque arcanis nectit amicitiis.
Æternum eſt aliis mundi verſatile templum,
  Machinaque hæc nullâ diſſolüenda die.
At natum ille refert, auſus reſtinguere ſolem,
  Et dare perpetuæ fata diurna faci.
Sunt quoque rore levi, & nebulis qui ſidera paſcant,
  Et qui non uno ſe putet orbe tegi.

Caſi-

Caſibus hic ſceptrum donat, Divóſque relêgat;
 Exuit & mentes relligione Deûm.
Spernit Tænarias, incendia poſtuma, pœnas
 Impius hic; trepidans manibus ille litat.
Nec deſunt ſenſus qui damnent, omnia faſſi
 Neſciri, tenebras ſeque latêre ſuas.
Omnia mirabar, ſed tunc plus arte movebar
 Socraticâ, & ſcriptis, Stoïca turba, tuis.
Quæ bona ſint animi, certus quis limes honeſti,
 Quas ſibi divitias vita beata petat:
Et didici, ſanctos formet quæ regula mores;
 Æſtus quæ valeat vincere vis animi:
Quæ triſtes iras virtus, quæ frangat amores,
 Quæ deſideriis pectora anhela levet;
Pallenteſque metus quæ fortibus induat armis,
 Ignavæ prohibens terga dediſſe fugæ.
Solum turpe malum ſapiens putat, ille dolores
 Perfert, conſilii propoſitique tenax.
Hic pede proculcans letalia fata ſuperbo,
 Humanis major creditur eſſe malis.
Ære Perillæo clauſus fera juſſa Tyranni
 Sperneret, & nullos ederet ore ſonos.
Hæc olim novi, quæ nunc me flagitat uſus:
 Utar præceptis, quæ mea fata petunt.
Agmina mœrentûm circumſtant ſæva dolorum:
 Aggreditur feſſi vincere corda timor.
Quid faciam? unde petam trepidi ſolatia luctûs?
 Quis bellaturo fortia tela dabit?
Ite procul queſtus, animi oblectamina vilis,
 Ite procul: jam nos ingemuiſſe pudet.
Non lacrimis durum novit manſueſcere fatum;
 Parcarum inflexo fila adamante rigent.

Te ſupplex adeò, ſupplex tua munera poſco;
O ſola humanis mors medicina malis!
Tu portus, placido qui naufraga corpora mundi
Amplexu rurſus non agitanda foves.
Adſis, horribileſque ferox huc flecte volatus,
Hoc pete Tartareâ falce cruenta caput.
Quo moriture ruis? quæ te dementia cepit!
Parce miſer verbis, ominibuſque malis.
Scilicet in primâ florens carpêre juventâ?
Nec te ſpes famæ quantulacumque tenet?
O ubi mens ſtudiis quondam gaviſa Minervæ,
Et quæ ſcribendi gloria dulcis erat?
Non adeò uſque mori miſerum eſt: non ſegnior ibo,
Ibo animis contrà: mors miſerata veni.
Nec totus moriar, lethi cuſtodia noſtri
Te penès, Italiæ, Ciampole, grande decus.
Carminibus celebrata tuis mea fama legetur,
Et ferar extinctus docta per ora virûm.
Auſpice te mortis victor fata aſpera rumpam:
Te duce Avernali non cohibebor aquâ.
Quæ tibi cantanti non eſt permiſſa poteſtas?
Nam tua Pindarico fulmine Muſa tonat.
Tuſci ſcriptores tenerorum cedite amorum:
Gaudet capta novis Auſonis ora ſonis.
Aldobrandinam relegis ſi carmine villam,
En tibi feſta cohors plaudit Hamadryadum.
Sive Palæſtinas Picêno in litore ſedes
Concinis, Adriaci ſternitur unda freti.
Et te Cælicolûm cantantem exercitus audit,
Quorum humeris templum dulce pependit onus.
Prô pudor Italiæ, teneros quæ cantat amores,
Carminis & grato fraudat honore Deum!

Non tulit ingenti laudandus Ciampolus auſo:
Illius eſt noſtris Muſa operata ſacris.
Gaude: namque novis video tua tempora ſertis
Cingi, & Idumæâ fronde nitêre comas.
Tempus erit, læto tua cùm veſtigia plauſu
Magnanimûm Vatum turba ſecuta colet.
Tu modò perge alacer, ſemperque audentior ito,
Nec tu corvorum roſtra inimica time.
Nam ſuper aſtra volans niveis vectabere cycnis,
Quà invidiæ telis gloria claudit iter.
Nec minùs heroï tangit te cura cothurni,
Et potes Aöniâ dicere bella chely.
Inclyta facta virûm vocis ſi munere donas,
Munere tu ſignis das potiore frui.
Hoc tibi Pegaſides, hoc conceſſere Sorores,
Teque poteſtates edocuêre ſuas.
Namque ferunt celſo Parnaſſi in vertice, ſacra
Bellerophontæus quà rigat arva liquor,
Secluſum florere nemus, quo gratius ullum
Non ſurgit Phœbo, Piëridumque choris.
Hos Zephyri campos Eteſia flamina mulcent,
Arboribuſque frequens roſcida vernat humus.
Pullulat ante omnes ſed formoſiſſima laurus,
Quæ medio in luco conſpicienda viret.
Una nemus trunco ingenti quæ parturit umbra,
Et latè foliis celat opaca diem.
Hujus odorato ſudantur balſama ligno,
Dulcis & ambroſiæ cortice manat odor.
Indictum refero: lacrimatas nectaris undas
Excipit Aöniæ ſedula cura manus.
Hos Muſæ ſervant latices, queis perlita durat
Gloria Tænario non violanda lacu.

Ma-

Materno nequicquam aſtu ſervatus Achilles
Occidit, & Trojæ funera morte luit.
At benè Pieriâ perfuſus nectaris undâ
Martis equis rapidum trans Acheronta volat.
Copia felicis tibi, Ciampole, credita ſucci eſt:
Fac mea cæleſtis proluat ora liquor.
Ah ſocii fato miſerere cadentis acerbo!
Fer non caſurum nomen ad aſtra meum.
Triſtia ſic facili curabis funera ſumptu:
Non poſco in cineres Perſica dona meos.
Non mihi Orontæâ tumulos aſpergite myrrhâ,
Buſtaque fecundæ mercibus Aſſyriæ.
Si mea Caſtalio ſtillabunt oſſa liquore,
Invida poſt mortis fata ſuperſtes ero.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

FINIS.

Errata typographica.

Pag. 185. *lin. ult. leg.* Extremis Nili *pag.* 192. *l.* 11. *leg.* fano, *pag.* 194. *l.* 28. & 30. *leg.* Marcia *pag.* 212. *l.* 2. *leg.* Poſtera vix ſperent; *pag.* 230. *l.* 5. *leg.* fratris ſuperſtitem filium *lin.* 16. *leg.* per veſtigia, *pag.* 268. *lin. ult. leg.* habet *pag.* 270. *l.* 9. *leg.* Mox Te Pïerio *pag.* 303. *l.* 18. *dele* Coadjutor Monaſterienſis *pag.* 316. *l.* 26. *leg.* Plebi patebat *pag.* 333. *l.* 1. *leg.* Flent *pag.* 371. *l.* 10. *leg.* Tethyi *pag.* 386. *l.* 16. *leg.* quàm *lin.* 24. *leg.* Quò *pag.* 387. *l.* 2. *leg.* Æoliden *lin.* 6. *leg.* quantùm *lin.* 27. *leg.* Suada *pag.* 388. *l.* 3. *leg.* arcet *lin.* 19. *dele* S. D. N. *pag.* 391. *l.* 28. *leg.* Nec illa *pag.* 472. *l.* 1. *leg.* nec fiam *pag.* 496. *l.* 10. *leg.* gemit.